Libro molto raro

Sugli ornamenti dei libri, e specialmente delle copertine, una lettera eruditissima si legge di Costantino Ruggeri diretta ad. Anselmo Costadoni Ab. Camaldolese fra quelle inedite di Uomini illustri tratte dagli autografi della biblioteca di S. Gregorio al clivo di Scauro stampate in Roma nella tipografia delle belle arti nel 1842 in 8.° pag. 86. In altre vi sono altri cenni su tale argomento | Martorelli Jac. De regia theca calamaria. Neap., Simonii, 1756. t. 2. 4.° fig.

Sulla carta ed altre materie, nelle quali scrissero gli antichi, leggesi una dotta dissertazione nel I. vol. delle opere di [illegible] Martorelli

Sulla ~~papiro~~ medesima ha [illegible]tto pure il Negrisolio col tit. de charta veterum [illegible] Salmasia in Vopisco, Maffei nella sua storia diplomatica ed assai accuratamente Leone Allacci antiq. etrusc.

Sul papiro con vasta erudizione il Guillandino, e sopra l'inchiostro il Campanio col tit. de atramentis, e de regia theca calamaria Jacob. ~~Martorellius~~ Martorellius, ove nel 1.° tom. p. 156 visono dei cap. sullo stesso argomento del pite libro

Fumagalli su tutto ciò che riguarda la scienza diplomatica — Castrucci M.r Gio. Tesoro letterario di Ercolano, ossia della r. officina dei papiri. Nap. 1858 fig.

135

In fine vi è un quinternolo di giunte e correzioni manoscritte con postille marginali nel corso dell'opera

CHRISTIAN. GOTTLIEB. SCHWARZII,

DE

ORNAMENTIS LIBRORVM

ET

VARIA REI LIBRARIAE VETERVM SVPELLECTILE

DISSERTATIONVM ANTIQVARIARVM HEXAS

PRIMVM COLLEGIT ET RECENSVIT
ATQVE
PRAEFATIONE INDICIBVSQVE NECESSARIIS
INSTRVXIT

IOHANN. CHRISTIAN. LEVSCHNERVS
A. M.
SCHOLAE HIRSCHBERGENSIS PRORECTOR.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.
A. CIƆIƆCCLVI.

VIRIS
SVMME VENERABILI, MAGNIFICIS,
AMPLISSIMIS EXCELLENTISSIMISQVE

SIGISM. IACOBO BAVMGARTEN

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI ET PROFESSORI IN ACADEMIA FRIDERICIANA PVBLICO ORDINARIO, SEMINARII THEOLOGICI DIRECTORI REGIORVM ALVMNORVM EPHORO, ACADEMIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS SOCIO

CET. CET.

ET

IOHANNI MATTHIAE GESNERO

ELOQVENTIAE ET POESEOS IN ACAD. GEORGIA AVGVST. PROFESS. PVBLICO ORDINARIO ACADEM. A BIBLIOTH. SEMINAR. PHILOLOG. INSPECTORI SOCIET. REG. SCIENTIARVM PRVSS. SODALI

RELIQV. RELIQV.

ORBIS ERVDITI, QVA PATET, ORNAMENTIS

PRAECIPVIS AC CELEBRATISSIMIS

HASCE

EXIMII SVARZII

DISSERTATIONES ANTIQVARIAS

RARIORIS ET EIVSDEM ARGVMENTI

DENVO RECOGNITAS

EMENDATASQVE

ET

VNO FASCE COLLECTAS

DECENTER

D. D. D.

IOHANN. CHRISTIANVS LEVSCHNERVS.

Non equidem diu multumque incertus haesi, aut circumspexi, ad quos in primis vellem ac deberem elegantissima haec Suarziani ingenii monumenta mittere, ac quorum iudiciis ista cuperem limatissimis maxime submittere. Vos enim, VIRI MAGNIFICI EXCELLENTISSIMI que, cogitanti ea de re in animum confestim incidistis, neque dubito, quin pro eximia VESTRA humanitate ac singulari litteras honestiores ornandi amplificandi que studio hanc dissertationum perrari et praestantioris argumenti iunctim editarum hexada aequo velitis et lubenti vter que animo accipere VESTRO que dignari praesidio amplissimo. Namque satis scio et praeclare, Suarzio laudibus nostris maiori ob egregiam et perraram sane animi morumque probitatem, et studium recte promerendi cupidissimum, et doctrinam fere incomparabilem, pretium VOS statuisse et iustum et bonis in lit-

teris praecipuum. Quum denique tot VESTRA, vel nesciis VOBIS, VIRI SPECTATISSIMI, exstent in me promerita, hoc certe nomine aliquod contra exstare meae in VOS pietatis documentum, non nolui. Neque spernetis profecto, vt opinor, quo sincerior mens est, vnde id, quidquid etiam esse soleat, proficiscitur. Diuini ceterum Numinis gratia et prouidentia VOS, tanquam praecipua orbis, qua patet, eruditi ornamenta ad incrementum et florem academiarum, quas ornatis, omnisque rei publicae quam diutissime conseruet, iisque summis bonis omnibus, quibus humana censetur felicitas, esse cumulatos ornatissimosque iubeat. Dab. Hirschbergae ipsis Kal. Quinctil. A. R. S.

CIƆ IƆ CCLV.

PRAEFA-

PRAEFATIO.

In iis, quae ciuitati et ſua quidem celebritate non parum conſpicuae decus ſolent et ornamentum afferre praecipuum, haberi iure ac merito bibliothecam poſſe, ſeu inſtructam bonorum vtiliumque librorum ſupellectilem, qui neget, niſi ſit fortaſſe *ἄμȣσος*, omnino futurum eſſe arbitror neminem. Quis enim quaeſo locus eſt, qui aeque iucunda et ſuauia mentibus noſtris pabula pollicetur et ſuppeditat, qui maiori easdem dulcedine implet, capit et oblectando ſecum retinet, quam vbi ex omni eruditionis penu libri, prudenter delecti, optimaeque frugis pleniores, ad publicum vſum ordine ſuo collocati ſeſe nobis offerunt? Eſt igitur ea exſtruendi bibliothecas publicandique conſuetudo, propter eximium, quod ad ſtudia et litteras attinet amplificandas, commodum, nulla non laude digniſſima et a temporum antiquitate remotiori recepta iam et cognita. Quo enim gens vnquam cultior per orbem terrarum vniuer-

ſum

ſum floruit celebrata, quo iuſtius ſtatuere ingeniis, moribus honeſtis, et rerum laudabilium dignitati, didicit pretium; eo curam impendiſſe diligentiorem condendis, ordinandis, publicandisque bonarum litterarum et ingeniorum monumentis, ſemper proditum legimus. Quamuis non eo auſim cum nonnullis confidentiae procedere, vt de ſcriptis, aut exſtructa librorum ſupellectile ante diluuium dici ac credi multa iure poſſe tradita exiſtimem, quem ad modum eiusmodi bibliothecas fide prorſus ſuperſtruxiſſe incerta, operamque ideo luſiſſe omnem videtur IOACH. IOH. MADERVS, [1]) Iuliae olim academiae profeſſor haud incelebris. Quantum interea licet, hiſtoria certiori duce ad priſcam penitus reſpicere antiquitatem, Aegyptii quidem maxime obueniunt nobis, qui gentes ceteras omnes primum antecelluiſſe ſapientia et multiiugis artium ſtudiis memorantur, vt vt eruditi de vulgo tradita Aegyptiorum ſapientia inter ſe inuicem planius nequaquam conſentiant. [2]) Paucis tamen mentem meam et liberius vt explicem, ii certe videntur contra omnem ſentire atque opinari antiquitatem, qui nimis ieiune ac tenuietr de ſapientia illorum, et ſtudiis et cognitione rerum multiplici exiſtimant; quum praeclare ſatis inter alia conſtet, quam effuſe homines in primis graeci, gens omnium dein ſine dubio politiſſima, e fontibus et riuis Aegyptiorum hortos ſuos irrigauerint. [3]) Neque, ad noſtram profecto cauſſam quod attinet, alia in gente vlla, quam inter Aegyptios, bibliothecis quidem iis, quas ante diluuium exſtructas aliqui ſomniant, in Vtopiam, ſi queant locum fortaſſe ibidem obtinere, relegatis, eum offendi-

1) In libello de ſcriptis et bibliothecis Antediluuianis, qui virorum clariſſ. libellis et commentationibus de bibliothecis atque archiuis praemiſſus eſt; altera prodiit editio cura I. A. SCHMIDII Helmſt. 1702. cf. IAC. FRID. REIMMANI Hiſt. Litter. Antediluu. quae Halis a. 1709. typis exſcripta lucem vidit.

2) cf. C. A. HEVMANNI V. Celeb. Act. philoſoph. P. XI. a p. 660.

3) Conf. quae P. D. HVETIVS Epiſcopus Abrincenſis in Demonſtr. Euangel. a p. n. 87. e DIODORO, PLVTARCHO aliisque diſſerit.

offendimus, qui coepit omnium primus condere bibliothecam et publicare. Fuit enim is, teste DIODORO SICVLO, [4]) Rex Aegyptiorum antiquissimus Osymandyas, vel ipsum quo aliocunque nomine veterum celebrant monumenta, [5]) qui et fronti bibliothecae dictum inscribi tritum hoc, elegantissimum que, iussit: ψυχῆς ἰατρεῖον. Et quid notius ea deinde in Aegypto est bibliotheca, quam exstruendam, et Alexandriae quidem, curarunt Ptolomaei, cuius potissimum colligendae cepit consilium in istis Ptolomaeus cognomine Soter, princeps et ob eruditionem et prudentiam omni encomio dignissimus? Quae adeo Ptolomaei Philadelphi, et succedentium, studio accreuit, vt ad millia ferme voluminum septingenta sit complexa, veluti auctor in aliis id testatur GELLIVS. [6]) Nam que studium in colligenda bibliotheca nonnullos omne Ptolemaeo velle Philadelpho attribuere; id minus accurate fieri, nemo sane dubitat, qui veterum de illa sententias diligentius perspexit. [7]) In qua tamen exponenda, et fatis, quae experta fuit, describendis cur esse verbosiores malimus, caussa in praesenti non est, ne cramben bis coctam recoctam que sexcenties appositturi fortasse videamur. [8]) Hocce interea bibliothecam colligendi publicandi que

4) Biblioth. Historic. Lib. I. cap. 49.

5) Eruditissime nuper de Osymandya seu Amenophi disputauit P. E. IABLONSKIVS Viadrinae Acad. decus in libro egregio de Memnone graecorum seu Aegyptiorum, Syntagm. II. cap. I. §. 7. et cap. III. §. 3. in primis autem Syntagm. III. cap. V. a p. 102.

6) Noct. Attic. Lib. VI. cap. XVII. p. 206. cf. Prideaux in Connex. Vet. et Noui Testamenti cet. P. II. a p. 19. item Iuvenel de Carlencas Essai sur l' histoire des belles Lettres cet. P. II. a p. 241. B. G. STRVVIVS de iure Bibliothecar. P. I. p. 6.

7) V. HERM. CONRINGIVS de Biblioth. Augusta ad Boineb. apud I. A. SCHMIDIVM l. c. p. 186.

8) Breuissime fata eius describit bibliothecae SENECA de Tranquillit. animi cap. VIIII. p. n. 531. Quadraginta millia librorum Alexandriae vsserunt cet. cf. Iustus Lipsius de Biblioth. apud MADERVM seu SCHMIDIVM l. c. p. 4. THOM. BARTHOLINVS in diss. de Bibliothecae incendio a p. 28.; RECHENBERGIVS de museo Alexandrino p. 528. Vol. diss. iunctim editarum; Symb. Litter. T. I. P. III. p. 198. I. GVIL. BERGERVS de caussis iacturae rei litterariae p. 11. 13. et cet.

candique ſtudium coepit miris modis aemulari Eumenes I. Pergamenorum Rex, adeo quidem, vt, ſupprimente chartas Ptolemaeo, veluti PLINIVS teſtatur, [9]) occaſionem id membranis Pergami reperiundis dederit. Neque tamen Eumeni tantum bibliotheca Pergami collecta debuit adſcribi, quum aeque luculenter pateat ex omni antiquitate, ceteros etiam reges illi amplificandae ſtudium ſingularemque operam impendiſſe. [10]) Quis poſthaec autem dubitet, graecos, gentem morum et litterarum elegantia ornatiſſimam, non eodem aut ſimili modo de augendis ſtudiis cogitaſſe, quum, ſi pro veritate res enuncianda ſit, nulla vnquam aetas gentem in quouis et litterarum et ſtudiorum et artium genere politiorem viderit, maioremque in admirationem produxerit. Primum in illis vero locum, qui de ornanda publicandaque cogitare bibliotheca coeperunt, ſibi vindicat Piſiſtratus, Athenienſium princeps, ſeu potius, more iſtorum temporum ſolito, tyrannus. Rem ſuo in aliis teſtimonio comprobat GELLIVS: [11]) libros, inquiens, Athenis diſciplinarum liberalium publice ad legendum praebendos primos poſuiſſe dicitur Piſiſtratus tyrannus: deinceps ſtudioſius accuratiusque ipſi athenienſes auxerunt, Sed omnem illam poſtea librorum copiam Xerxes, Athenarum potitus, vrbe ipſa, praeter arcem, incenſa, abſtulit aſportauitque in Perſas. Hos porro libros vniuerſos multis poſt tempeſtatibus Seleucus Rex, qui Nicanor appellatus, referendos Athenas curauit. Alias deinceps in graecis exſtitiſſe complures librorum copias, non equidem ignoramus; quae tamen cum eſſent priuatorum maxime hominum ſtudio collectae, in recenſendis illis, ne feciſſe praeter intentionem videamur, diutius non commorabimus. E Graecia igitur confeſtim in Latium traiicimus. Vti autem latina

9) Hiſt. Natural. Lib. XIII. cap. XI.

10) cf. Iuſt. Lipſius in Syntagm. de bibliothec ap. IOH. ANDR. SCHMIDIVM l. c. p. 8. vbi tamen non ad amuſſim bibliothecae a Pergami regibus exſtructae cauſſam videtur explicare.

11) Nocti. Atticar. Lib. VI. cap. XVII. p. 206.

tina facundia, teste FABIO, 12) inuentione, dispositione, consilio, et omni eloquentia reliqua similis graecae, ac prorsus discipula eius fuisse videtur; ita Romuli gens et in omnium litterarum artiumque studio, et amplificandis illis, aemulatrix fuit felicissima. Deuictis enim diuersarum gentium populis atque redactis sub potestatem Romanorum etiam coeperunt nonnulli bibliothecas condere, quem ad modum de Lucullo, Tyrannione, Attico, Cicerone, aliisque veterum monumenta nos edocent. Erant autem hae priuatis tantummodo singulorum vsibus destinatae. 13) Quam ob rem neque ad nostram caussam in praesenti admodum faciunt. Omnium vero in Romanis primum ordinandi publicandique bibliothecam instituit Iulius Caesar, quod his verbis testatur SVETONIVS: 14) Bibliothecas graecas et latinas, quas maxime posset, publicare, data M. Varroni cura comparandarum ac digerendarum. Quamuis interea Caesar Varroni, honestarum litterarum studiosissimo peritissimoque curam eam demandasset, nihil tamen, quantum certissime constat, vltra institutum, caede illius cum impediretur, processit. Quod autem Iulio Caesari non concessit fati acerbioris crudelitas, id studuit aliquandiu post perficere Asinius Pollio, et eruditione et rerum gestarum gloria, imperante Augusto, in primis conspicuus. Atrium enim libertatis, quem ad modum innuit SVETONIVS, 15) Augusto potissimum auctore ac suasore,

 in

12) Institut. Orator. Lib. XII. cap. X. p. 625. cf. omnino, quae singulariter eleganterque differit EKERMANVS in diss. de Eloquentia Latina Graecae discipula, Vpsaliae A. C. CIↃ IↃ CCXXXXIII.

13) Singulares ea de caussa eruditasque dissertationes ediderunt, nempe de bibliothecis Romanorum ERH. REVSCHIVS, quae Helmaest. a 1734. prodiit, et PETRVS EKERMANVS V. C. quae Vpsaliae typis exscripta lucem vidit a. 1745; cf. et CELLARIVS de studiis Romanorum litterariis cet. §. XVI. STOCKMANVS ad libell. Moinii de ortu et incrementis bonarum litterarum cet. a p. 163. cum aliis.

14) In Vita cap. XXXXIIII. p. 72. Edit. Oudend.

15) In vita Augusti cap. XXVIIII. p. 208. cf. in primis CHRISTI. HENR. ECKHARDVS in Commentat. de Asinio Pollione, iniquo optimorum Latinitatis auctorum censore Ienae A. CIↃIↃCC

in monte Auentino refecit, bibliothecas que ibidem et graecas et latinas dedicauit publicauitque. Addidit ſimul auctorum imagines, [16]) quo reſpicere, ni fallor, omnino verba haec videntur OVIDII: [17])

Nec me, quae doctis patuerunt prima libellis
Atria, libertas tangere paſſa ſua eſt.

Atque ita, FABIO [18]) conſentiente, Aſinius vel eam ob cauſſam non parum in vita dignitatis habuit, nec parum ad poſteros tradidit gloriae, quum in ſplendidiſſimo libertatis atrio eximiam muſis, genuinae libertatis alumnis, bibliothecam dedicauerit, ſedem que illis ac domicilium omni dulcius amoenitate, ſibi autem ipſi monumentum aere ſic exſtruxerit perennius. Cuius interim ſuaſor tantum fuerat antea, id neque ipſe dehinc omiſit Auguſtus, inſignis litterarum et litteratorum amplificator, cui et locus in principibus poetis conceſſus eſt, [19]) vtpote qui bibliothecas exſtrui duas curauit publicas, alteram nempe octauiam in octauiae porticu, [20]) alteram palatinam iuxta aedes ſuas, et Apollinis templum in monte Palatino. [21]) Huic quidem, verbis id explicitis teſtante SVETONIO, [22]) praeeſſe iuſſus eſt C. IVLIVS HYGINVS, haud incelebris ſcriptor et grammaticus, quem ſibi habuiſſe inimicum traditur OVIDIVS, velut et occulte ſignificaſſe videri

CIƆIƆCCXXXXXIII. §. XVII. a p. 22.

16) Vid. BEROALDVS ad SVETONIVM p. n. 439. it. IOH. DAVID. SCHREBERVS in diſſ. de Imaginib. virorum clarorum, bibliothecarum ornamento a §. XI. cf. EMVND. FIGRELIVS de ſtatuis illuſtr. ac cum primis doctor. virorum in Vet. Biblioth. apud SCHMIDIVM l. c. a p. 71.

17) Triſti. Libr. III. Eleg. I. vſ. 71. ſq.

18) Inſtitut. Oratoriar. Lib. XII. cap. XI. a pag. 639.

19) v. IOH. CHRISTI. BLVMIVS in diſſ. I. de principibus poetis a p. 24; it. BORRICHIVS in diſſert. de poetis p. 50. cf. SVETONIVS in vita Auguſti cap. 84. ſqq.

20) Cui praeeſſe Meliſſus iubebatur cf. SVETONIVS de illuſtrib. Grammatic. cap. XXI. p. n. 511.

21) v. SVETONIVS in vita cap. 29. cf. CELLARIVS in diſſ. de ſtudiis Romanorum Litterariis cet. §. XVII. it. BERNEGGERVS ad loc. SVETONII p. 153.

22) de Illuſtrib. Grammatic. cap. XX. et XXI. a p. 965.

deri poteſt, quando bibliothecas ſingulas ita eleganter concinit:[23])

Inde tenore pari gradibus ſublimia celſis
Ducor ad intonſi candida templa Dei.
Signa peregrinis vbi ſunt alterna columnis
Belides, et ſtricto barbarus enſe pater:
Quaeque viri docto veteres cepere nouique
Pectore, lecturis inſpicienda patent.
Quaerebam fratres, exceptis ſcilicet illis
Quos ſuus optaret non genuiſſe parens.
Quaerentem fruſtra cuſtos me ſedibus illis
Praepoſitus ſancto iuſſit abire loco.
Altera templa peto vicino iuncta theatro:
Haec quoque erant pedibus non adeunda meis.
Nec me, quae doctis cet.

Verum enim quando copioſe ſatis pro inſtituto theſauros veterum librarios publice dedicatos apertosque perluſtrauimus, vereor equidem inter illos verſari diutius, atque ceteros perquirere, praeſertim quum ſubtimendi cauſſa ſit, ne feciſſe praeter intentionem, aut ea repetiiſſe denuo pluribus videar, quae alii ante me ſexcenties dixerunt. Ex quo interea tempore libri formis deſcribi aeneis, litteraeque a ſitu et ſqualore ſuo reſtauratae nitere praeclarius coeperunt, per omnes etiam cultiores Europae prouincias et ciuitates celebriores, eiusmodi ſacraria et templa libris, numis, tabulis, imaginibus et aliarum rerum cimeliis exornata conſecrare muſis, muſarumque cultoribus ac publicare certatim huc vsque inſtituerunt. O! quam praeclara et egregia inſtituta. Quid enim dulcius eſt, quid admodum iucunda mentes noſtras memoria reficit, quam vbi tot hominum poſt fata ſuperſtitum ingenia

23) Triſt. Lib. III. Eleg. 1. a vſ. 59. cf. FVLVIVS VRSINVS apud I. A. SCHMIDIVM l. c. p. 2.

ingenia comparent, nobis cum loquuntur, nos inſtituunt, rectiora in multis edocent, et quaſi, vt ſcribere alicubi PLINIO lubet, rem publicam faciunt? Sunt ea ingenia, inter quae, otii quidquid eſt et negotii, vtiliſſime diſpungimus; quae diuerſa nobis multiplici que inſeruiunt ratione, dubiis in rebus conſilia, in afflictis ſolatia, et, vt paucis rem omnem eloquar, luculenta ſapientiae prudentiae que ſuppeditant adminicula. Horum igitur ope disiectae recedunt ex animis minuuntur que tenebrae, opinionis idonea ratione nulla conceptae, praeiudicataeque, fidem ac praeſidium amittunt, et, quae ſine litterarum et doctrinae cultura radices neceſſario agit barbaries, inde coercetur et auertitur. Litterae nimirum ac ſtudia vbi ſunt contemtui, vera etiam cedit humanitas, faſtus contra et inhumanitas ſedes occupant. Quidquid virtutis eſt premitur, quidquid vitii, eminet. Luxuries, laſciuiae, libidines, et cuius cunque generis flagitia mentes ſtupidas obtuſas que inuadunt, et, frenis quaſi relaxatis, prorumpunt. Si quae fraudi, aſtutiae et calliditati ſubſunt, ea prudentiae titulo temere venditantur. Eſt enim generatim homine imperito ninihil iniquius. Quam beata igitur ciuitas eſt, quam conſultrix et prouida humanitatis, rectae que diſciplinae, et opportunitatum omnium, quae litteris ac ſtudiis aequum et iuſtum ſtatuere pretium ſolet, publicis que prodit indiciis, honeſtae vtilioris que doctrinae theſauros ſeſe in deliciis, neque vltimo ſuo ornamento, ponere, Quanta enim non voluptate ſe quaſi delibutos ſentiunt multi, quoties conuiuia opulentius exornata inſtructa que vident, et integris ſtomachis ſuis inter lances et menſas nitentes oblectamenta ſolent opipare apparata polliceri? At, quid ſubeſt oblectamenti veri, quid emolumenti habet, compotare aut concoenare opipare et largius? Rara ſunt opido commoda, quae proficiſci ex vtroque ſolent, incommoda vero quis neſcit, quae crebro apparent et conſequuntur? Quantum interim et contra non habet oblectamenti veri, quantum et vtilitatis inter ingenia eius modi erudita

dita politaque verſari, quae dubiam vbiuis ſaepe coenam offerunt, ita, vt neſcias fere, a quibus mentem et paſci, et ali, et inſtitui, tuam potiſſimum cupias? Quae tibi vberrimos ſapientiae, prudentiae, et omnis generis doctrinae fructus promittunt et reapſe ſuppeditant. Quae quidem incommoda nunquam ferunt; imo, ſi quae apparent, adimunt, commodis autem et vtilitati tuae quam maxime inſeruiunt. Nihil itaque miror CORASIVM,[24]) et ob eruditionem, et, quae perpeſſus eſt, fata, haud incelebrem, quando: omne, ait, vitae ſolamen, dicam amplius, viuendi deſiderium auferret, qui libros, veteres meos amicos, mihi adimeret. Atque operae pretium eſt, ea quoque in memoriam reuocare, quae de bibliotheca et libro eiusdem quocunque vtiliori LVCAS DE PENNA:[25]) liber, inquit, lumen eſt cordis, ſpeculum corporis, virtutum magiſter, vitiorum depulſor, corona prudentum, diadema ſapientum, gloria honorum, decus eruditorum, comes itineris, domeſticus amicus, collocutor et congerro tacentis, collega et conſiliarius praeſidentis, vas plenum ſapientiae, myrothecium eloquentiae, hortus plenus fructibus, pratum floribus diſtinctum, principium intelligentiae, memoriae penus, mors obliuionis, vita recordationis; vocatus properat, iuſſus feſtinat, ſemper praeſto eſt, nunquam non morigerus; rogatus confeſtim reſpondet: ſincerus conſultor, non aſſentatur, non loquitur ad gratiam, nemini parcens, quia neminem timet; nihil mentitur, quia nihil poſcit: te nunquam faſtidit, etiamſi tu illum faſtidio habeas: arcana reuelat, obſcura illuſtrat, ambigua certiora reddit, perplexa reſoluit, contra aduerſam fortunam defenſor, ſecundae moderator, opes adauget, iacturam propulſat; puteus inexhauſtus, theſau-

24) Saeculi XVI. Iuriſconſultus erat in Francogallos, in Epiſtol. Quaeſt. cap. XVIII. cf. HENRI. SALMVTH. ad Pancirollum Rer. memorabil. p. 118. ſqq.

25) cf. HENRI. SALMVTH. ad Pancirollum l. c. p. n. 118; et MORHOFIVS in Polyhiſt. Litterar. Lib. I. cap. III. §. 24. p. 28.

thesaurus immensus, aerarium inconsumtibile, paradisus; vnde eiici non potes, nisi cum volueris: amoenitas frugifera, qua frui possis, quamdiu velis; doctor gratuitus, faciens te gnarum, si reperit ignarum. Quid itaque honestius, quam instruere bibliothecas, et aperire publicas, quid vtilius, quam quos alii sumtus in res inanes faciunt, optimis quibus que libris comparandis irrogare? [26]) Haud vereor, quendam fore, qui eius modi ausit institutum reprehendere, ne indicio ipse suo sese miser prodere tanquam sorex velit, quum maius profecto nullum est argumentum imperitiae in homine, ipso aiente CVIACIO, [27]) iurisconsultorum Principe, quam quum litteraturam damnat, quam scilicet ipse nescit. At dicet fortasse aliquis, dicto SENECAE [28]) perperam vtens, quid ista exquisita, et cum imaginibus descripta sacrorum opera ingeniorum in speciem et cultum parietum comparantur? Ain' tu sodes in cultum parietum? Quis vnquam negat, bibliothecas non tam visui quam vsui esse destinandas, atque librorum eius modi apparatus vni cuique non tam posse, quam debere prodesse, si modo adsint, qui velint sapienter prudenter que vti. Et quot autem non sunt, et fortasse inposterum erunt, litterarum honestarum studiosi, qui, ob rem domi angustam, magnam sibi comparare librorum copiam nequeunt, his autem opibus adiuti progressus habere in studiis suis queunt longe feliciores. Quot quaeso non exstiterunt iam, et adhuc sunt, qui eius modi bibliothecarum publico vsui dedicatarum ope, doctrinae suae copias mirifice auxerunt, ideo que orbi de se politiori ac rei publicae fructus polliceri vberiores potuerunt? Quidni senes deinde imitemur CATONIS apud CICERONEM, qui elaborant in eis, quae sciunt nihil omnino, aut parum, ad se pertinere.

Serunt

26) cf. CELLARIVS differt. Academ. diff. III. p. 86.

27) Lib. XXI. Obseruati. cap. X. Opp. T. IIII. p. n. 508.

28) De Tranquillit. Animi cap. VIII. p. 531.

Serunt arbores, quae alteri saeculo prosint. Neque dubitat agricola, quamuis senex, quaerenti respondere: Deo immortali, qui me non accipere modo haec a maioribus voluit, sed posteris etiam prodere. Atque ita librorum et sapientiae praestat thesauros colligere, non vt praesentes modo vtamur praesentibus, sed vt posteri etiam intellegant, maiores suos consulere bonis studiis, amplificandae doctrinae, ac sapientiae prudentiaeque cultui studuisse. Verum enim haec dixisse de bibliothecis earumque vsu et praestantia sufficiet. Necessum denique, opinor, fore, vt de instituto, deque dissertationum harum edendarum et caussa et consilio breuissime adhuc mentionem faciam. Cum scilicet nuper, pro laudabili prorsus commendabilique ad bonos libros typis exscribendos maxime honestis litteris consulendi studio Ioh. Christ. Langenhemius, Vir honestissimus, consilium iniisset hexada hanc dissertationum Cel. SVARZII ob argumenti et raritatem et praestantiam coniunctim edendi, meque adiisset ideo, vt diligenter illas curatiusque denuo recognoscerem, id studii et laboris iniungi mihi passus perlubenter fui. A pluribus enim nunc annis Suarziani ingenii monumentorum dulcedine ac doctrina capior, eademque habere in deliciis meis ita coepi, vt ab illorum lectione doctiorem et meliorem me discessisse saepius, haud ingratus profitear. Neque dubito, quin omnes boni et antiquitatis et elegantioris litteraturae paullulum cupidiores mecum consentiant, ideoque studium haud temere insumtum iri iudicent, si ex illis dissertationes quaedam excellentioris et eiusdem cognatiue prorsus argumenti seligantur, selectaeque, cum omnium fere oculis sese subduxerint singulae, vno fasce in lucem denuo iunctim protrahantur. Si qui forte sunt, qui aliter de caussa existimant, ii profecto erunt, quorum in vsum dissertationes hae typis denuo exscriptae non prodeunt, nec prodire ob hominum insulsitatem debebunt. Si contra insurgant alii, qui pro inscitia sua morumque immanitate litem mihi ausint intendere, prae-

 sertim

ſertim quum ſedere iudices vtramque ob cauſſam nequeant, ideoque reiiciendi omnino ſtatim videantur, ſciant, cum ineptis immoratisque hominibus rem mihi non eſſe, nec fore in poſterum vnquam. Namque praeclare teneo, et ſemper prae me fero, eiusmodi hominum iudiciis nec ſtare quidquam, nec cadere; quod de nupero etiam homine quodam tenebrione, valebit, cui ſuper Elpiſticis interponere iudicium, pro exigua quidem ſua cognitione, eoque maiori morum inhumanitate lubuerat. Negotiorum deinceps interualla otio ita diſpungere vtiliter cupio, vt bonis honeſtisque tribuere omnia, malis et immoratis nihil, velim. Rem itaque ſuam ſibi habeant mali et immorati. Neque erit praeterea, quod addere admodum malim. Operae, vt opinor, non, neque induſtriae in perluſtrandis ſingulis diſſertationibus peperci. Cum etiam quaedam in his lucem iam iterum vidiſſent, vtramque in illis editionem diligenter contuli, et in quibus acceſſerant nonnulla, ea et ſtudioſius noſtris addidi. Atque haec ſunt, quae praemonuiſſe quidem ſufficiet. Vale igitur L. B. atque conamini faue. Dab. Hirſchbergae ipſ. Kal. Quinctil. A. R. G. CIↃIↃCCLV.

DISPVTATIO I
DE ORNAMENTIS LIBRORVM VETERVM

S V M M A R I V M.

I. *Prooemium, de ornatu bibliothecarum et librorum generatim.*
II. *De Materia generatim, cui inscripserunt veteres.*
III. *De materia, cui speciatim ad pompam inscripserunt.*
IIII. *De forma litterarum, quibus ornatus caussa vsi sunt.*
V. *De materia, qua scripserunt.*
VI. *De imaginibus, quas libris appinxerunt.*
VII. *De cedrio, quo libros unxerunt.*

I.

Ea est hominum plerorumque natura, vt rerum, quantumvis necessariarum, simplici habitu aegre contenti sint, nisi et ornatus splendorisque externi non nihil simul adiiciant. Omnis fere vestitus hominum, omnes aedes, omnis etiam apparatus bellicus, nec minus supellectilia domestica, non ad necessitatem tantum, sed ad elegantiam quoque et ostentationem quandam, instrui solent atque comparari. Quin et ipsa virtus suis quasi ornamentis aliquando magis commendatur. Vnde VIRGILIVS, Princeps Poetarum Latinorum, AENEID. *Libr. V. vs. 344.* cecinit:

> *Gratior et pulchro veniens in corpore virtus*
> *Adiuuat.*

Proinde quid mirum, si illa sapientum instrumenta, libri scilicet, qui animis maxime exornandis inuenti sunt, quique suis se argumentis satis commendare poterant, etiam ad pompam aliquando compo-

componantur, externisque phaleris paullo ſtudioſius ornentur? Atque huic quidem luxui adeo dediti fuerunt veteres, vt, ſi, qua magnificentia bibliothecae olim extructae fuerint, conſideremus; nihil ſplendidius aut luxurioſius inueniri poſſe videatur. Ibi enim, teſte ISIDORO HISPALENSI, *L. VI. de Orig. c. 11.* pauimenta e viridi conſtituerunt marmore, et lacunaria fuerunt inaurata. Ibi, referentibus aliis, armaria et pulpita fuerunt ex ebeno et cedro, parietesque vitro comti atque ebore. *Vid.* IVSTI LIPSII *Syntagma de Bibliothecis, c. VIIII.* Ibi ſtatuae et imagines virorum illuſtrium atque eruditorum multo auro argentoque comparatae apparuerunt. *Vid.* EM. FIGREL. *de ſtatuis illuſtr. Rom. c. XXIIII.* Ibi etiam Lampades artificioſae extiterunt; *quae ipſae ſibi nutriuerunt incendium, et, humano miniſterio ceſſante, prolixe cuſtodierunt vberrimi luminis abundantiſſimam claritatem:* quemadmodum deſcribuntur a CASSIODORO, *L. de Inſtitut. diuin. Scriptur. c. XXX.* Quin ſinguli fere libri ſuo ornamento ſpectatorum animis admirationem iniecerunt. Atque praeter ceteras harum rerum pulchrum eſſe exemplum poteſt bibliotheca, quam Hadrianus inſtaurauerat Athenis; de qua PAVSANIAS in Atticis haec refert: Καὶ οἰκήματα ἐνταῦθά ἐςιν ὀρόφῳ τὲ ἐπιχρύσῳ καὶ ἀλαβάςρῳ λίθῳ· πρὸς δὲ, ἀγάλμασι κεκοσμημένα, καὶ γραφαῖς· Κατάκειται δὲ ἐς αὐτὸ βιβλία. h. e. *Sunt et cellae hic ex lacunari inaurato, et ex lapide alabaſtro; inſuper ornatae ſtatuis et picturis, repoſitique illuc libri.* Adeo ibi etiam, vnde ſimplicitatis exempla vel maxime petenda erant, luxus et pompa locum inuenit. Equidem tam rigidi non ſumus, quin et ipſimet nitorem atque elegantiam librorum amemus. Tantum enim abeſt, vt omnem librorum ornatum reiiciendum putemus, vt eum nonnunquam ſine manifeſta negligentiae et ſorditiei nota negligi non poſſe, atque in viris opulentis et principibus, quos ceteroquin magnificentia decet, eiusmodi ſtudium ornandarum bibliothecarum etiam laudem aliquando mereri, arbitremur. Recte enim ERASMVS, L. XXVIII, *ep. 4. Non parum*, inquit, (talia librorum ornamenta) *conciliant gratiae, et lectorem alioqui faſtidioſum, ceu lenocinio quodam, inuitant. Externa ſunt iſta, fateor: ſed ea tum demum fatebor pro nihilo ducenda, ſi ſordida veſtis, illota facies, impexus capillus, nihil obſcurant bonae famae gratiam, ſique nihil eam commendant cultus et honeſta mundities.* Et ornatum ſacrorum inprimis codicum pulchre, vel excuſat, vel commendat, M. AVREL. CASSIODORVS, *loco iam citato.* Sed modus, vt omnibus in rebus, ita

hic

hic etiam, est seruandus, ne nimii in externa illa sumtus conuertantur. Verum, missis his, ea duntaxat nunc perpendemus, quae olim hac in re a veteribus, Romanis praecipue, deinde et Graecis, aliisque, fieri consueuerunt. Scilicet, cum multa Scriptorum et potissimum poetarum loca, absque harum rerum notitia difficulter explicari possint; neque vero nobis constet, ab vllo eorum, qui antiquitatum volumina nobis conscripserunt, hoc argumentum ex instituto esse pertractatum, adeo, vt ipse ISAACVS VOSSIVS, *in Comment. ad Epigr. XXII Catulli*, queratur, modum, inprimis compingendorum apud veteres librorum, a nemine, quoad sciat, satis hucusque traditum: hinc constituimus, de ornamentis librorum apud veteres vsitatis, quantum pro ingenii nostri tenuitate licebit, pauca commentari. Quoniam vero breue temporis spatium, quod exercitationi huic destinaueramus, itemque res aliae, prohibuerunt, quo minus vniuersum hoc argumentum in praesenti coniunctim exhiberemus; operam nostram partiri visum est, ita quidem, vt de iis nunc tantum agamus, quae ad interna librorum ornamenta maxime pertinuisse videntur.

II. Festinamus autem, vt explicemus ea, quae exorsi sumus. Igitur nunc primum de materia librorum, cui potissimum veteres inscripserunt, summatim agemus. Haec vero ab antiquissimis hinc temporibus perquam diuersa atque varia fuit. Vt enim homines monimenta rerum ad immortalem posteritatis memoriam relinquere, et sensa animi etiam cum absentibus communicare possent, alias atque alias scribendi rationes identidem inierunt. Modo saxis et lateribus; modo marmori atque aeri; modo plumbo, argento, auro, itemque ligno, ossibus, aut cornibus, literas inciderunt. Sic IOSEPHVS, *Antiquit. Iudaic. L. I, c. 3.* refert, Sethum inuenta sua duabus columnis, lapideae vni, alteri lateritiae, insculpsisse. Et PLINIVS, *Hist. natural. L. VII, c. 56.* commemorat, Babylonios DCCXXX annorum obseruationes siderum coctilibus laterculis inscripsisse. SAXO GRAMMATICVS, *in Praefatione Hist. Danicae*, ait, veteres Danos res, quas ad posteros voluerunt transmissas et aeternitati consecratas, saxis atque cautibus commendasse; minoris vero momenti, quas cum amicis communicarint, aut in familiari vsu esse voluerint, lignis, ossibus, aut cornibus, mandasse. Plumbearum laminarum meminit PLINIVS *L. XXXIV. c. 18.* Et DIONYSIVS HALICARN. *Antiquit. Romanar. L. X, c. 66*, testatur, leges atque acta publica aeri fuisse incisa. Tabulas ceratas aliosque pugillares hoc

loco praeterimus. Neque plura harum rerum teſtimonia, quae paſſim extant, in praeſens afferimus. Sicuti vero iſtiusmodi materiae, quarum iam mentionem fecimus, maxime ad perennitatem publicorum monimentorum fecerunt: ita, priuati vſus cauſſa, aliae etiam materiae ſunt inuentae, quibus pingendo potius, quam incidendo, inſcripſerunt. Huiusmodi materiam, arbores fruticesque, itemque animalia, et aliquando lintea quoque, ſuppeditarunt. In foliis primo ſcriptitatum; deinde quarundam arborum libris, dicit PLINIVS, *L. XIII. c. 11.* Sed cortices pariter atque libri arborum inter res librarias commemorantur. Illi ſunt exteriores arborum tunicae; hi interiores, quae ligno adhaerent. Vid. PLINIVS *L. XVI. c. 14.* ISIDORVS *L. VI, orig. c. 13.* Imo etiam fruticum libri et philyrae ſcriptioni inſeruierunt; papyrus ſcilicet, quae iunci genus fuit, et, auctore laudato PLINIO, praecipue in paluſtribus Aegypti aut quieſcentibus Nili aquis ſuccreuit. Dicebatur etiam *βίβλος*, vel *βύβλος*, vt quoque Latine cecinit LVCANVS, *Pharſal. L. III:*

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Nouerat.

Cuius conficiendae modum itidem PLINIVS, *L. XIII. c. 12.* expoſuit; quem ALLATIVS, *in animaduerſ. in monumenta Etruſca, n. LXVI,* et VOSSIVS *L. I. c. 37. de arte Grammatica,* luculentius deſcripſerunt. Haec autem papyrus charta deinceps dicta eſt, nomine, ſi quidem I. G. VOSSIO et IOSEPHO SCALIGERO credamus, a Graecorum *χαίρειν*, h. e. *ſalutare*, deriuato: quoniam illa tum demum ſic appellata ſit, cum ad epiſtolas ſalutatrices ſcribendas coeperit adhiberi. Quanquam plures omnino huius vocis *etymologiae* tradantur. Proprie quidem *Papyrus* materies erat, ex qua *charta* conficiebatur. Vſum vero huius papyri Aegyptiacae praefert omnino corticibus CASSIODORVS, *L. XI. c. 38,* quoniam ſcriptura in his, repugnante duritie corticum, vix potuerit expediri; cum papyracea charta ad decorem multo facilius ſuſceperit literas. Porro vero membranae, membris ouium, haedorum, vitulorum, aſinorum, aliorumque animantium, detractae, omnium fere commodiſſimae viſae ſunt, quibus quaeuis inſcriberentur. Atque hae etiam pergamenae dictae ſunt ab vrbe Pergamo, vbi vel maiori copia, vel meliori artificio, parabantur. Falſum enim eſſe, quod quidam ex PLINIO, *L. XIII. c. 11.* tradunt, Pergami ab Eumene Rege primum inuentas eſſe membranas, ſupprimente chartas Rege Ptolemaeo, demonſtrari ſolet, vel ex IOSEPHO, qui, *Antiqu. Iudaic. L. XII, c. 2.* refert,

refert, Eleazarum Pontificem ad Ptolemaeum, Aegypti Regem, LXXII Interpretes, praeter alia munera, etiam cum membranis misisse. Et GVILANDINVS, *membr. VI. in Plin.* testimonio HERODOTI euincit, Ionas vsos olim fuisse pellibus pro chartis, longe ante Ptolemaeum. Ab his membranis diuersum fuisse corium, cui itidem inscriptum est, docet ALLATIVS *in Animadu. ad monum. Etrusc. n. LXIII. p. 113. Membrana enim pilis abrasis, vel calce, aut alia temperatura amissis, et interiori parte, qua carnem operit, in subtilissima folia tenuata est; corium vero, vt ab animalibus est extractum, cum mole illa fungosa, pilis tantum detractis, ea parte, qua pilos excussit, literas accepit. Haec quidem coria non glutine, sed filo, fuerunt consuta.* Cuiusmodi volumina ex corio in Italiae, Graeciae et Germaniae Bibliothecis se vidisse, idem LEO ALLATIVS attestatur. Sed et linteis libris monimenta priuata veteres descripserunt, docente PLINIO *L. XIII. c. 11.* De quibus nonnulla apud DODWELLVM *in appendice praelectionum ad Spartianum* habentur. Et meminit VOPISCVS in *Aureliano* linteorum librorum, qui in Bibliotheca Vlpia fuerunt: *Et si his*, inquit, *contentus non fueris, lectites Graecos; linteos etiam libros requiras, quos Vlpia tibi Bibliotheca, cum volueris, ministrabit.* Erant vero huiusmodi libri telae et texta lintea, in quibus scribebatur, eum fere in modum, vti hodie adhuc pictores in linteis pingere consueuerunt. Neutiquam autem aeque ac *nostra charta*, quae omnino recentior est, ex contusis atque contritis linteis constabant. Plura suppeditabunt, POLYDOR. VIRGIL. *de Inuent. Rer. L. II, c. 8.* PANCIROLLVS *de nouis repertis L. II. tit. 13. et in eum* HENRICVS SALMVTHVS. MELCHIOR GVILANDINVS, *Medicus Patauinus, peculiari Commentario in XI. XII. et XIII. capita Libri XIII. Hist. Nat. Plinii;* IOSEPHI SCALIGERI *animaduersiones in Guiland.* CL. SALMASIVS *in Vopiscum*, I. G. VOSSIVS *de arte Grammatica, L. I. c. 37.* ALLATII *Animadu. in monument. Etrusc. p. 91.* MABILLONIVS *de re Diplom. L. I. c. 8. et caeteri.*

III. Non plane haec, quae modo strictim exposuimus, silentio praetereunda duximus, propterea quod argumentum nostrum inde magis illustrari videbatur. Quod vero nunc speciatim ad ornatum librorum attinet, quos veteres, Ciceronis temporibus, et aliquot saeculis post, commodioris vsus caussa, confecerunt, etiam illi, qui volumina atque codices suos comtissimos esse voluerunt, non minus quidem chartis atque membranis, quas modo diximus,

sed

ſed iis aliquando aliter atque aliter praeparatis, vſi deprehenduntur. Quo tenuiores enim, laeuiores, candidiores, et maiores, chartae membranaeque fuerunt; hoc plus ad pompam atque ornatum librorum contulerunt. Hinc a ſcriptoribus tam diuerſa chartarum genera commemorantur. Etſi enim magnitudinem et formam librorum materiae vbertas maxime determinet, ac praeterea ex variis chartarum generibus olim aliae aliis conſcribendis monimentis deſtinatae fuiſſe videantur; cum ISIDOR. *L. VI. c. 12.* expreſſe ſcribat: *Quaedam genera librorum apud gentiles certis modulis conficiebantur; breuiore forma, carmina atque epiſtolae: at vero hiſtoriae maiori modulo ſcribebantur.* Dubium tamen non eſt, quin conſulto chartam maiorem, latitudine et longitudine a minori diuerſam, libris ad ſplendorem conſtruendis adhibere maluerint. Ex quo factum eſt, vt charta, quae maioris formae et praeſtantior caeteris erat, *Hieratica* diceretur: quia hac annales, rituales, aliique libri ſacri ab hierophantis conſignabantur. Quae iterum poſtea non vnius generis fuit, cum alia *Auguſta*, alia *Liuia*, alia *Claudia*, (quam praeſtantiſſimam demum habuerunt) diceretur. Poſt has autem fuerunt, charta *Amphitheatrica*, *Fannia*, *Saitica*, *Taeniotica*; quae magis plebeiae aeſtimabantur. Omnium tamen viliſſima fuit *Emporetica*, cui negotiatores merces ſuas inuoluebant. Quae nomina vti recenſet PLINIVS, *Hiſtor. Natur. L. XIII, c. 12:* ita ISIDORVS *L. VI, c. 10. Origin.* chartam addit *Cornelianam*; cui nomen datum a primo eius auctore, Cornelio Gallo, Aegypti Praefecto. *Macrocolla* vero ſpeciatim dicebantur a maioribus bracteis, quae magnitudine reliquas chartarum ſpecies longe ſuperabant: quippe quae menſuram XVI. digitorum, nec raro quatuor ſupra viginti, attigerunt. Qua de re plura vide apud VOSSIVM, *de arte Grammatica, L. I. c. 37.* et SALMVTHVM *in Pancirolli repert. nou. L. II. tit. 12.* Prioris autem generis chartas, hieraticas ſcilicet, praecipue ab iis adhibitas eſſe, qui libros ſuos elegantiſſime conſtruere voluerunt, perquam manifeſtum eſt. Quo pertinet illa charta regia, cuius meminit CATVLLVS, *in Epigr. XXII:*

Puto eſſe ego illi millia aut decem, aut plura,
Perſcripta, nec ſic, vt fit, im palimpſeſto
Relata; chartae regiae, noui libri etc.

Hae chartae regiae, ſi quis verba Poetae paullo accuratius perlegat, omnino non membranae et chartae deletitiae fuerunt, prout FRANCISCVS ROBORTELLVS, *diſp. de arte corrig. antiqu. Libros*, interpreta-

pretatus eſt; ſed pulcherrimae omnium, et ſine dubio *hieraticae*, de quibus iam diximus; quae plebeiis et palimpſeſtis opponebantur. *Palimpſeſtorum* vero praeter ceteros meminit PLVTARCHVS in Libro, qui inſcribitur, *ὅ τι μάλιϛα τοῖς ἡγεμόσι χρὴ κ. τ. λ.* ubi de Dionyſio Tyranno loquitur, et lituras Palimpſeſti cum vitiis illius Regis confert, quae animo adhuc adhaereſcebant, quod a PLATONE, Praeceptore eius, aboleri non potuiſſent. Ἀλλ' *εὗρε τὸν Διονύσιον*, inquit, *ὥσπερ βιβλίον παλίψηϛον ἤδη μολυσμῶν ἀνάπλειον, καὶ τὴν βλάβην ἐκ ἀνιέντος τῆς τυραννίδος ἐν πολλῷ χρόνῳ δυσοποιὸν ἐσαν καὶ δυσέκλυτον.* Palimpſeſtum fuiſſe membranam vilem, indicat CICERO, qui ad Trebatium haec ſcribit: *Quod in palimpſeſto; laudo equidem parſimoniam; ſed miror, quod in illa chartula fuit, quod delere malueris, quam haec ſcribere, niſi forte tuas formulas.* Sicuti autem chartas, ita etiam membranas, ad elegantiam et nitorem ſingulari ſtudio praepararunt antiqui, easque tenues maximi aeſtimarunt. Illae vero membranae, ſeu, (vt ISIDORVS HISPALENSIS *L. VI, cap. 11*, loquitur) *illa membrana, vel candida, vel lutea, vel purpurea, fuerunt.* Ita enim ISIDORVS pergit: *Candida exiſtunt naturaliter:* (quod genus membranarum Romae repertum, ſed inhabile apparere ſupra dixerat; quoniam et facile ſordeſcant, aciemque legentium laedant) *Luteum membranum bicolor eſt, quod a confectore vna tingitur parte, i. e. crocatur. De qua Perſius: Tum liber et poſitis bicolor membrana capillis. Purpurea vero inficiuntur colore purpureo, in quibus aurum et argentum liqueſcens pateſcat in literas.* IOSEPHVS, *Libr. XII, c. 2. Antiqu. Iudaic.* meminit membranarum elegantiſſimarum, quas Eleazarus Pontifex ad Regem Ptolemaeum cum LXXII. interpretibus miſit, quibus Lex diuina aureis literis inſcripta fuit: quarum ſubtilitatem et commiſſuras ita latentes, vt viſu diſcerni non potuerint, Rex diu multumque admiratus eſſe perhibetur. Ipſa IOSEPHI verba haec ſunt: *Ὡς δὲ περιῆλθον μετὰ καὶ δώρων οἱ γέροντες, ἃ τῷ βασιλεῖ κομίσαι ὁ ἀρχιερεὺς αὐτοῖς ἔδωκε, καὶ τῶν διφθερῶν, αἷς ἐγγεγραμμένες εἶχον τὲς νόμες χρυσοῖς γράμμασιν, ἐπηρώτησεν αὐτὲς περὶ τῶν βιβλίων. ὡς δ' ἀποκαλύψαντες τῶν ἐνειλημάτων ἀπέδειξαν αὐτῷ. θαυμάσας ὁ βασιλεὺς τῆς ἰσχνότητος τὲς ὑμένας καὶ τῆς συμβολῆς τὸ ἀνεπίγνωϛον, ἔτω γὰρ ἥρμοϛο, καὶ τἔτο ποιήσας χρόνῳ πλείονι* Supereſſe huiusmodi primorum ſaeculorum membranam adhuc in Bibliotheca Norica, ſcripſit IO. SAVBERTVS, *Orat. II de Biblioth. Norimberg.* Vbi ſimul affirmat, tenuiſſimam materiam, ac in ea, ſiue antiquiſſimi commentatoris,

 ſiue

ſiue ipſius Claudii Ptolemaei, manu ductas figuras, admiratione merito eſſe dignas. Sed fatemur, nobis hodie nihil tale amplius in iſta Bibliotheca obſeruare licuiſſe. Verum, vt alia nunc teſtimonia mittamus, in Bibliotheca inclytae Lipſienſium Academiae, Biblia extant Latina, a S. Brigitta, vti olim tradiderunt, admodum pulchre deſcripta, in forma quidem libri duodecima, ſed adeo tenui membrana, vt vix vllam poſſe tenuiorem atque nitidiorem reperiri crediderim. Adhaec, quod ad lintea et ſimilia veterum monimenta attinet, in his etiam cultus et ornatus curam animaduertere licet. Huc adeo libros illos ex ſindone, linteo ſubtiliſſimo, ex quo alias veſtes molliſſimae ac pretioſiſſimae conficiebantur, conſtructos pertinere arbitror; quorum PHILOSTRATVS in *Apollonii vita* meminit. Carmina etiam Sibyllina tenuiſſimis inſcripta linteis plerumque traduntur. CLAVDIANVS, *de bello Getico, v. 232.* carbaſum vocat:

- - Quid carmine poſcat
Fatidico cuſtos Romani carbaſus aeui.

Carbaſus autem linteum tenuiſſimum, opulentiae nomine, non neceſſitatis. Vid. CASPAR. BARTHII *Comment. ad h. l.* Sericis praeterea ad pompam vſi ſunt. Id quod patet ex SYMMACHI *Epiſtola 34, Lib. IV: Tu etiam ſericis voluminibus, Achaemenio more, infundi literas meas praecipis.* In Italia vero pariter atque Graecia chartas olim ex tela bombycina, ac bombyce ipſa, vt hodie apud Sinenſes, confectas eſſe, quae craſſiores quidem, ſed minus aſperae et durae, blattis tamen et tineis, vtpote dulciores, magis obnoxiae ſint, docet LEO ALLATIVS, *l. c. n. LXXII.* Erant inſuper elephantini libri, qui itidem ad magnificentiam conficiebantur. In his enim, obſeruante LEONE ALLATIO, *l. c. n. LXII*, raro et ab Imperatoribus aut in dignitate conſtitutis viris ſcribebatur; ea ratione, qua et in Sapphiro et in aliis lapidibus pretioſis ſui animi ſenſa inſculpere poterant, ſiquidem libuiſſet. Me quidem non fugit, putare nonnullos, a prodigioſa illorum amplitudine elephantinos hos libros eſſe vocatos, quaſi ſcilicet elephantorum vaſtitas nominis occaſionem iis dederit; quemadmodum quicquid vulgarem longe excedit menſuram, elephantinum appellari dicunt. Vid. LVC. IO. SCOPPAE *L. I Collect. c. 28.* Sed omnino probabile eſt, iſtos libros a materia Elephantorum nomen hoc traxiſſe. Sicubi igitur Auctores de voluminibus loquantur, facile concedimus, tales libros vel ex coriis, vel potius, quod SCALIGERO et GERH. IOH. VOSSIO placet, ex omentis elephantorum, compoſitos fuiſſe. In omentis

enim

enim librorum (vti viri docti legunt) olim scriptum esse, confirmat ISIDORVS *L. VI, c. 12.* Mentionem autem librorum elephantinorum facit FLAVIVS VOPISCVS in *Tacito: Ac ne quis*, inquit, *me Graecorum alicui vel Latinorum existimet temere credidisse; habet Bibliotheca Vlpia in armario sexto Librum elephantinum, in quo hoc Senatus Consultum perscriptum est; cui Tacitus ipse manu sua subscripsit. Nam diu haec S. C. quae ad Principes pertinebant, in libris Elephantinis scribebantur.* Non minus etiam librorum eboreorum meminit VLPIANVS, *L. Librorum 52, in princip. Pandect. de Legat. III.* Ceteroqui veteres eboreis etiam tabulis, ex ebore sectili, vsos esse, inposterum dicemus; vbi etiam de aliis elegantiorum tabularum generibus agemus. Ecquis vero illum librum (vt magis extraordinarias librorum materias etiam attingamus) ex intestino Draconis, ad magnificentiam constructum fuisse, neget, quem commemorat ZONARAS, *Annal. L. III.* et GEORG. CEDRENVS, *in Comp. Histor. p. 351. in opere Paris. Script. Byzant.* Referunt enim, Basilisco Imperatore, ortum fuisse Constantinopoli incendium, quo Basilica cum Bibliotheca conflagrauerit, in qua librorum millia CXX. fuerint reposita; hos inter extitisse etiam Draconis intestinum, pedes CXX. longum, dicunt, cui Homeri Poemata, Ilias et Odyssea, aureis literis fuerint inscripta, vna cum Historia rerum ab Heroibus gestarum. Adhaec in corio piscium aliquando etiam scriptum fuisse, itidem, quantum iudicamus, pompae et honoris caussa, IO. MABILLONIVS *L. I, c. 8, de re diplomatica*, ex Puricello demonstrauit. PVRICELLVS enim, *in Libro de Ambrosianae Mediolanensis Ecclesiae monimentis, p. 282, 283.* agens de diplomate Hugonis et Lotharii, Italiae Regum, ait, eius archetypum aureis esse literis conscriptum, et quidem in corio piscis. Idem alia quoque eiusmodi monimenta plura suppetere attestatur.

IV. Quoniam igitur de materia, in qua prisci libros etiam ornatiores exararunt, hactenus egimus; proximum est, vt etiam, quibus elegantioribus literarum formis vsi sint, paucis exponamus. Etsi enim, temporibus plane vetustis, nisi literas maiusculas non adhibuerunt: vero tamen simile, imo certum est, alias quodammodo etiam fuisse literarum formas, quibus commoditatis et velocitatis caussa vsi sint; alias vero, cum ad splendorem et magnificentiam scriberent. Absit autem, vt dicamus, veteres Romanos (de quibus nunc primum loquimur) aureis illis saeculis, ante Gothorum in Italiam aduentum, alios, quam maiores, quos *capitales* nunc appella-

 mus,

mus, eosque quidem noſtros minuſculos literarum ductus vſurpaſſe. Ignorauit omnino antiquitas hoc noſtrum genus ſcribendi; et omnia veteres ſcripſerunt iis literarum formis, quas iam maiuſculas et *capitales* appellamus. Quod argumentum LEO ALLATIVS *in animaduerſionibus ſuis in fragmenta monimentorum Etruſcorum, n. 28. ſqq.* pluribus pertractauit, variisque rationibus confirmauit. Produxit inſuper teſtes atque ſocios eiusdem ſententiae, IVSTVM LIPSIVM *de pronunciat. Ling. Lat. c. 8.* IVST. REINHARTVM ROBBIGIVM *de rebus criticis, L. I, c. 2.* NICOL. RIGALTIVM, *obſeruat. ad Auct. fin. regund.* GODESCALCVM STEVECCHIVM, *Quaeſt. in Apul. L. V. de Aſin.* CASPAREM SCIOPPIVM *de arte Critica;* MVRETVM *in Epiſt. XL Senecae;* MVLLERVM PALMERIVM *in Spicileg. ad Ioan. Fichardum;* IO. LASCAREM RINDACENVM *in epiſtola praefixa Epigrammatario Graeco ab ipſo capitalibus literis edito Florent. 1494. ad Petrum de Medicis.* Cl. autem STRVVIVS *in Actis literariis anno 1703. editis, p. 13.* Allatio hac in re praefert Claudium Molinetum, a quo originem et fata literarum Romanarum erudite deſcripta eſſe ait. Id autem omnino ſentimus, vulgo ad deſcribendos codices, resque familiares conſignandas, itemque coarctandae materiae cauſſa, minutioris formae literas iam tum vetuſtiſſimis temporibus adhibitas eſſe; quae quidem non ab ipſa vera, et, vt ita loquar, *eſſentiali cubitalium forma*, ſed earum duntaxat magnitudine atque modulo diſcrepauerint, nec magna arte ac mole conformatae ſint. Haec eſt illa ταχυγραφία, vulgaris et expedita ſcriptio priuatorum; ad quam etiam pertinent illae veterum notae atque ſiglae, itemque ſigna literis librorumque marginibus addita, et Graecis σημεῖα ἐν μικροῖς τύποις dicta: de quibus pluribus egit IVSTVS LIPSIVS, *epiſt. 27, Centur. I. ad Belgas.* Hae ſunt eiusmodi literae minutae et minutiſſimae, quarum a variis ſcriptoribus mentio facta eſt: exempli cauſſa, a PLAVTO, *Bacchid. Act. IV, Sc. IX, v. 68, 69. NI. Euge literas minutas. CH. qui quidem videat parum: verum, qui ſatis videat, grandes ſatis ſunt.* A CICERONE, *IV orat. in Verrem c. 43. Signum Apollinis pulcherrimum, cuius in femine literulis minutis argenteis nomen Myronis erat inſcriptum.* A SENECA Epiſt. XCV: *Recitator hiſtoriam ingentem attulit, minutiſſime ſcriptam, arctiſſime plicatam.* A VOPISCO, in *Tacit.* c. XI: *Legit ſane ſenex minutulas litteras ad ſtuporem.* Rotundam etiam huiusmodi ſcripturam dici obſeruat LEO ALLATIVS *l. c.* non quae in ſphaerae modum obuoluta ſit, a quadrata plane diuerſa; ſed

quae

quae ob artis contemtum et celeriorem ſcriptionem quaſi in globulos, ſed non eos perfectos, curuata: qualis ſit hodie in antiquiſſimis VIRGILII Codicibus Vaticanis, *num. 3225. 3877.* et in TERENTIO Vaticano *n. 3226.* Sed minutas etiam litteras aliquando ſingulari artificio ſcriptas eſſe, indicat illa in nuce incluſa Ilias, Homeri carmen in membrana ſcriptum, cuius mentionem iniicit PLINIVS, *L. VII, c. 21.* Contra vero characteres magnificentiores literaeque maiores erant, quae in publicis inſcriptionibus librisque habebantur, vt iis eo maior magnificentia atque ſplendor conciliaretur. Haec eſt καλλιγραφία veterum, modus ſcribendi elegantior, a quo librarii aliquando dicti ſunt καλλιγράφοι, de quibus inpoſterum plura dicemus. Inprimis vero Grammatiſtae mature docebant pueros recte et ornate literas pingere, iisque ductu praeibant ad immitationem; quod Latini *praeducere*, Graeci παραγράφειν, dixerunt. Non nunquam ſcribentium dirigebant manus, aut tabellae, quam ὑπογραμμὸν appellabant, literarum elementa inſculpebant, quas illi ſequerentur. Sic enim PLATO, *in Protagora*, ſcribit: Οἱ γραμματισταὶ τοῖς μήπω δεινοῖς γράφειν τῶν παίδων, ὑπογράψαντες τὰς γραμμὰς τῇ γραφίδι, οὕτω τὸ γραμμάτιον διδόασι, καὶ ἀναγκάζουσι γράφειν κατὰ τὴν ὑφήγησιν τῶν γραμμῶν, h. e. *Vt literarum magiſtri iis, qui nec dum exacte ſcribunt, lineas praeſcribunt et earum ductum ſequi cogunt.* Et QVINTILIANVS *L. I, c. 11* ait: *Cum puer iam ductus ſequi coeperit, non inutile erit, (eas literas) tabellae quam optime inſculpi, vt per illos velut ſulcos ducatur ſtilus. Nam neque errabit, qemadmodum in ceris, (continebitur enim vtrinque marginibus) neque extra praeſcriptum poterit egredi, et celerius ac ſaepius ſequendo certa veſtigia, firmabit articulos, neque egebit adiutorio, manum ſuam manu ſuperpoſita regentis.* Sed ad iſtam καλλιγραφίαν ſpectant fortaſſe literae illae cubitum longae, quas per iocum commemorat PLAVTVS, *Rudent. Act. V, ſc. II, v. 6. Cubitum hercle longis literis ſignabo iam vsquequaque, ſi quis perdiderit vitulum cum auro atque argento multo, etc.* IDEM, in *Poenulo, Act. IV, Sc. II, v. 14, 15. Ibi tu videas literatas fictiles epiſtolas, pice ſignatas, nomina inſunt, cubitum longis literis.* Grandes literae dicuntur a CICERONE, *VI in Verrem c. 34. Diana erat poſita Segeſtae, ſane excelſa in baſi, in qua grandibus literis P. Africani nomen erat inſcriptum.* Grandibus etiam notis dixit OVIDIVS *L. III Triſt. El. III. Grandibus in tumuli marmore caede notis.* Maxime autem quadrata ſcriptura ea vocabatur, quae ſingulari ſtudio

 atque

atque arte exarabatur; et membris suis commensurabatur in monimentis publicis, aliquando etiam in libris ad pompam descriptis vsurpata; sed ob dispendia, et impensas non omnibus obuia. *Vid.* LEO ALLATIVS *l. c.* Pertinet huc illud PETRONII ARBITRI, *in Satyrico c. 29: Ad sinistram intrantibus, non longe ab hostiarii cella, canis ingens catena vinctus in pariete, erat pictus, superque quadrata litera scriptum.* Sed et vnciales hae literae dici consueuerunt (nisi et istae a quadratis quodammodo fuerunt distinctae.) Harum meminit D. HIERONYMVS, *Praef. in Iobum: Habeant,* inquit, *qui volunt, veteres libros, vel in membranis purpureis, auro argentoque descriptos, vel vncialibus, vt vulgo aiunt, literis, onera, magis exarata, quam codices, dummodo mihi meisque permittant pauperes habere schedulas, et non tam pulchros codices, quam emendatos.* Vnde tales literae hoc nomen acceperint, inter eruditos disquiri solet? Quidam perhibent, eas ita appellatas esse, quia vnciae, quae est pars duodecima pedis, altitudinem habuerint. BVDAEVS *L. I de Asse: Vnciales,* inquit, *literas Hieronymus intelligi voluit pollicis crassitudine exaratas, non vero auri vnciam appendentes, vel auri vncia constantes.* Et *libro V* eiusdem operis: *Vncialem altitudinem pollicarem intelligit, id est, digiti et trientis.* Affertur etiam, nescio a quo, ex LVPI FERRARIENSIS *Epistola V* locus, vbi ille ita differit: *Scriptor Regius, Bertrandus dicitur antiquarum literarum duntaxat earum, quae maximae sunt, et vnciales a quibusdam vocari existimantur, habere mensuram descriptam. Itaque si penes vos est, mittite mihi eam per hunc, quaeso, pictorem, cum redierit.* Ex quibus hoc certe apparet, vnciales literas fuisse maximas, earumque certam mensuram atque definitam extitisse quantitatem. Id quod contra Allatium pluribus probauit MABILLONIVS *L. I de re diplom., c. 11, n. 4.* Posteriorum saeculorum homines huiusmodi maiorum literarum characterem vocarunt *fracturam.* Ita loquitur AVCTOR *Chronici Windensem.* citante CAROLO FRENEO, *in Glossario: Nouis libris conscribendis in bona rotunda textura et fractura pergameno vel franceno quotidie insudauit.* Ista autem per maiusculas literas scribendi ratio viguit quidem ad saeculum vsque quintum; vbi, irruentibus in Italiam Gothis, Gothicis etiam literis Romanae variari coeperunt, sequentibusque saeculis aliae atque aliae scripturarum formae ad communem vsum successerunt; ita tamen, vt nihilominus postea aliquantisper in libris describendis, et tandem denique duntaxat in principiis et titulis librorum, maior

ior iſta forma ſit retenta. Qua de re auctores, quos hucusque laudauimus, euuoluere licet. Neque vero aliud fatum Graecae expertae ſunt literae. Siquidem vetuſta eorum ſcriptio a currenti illa et velociori ſcribendi ratione, qua nunc libros exaratos videmus, longe receſſit. Veteres enim Graecos itidem maiori illa *capitalium* literarum forma vſos eſſe, multi viri eruditi dudum comprobarunt. Eosdemque ſimiliter ad nitorem exquiſitius, quam in communi vſu, ſcripſiſſe, declarant illa GALENI verba, *L. de dignoſcendis et curandis animi morbis, cap. 11:* Βλέπω γάρ σε πρὸς τὰ καλὰ τῶν ἔργων δαπανῆσαι τολμῶντα, μήδ' εἰς βιβλίων ὠνὴν καὶ κατασκευὴν, καὶ τῶν γραφόντων ἄσκησιν, ἤτοιγε εἰς τάχος διὰ σημείων, ἢ εἰς καλῶν ἀκρίβειαν. *Video te in res quidem egregias inſumere quicquam, non in coemptionem comparationemque librorum; non in eos, qui ſcribant, exercendos, ſiue notis et ſignis id faciant, vt citius; ſiue exquiſitis figuris, vt pulchrius.* Eſt in Bibliotheca Auguſtiſſima Vindobonenſi codex Graecus vetuſtiſſimus, isque Dioſcoridianus, ante mille et ducentos annos exaratus, inter MSC. Codices Medicos eosque Graecos ordine tertius; in quo literae omnes ſunt maiuſculae et perelegantes quidem, ſed ab illis, quibus nunc vtimur, literis Graecis aliquantum diuerſae. Cui accentus omnino deeſſe, et, ſi qui in eo reperiantur, recentiori manu additos conſpici, vocesque ſine vlla diſtinctione ſibi inuicem cohaerere, refert *illuſtris* PETRVS LAMBECIVS, *Comment. de Bibl. Caeſ. L. II, c. 7. p. 521. ſeqq.* Vbi pluribus etiam de diſtinctione et accentibus Graecorum agit. Similia exempla vetuſtae Graecorum ſcripturae vid *ap. eund.* LAMBEC. *l. c. p. 590, 800, 1008, Part. III, p. 14, 15.* Et, *Part. VIII, p. 411*, tria fragmenta, vel ſacrorum bibliorum, vel alterius alicuius materiae Theologicae, ſimili ſcriptura Graeca, quae in cortice exarata fuerunt, aeri inciſa exhibet. His merito adiungendus eſt Codex MSC. vetuſtiſſimus, isque Vaticanus, translationem LXX Interpretum complectens, literis maiuſculis exaratus, ſine capitum, verſuum, vel verborum diſtinctione, ſine accentuum vel ſpirituum notis; et quantum eruditi coniectura aſſequuntur, ante Hieronymi tempora ſcriptus. Ex quo, opera ANTON. CARAFAE, *Cardinalis*, aliorumque doctiſſimorum virorum, volumen LXX Interpretum, Anno MDVII, Romae primum prodiit. Praeter quem Vaticanum codicem duobus quoque aliis vſi ſunt, qui ad illius vetuſtatem proxime acceſſiſſe feruntur: vno Veneto ex Bibliotheca Beſſarionis, maioribus etiam literis ſcripto; altero ex Magna Graecia aduecto,

cuius

cuius cum Vaticano ſummum fuiſſe conſenſum, aiunt. Sed Vaticani Codicis antiquitatem aequare ſaltem, ſi non ſuperare, dicitur codex Alexandrinus LXX Interpretum, qui, ſimiliter literis maioribus antiquis, ſine ſpirituum et accentuum notis, in pergameno exaratus, in Bibliotheca Regia Londinenſi aſſeruatur, et in Bibliis Anglicanis primum lucem vidit. Codex Alexandrinus appellatur; quoniam ex Alexandria primum allatus eſt per CYRILLVM LVCAREM, ſedis Alexandrinae Patriarcham; ſicuti etiam Alexandriae per THECLAM, nobilem feminam, deſcriptus eſſe creditur. *Videatur omnino* BRIANVS WALTONVS *in Proleg. ad Biblia Polyglotta* Sed et Ebraeis ſuae fuerunt literae quadratae, quibus Codices Ebraei, inprimis ſacra Biblia exarata extant; haecque literarum figura מְרֻבַּע dicitur Qua de re in Diſputatione III, n. 10. pluribus agemus. Ab his enim feſtinantes et mutili characteres, quibus poſteriores Iudaeorum Magiſtri libros ſuos conſignarunt, non parum abeunt. Neque minus Arabum atque Perſarum libri inſigni ſcripturae varietate atque elegantia oculos lectorum mirifice oblectant, qua hodieque in Alcorano maxime vti ſolent. De quibus ſingulis plura omnino dicenda forent, ſi, quaecunque ſe offerunt, perſequi velim. Non poſſum tamen non hoc loco etiam paucis commemorare, in libris tabuliſque veterum, ſplendoris cauſa, non ſolum latiorem marginem, ſed aliquod etiam ſpatium inter verſus, ſeu *lineas*, eſſe relictum, ne literae nimis comprimerentur. Illud vel ex verbis OVIDII diſcimus, qui, cum ab amica prolixas exoptaret literas, *Lib. I Amor. El. XI*, eiuſmodi ornatum deprecabatur:

Nec mora, perlectis reſcribat multa iubeto:
Odi cum late ſplendida cera vacat.
Comprimat ordinibus verſus, oculoſque moretur
Margine in extremo littera raſa meos.

Vult ſcilicet Poeta, *interprete* DANIELE CRISPINO, ne Amica in ſcribendo ſit nimis breuis; ſed vt ita ordinet verſus, vt anguſta ſint inter binos verſus ſpatia, atque vt literae exaratae etiam extremum occupent marginem. Id vero inprimis curabant καλλιγράφοι, vt literas ſolidas pingerent, verſuſque ducerent rectos. Vnde BASILIVS, *epiſt. CLXXVIII*, ad huiuſmodi librarium ita ſcripſit: Τὰ γράμματα τέλεια ποίει, καὶ τὰς τύπους ἀκολούθως κατάστιζε, *h. e. notas litterarum perfectas ducito, formaſque recto ordine collocato.* Quo autem ſinguli verſus, ſeu *lineae*, ſibi conſtarent, et accurate inter ſe ordinarentur, adhibebant quoddam inſtrumen-

tum

tum, quod Graeci παράγραφον seu παραγραφίδα, Latini postea *praeductal*, appellarunt. Lineas scilicet praeducere parallelas, ad quas librarii scripturam dirigerent, consueuerunt. Hoc posteriori aeuo *regulare* dixerunt. Quo respicit illud CATVLLI, *Epigramm. XXII. Membrana directa plumbo.* Idem vetus Epigramma Graecum:

Τὸν τροχόεντα μόλυβδον ὃς ἀτράπον οἶδε χαράσσειν.
Ὀρθὰ παραξύων ἰθυτενῆ κανόνα.

Orbiculare plumbum, quod semitam nouit sculpere,
Recta radens in rectum extensam Regulam.

Huic enim vsui inseruiebat non tantum stylus ferreus, sed plumbum etiam, seu potius, quod SALMASIVS probat, tenuis e plumbo lamina, et in rotundum formata; quae dirigebatur, vel ope thecae calamariae, quae simul vicem regulae praestabat; vel etiam ope peculiaris regulae, quae κανονὶς, seu κανὼν, appellabatur. Plumbum vero illud, peracta scriptura, deinceps detergebatur. *Vid.* SALMAS. *ad Solinum p. 644. et* ISAAC. VOSSIVS *in Catull. p. 55.* Postrema aetate, versuum recte ducendorum caussa, *puncta* certa singulorum versuum initio ac fine descripta, vel subulis notata, deprehenduntur; intra quae exarati sunt ipsorum versuum ductus, quos *sulcos* appellarunt; idque praecipue in Codicibus MSCtis membraneis obseruatum. Hinc auctor Chronici Trudonensis, *Libro VIII*, dixit: *Graduale vnum propria manu formauit, purgauit, punxit, sulcauit, scripsit, illuminauit, musiceque notauit syllabatim.* Quem locum debeo CAROLO DU FRESNE, *in Glossario*, sub voce *punctare.* Vbi idem hos quoque versus RADVLPHI MONCHII, Monachi Vedastini, attulit:

Cum librum scribo, Vedastus aethere summo
Respicit e coelis: notat et, quot grammata nostris
Depingam calamis; quot aretur pagina sulcis;
Quot folium punctis *hinc hinc laceretur acutis.*
Tuncque fauens operi nostro, nostroque labori,
Grammata quot, sulci quot sunt, quod denique puncti,
Inquit, in hoc libro; tot crimina iam tibi dono.

Instrumentum quo membranae pungebantur, tunc dictum est *punctorium*; vnde a GVIGONE *in statutis Cartusianorum, cap. 28, §. 2.* quem citat laudatus CAROLVS DU FRESNE, refertur inter supellectilia libraria: *Scriptorium, pennas, cretam, pumices duos, nouaculas, seu rasoria duo,* punctorium *vnum, subulam vnam, plumbum, regulam, postem ad regulandum, tabulas, graphium,* et reliqua.

regulam

 V. Ve-

V. Venimus nunc ad materiam, qua veterum literae ſcribi charta atque membranis pingique conſueuerunt. Quae iterum ſane multiplex reperitur. Communis vero vſus atramentum fuit, quod VITRVVIO, *L. VII, c. 10, de Architectura*, vocatur atramentum librarium; at CORNELIO CELSO, *L. VI, c. 4. dicitur* atramentum ſcriptorium. Huius plura genera PLINIVS, *Lib. XXXI, c. 6.* enumerauit. Atque PETRVS MARIA CANEPARIVS, *Cremonenſis*, de his peculiarem librum conſcripſit, qui Venetiis, An. MDCXVIIII, et Londini, MDCLX, impreſſus prodiit. Veterum autem atramentum multum ab hoc noſtro diſtuliſſe, demonſtrat LEO ALLATIVS, in opere hucusque aliquoties laudato, N. LXXIX. Idque dilucidius nonnunquam facile degeneraſſe in ſubflauum languidumque colorem, obſeruat MABILLONIVS *l. c. c. 10, p. 42.* Sed praeter atramentum, rubrica, aureo item atque argenteo liquore, libros antiquos deſcriptos eſſe, inuenimus. Carbonis etiam atque cretae meminit MARTIALIS, *Lib. XI, Epigr. 62.*

Qui carbone rudi putrique creta
Scribit carmina.

Adhaec, ceruſſam in ſcribendo adhibitam, indicat *L. 1. Cod. Theodoſ. de veteranis*; vnde ceruſſatae tabulae, i. e. ceruſſa ſeu albo colore illitae. Atramento frequentius coniunctus fuit rubricae et minii vſus, praecipue in pingendis librorum titulis atque capitibus. Quo loco notandum, rubricam, minium, et coccum, apud auctores ſaepius confundi; cum tamen diſtincta ſint colorum genera. Rubrica ἐκ τῆς ὤχρας κατακαιομένης, ex ochra exuſta, fieri dicitur, et alioquin inter auſteros colores, qui minus lucidi floridique, nec tam vegeti intenſique luminis, adeoque obtuſius pinguiusque relucent, a PLINIO *L. XXXV, c. 6.* refertur. Minium vero inter colores pretioſos et floridos, quos Graeci ἀνθηρὲς dicunt, recenſetur, et primo a CALLIA ATHENIENSI inuentum traditur. Auctore PLINIO, *L. XXXIII, c. 7.* fuit quondam inter pigmenta magnae auctoritatis; quoniam et diebus feſtis Iouis ſimulacri faciem, eiusque inſignia, neque minus triumphantium corpora, aliaque, quae ad pompam et ſpectacula producerentur, minio illini, mos fuit. Id quod SERVIVS quoque teſtatur *ad Eclog. V et X Virgilii.* Coccum denique eſt, cui tribuitur color acutiſſimi rubri, ad quem accedat purpurae rubrae lumen; quanquam non in omnibus locis, vbi naſcebatur, eundem colorem habuit. Coccus vero tinctoria, frutex paruus ſurculoſusque eſſe fertur, cui grana, vt lentes, adhaerent.

haerent. Ea grana ſcatere intus vermiculis dicuntur, quorum ſanies eximium illum colorem coccinum efficiat. De quibus rebus omnino magnus ille auctor in Solinum eſt conſulendus. Huiusmodi vero colorum paſſim fit mentio, quum de libris ornatis ſcriptores loquuntur. Exempli loco poteſt eſſe illud OVIDII, *L. I Triſt. El. 1.*

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Nec non MARTIALIS *Lib. III, Epigr. 2.*

Et cocco rubeat ſuperbus index.

Item SYMMACHVS de Epiſtolis ſuis: *Iure vobis*, inquit, *in hoc opere rubricae, prima ſermonum officia, dedicarentur.* Maxime vero legum tituli et capita miniabantur; ſcilicet, vt TVRNEBVS, *Aduerſ. L. IV, c. 5.* innuit, quo maieſtas legibus accreſceret, et cruentum quoddam fortaſſe ſignificaretur; vel quoque diſtinctionis et memoriae iuuandae cauſſa. Hinc IVVEN. *Satyr. XIV, v. 192.* cecinit:

Scribe, puer, vigila, cauſſas age, perlege rubras
Maiorum Leges.

Hinc adeo factum, vt rubricae pro ipſis Legibus aliquando dicerentur. Ita cecinit PERSIVS, *Sat. V, v. 90.*

Excepto, ſi quid Maſuri rubrica vetauit.

Sed poſterioribus ſaeculis euenit non nunquam, vt picti et miniati eiusmodi tituli, cum deſcriptis iam et confectis libris demum adderentur, negligentia ſcribarum ſint omiſſi, vacuaque ſpatia relicta. Speciatim etiam hic de ſacro *encauſto* dici poſſet, quo Imperatores Orientis in ſubſcribendis literis ſunt vſi; quem purpureum liquorem alii ex arboris ſucco, alii ex muricis ſanguine expreſſum, affirmant. Sed, cui libet, adeat PANCIROLL. *L. I Memor. Tit. 1 de Encauſto;* qui ibi etiam viridium literarum, quibus ſubſcripſerunt Principes, meminit. Add. MABILLON. *de re diplomat. L. I, c. 10.* GER. IO. VOSSIVS, *in Etymologico Linguae Latinae, ſub voce Encauſti;* et CAROLVS DU FRESNE, *in Gloſſario Latino.* Praeter haec, aureis etiam et argenteis literis multumque variegatis coloribus veterum libros deſcriptos eſſe, quamplurimis exemplis patet. Nolumus iam repetere teſtimonia HIERONYMI et ISIDORI, ſupra alium in finem a nobis citata, quae idem atteſtantur. Neque plane animo excidiſſe arbitramur, quod ex IOSEPHO de membranis tenuiſſimis, quibus Lex diuina literis aureis inſcripta fuit; item, quae ex ZONARA de verſibus Homeri, literis aureis ſcriptis, ſupra attulimus. Certe varios eiusmodi codices nominat MABILLONIVS; inprimis vero *Pſalterium* in membrana purpurea, aureis argenteisque characteri-

bus Romanis exaratum, quod in Bibliotheca S. Germani a Pratis extare tradit, prae reliquis laudat. Et ſane dignus etiam eſt, quem admireris, codex ille Graecus antiquiſſimus in Theologicis Biblioth. Vindob. ſecundus, membranaceus, purpureus, aureis et argenteis literis maiuſculis, absque accentibus ante mille et trecentos annos exaratus, ſimulque quadraginta octo picturis aeque vetuſtis ornatus; qui continet *Geneſin*, ſiue primum hiſtoriae Moſaicae librum; quem adeo vnum ſine dubio ex illis S. Scripturae Codicibus eſſe, quos HIERONYMVS *loco ſupra citato* deſcribit, cenſet illuſtris LAMBECIVS, *Comment. Biblioth. Vindob. L. II, p. 1010. et L. III, p. 2, 15.* His adiungendus codex ille argenteus, qui in Bibliotheca *Abbatiae Verdenſis* adſeruatur; ex quo Euangelia Gothice conſcripta FRANC. IVNIVS edidit. In quo codice vnum alterumque verſum ab initio cuiusque κεφαλαίȣ aureis literis; ceteros omnes argenteis, depictos eſſe, refert TH. MARESCHALLVS, *in obſeru. de Vlphilae verſ. Goth. p. 389.* Cuiusmodi Libri plures in Bibliothecis illuſtribus, et in Catalogis Codicum MSCtorum annotati, paſſim occurrunt, quos deſcribere ſuperuacaneum nunc exiſtimamus. In MSCtis vero Codicibus poſteriorum ſaeculorum primae tantum literae librorum capitumque, non modo minio, ſed auro etiam atque argento, pictae et variis ſubinde figuris exornatae, plerumque deprehenduntur: quae vocari ſolent literae *capitulares.* Quae conſuetudo aliquantiſper permanſit, cum ars librorum typis excudendorum iam adinuenta eſſet. Eiusmodi librum, anno MCCCCLVIIII, per IOH. FVST, *ciuem Moguntinum*, et PETRVM GERNSHEYM, *Dioeceſeos illius Clericum*, nitidae membranae impreſſum, cui titulus eſt: *Rationale officiorum diuinorum*, in Bibliotheca Academiae Lipſienſis Paullina, in duplo videre licet: vbi in ſingulorum librorum initiis literae itidem auro pulcherrime pictae conſpiciuntur. Aſt de antiquiorum libris adhuc obſeruandum: membranas illas, quae aureis argenteisque literis ornabantur, purpureas plerumque fuiſſe; vt nimirum auri argentique color eo magnificentior atque illuſtrior in iis appareret. Id quod ex iis, quae modo annotauimus, ſatis intelligitur. Atque inprimis huc referenda ſunt illa ISIDORI verba: *Inficiuntur colore purpureo, in quibus aurum et argentum liqueſcens pateſcat in literas.* Hunc ſcribendi modum primo Principibus et Magnatibus peculiarem fuiſſe, nec tamen promiſcue ab iis vſurpatum, MABILLONIVS itidem *l. c.* oſtendit. Ex qua vero materia conſtiterint eiusmodi aureus, vt et ceteri colores in exarandis et ornandis libris

adhiberi

apitis

adhiberi ſoliti, ex Papia docet CAROLVS DU FRESNE, *in Gloſſario*, ſub voce *Aurigraphus*: *Scribebantur*, inquit, *libri diuerſis coloribus, quos facere poteris huiusmodi factis confectionibus. Argenteas literas facies, ſi aeris florem et alumen aequis ponderibus in argento contriueris. Aureas facies, ſi alumen et aeris florem aequo pondere aceto infuſum de auro in aurum, vſque ad mellis Attici craſſitudinem triti perduxeris. Aereum colorem facies, ſi ſal et alumen rotundum aequi ponderis in aereo vaſculo aceto infuſo in aeramento teras, vſque ad mellis Attici craſſitudinem. Hoc etiam ferreum facit.*

VI. Ad iſta, quae hucusque propoſuimus, proxime accedunt, quae nunc de imaginibus et picturis dicemus, quas veteres non minus ſplendoris augendi, quam ſeruandae perpetuae memoriae, rerumque euidentius declarandarum cauſſa, libris ſuis addiderunt. Iis enim non tantum (quod ſtatim in prooemio huius diſputationis innuebamus) ſolenne fuit, clarorum virorum, et maxime eorum, quorum ſcripta et libros poſſidebant, effigies in Bibliothecis dicare; quas vel fuſas, vel ſculptas, vel quocunque modo expreſſas, partim in atrio ſuſpenderunt, partim in pluteis, ante ſuos quemque libros, collocarunt. Vid. FIGRELIVS *L. de ſtatuis Illuſtrium Roman. c. XXIV.* et TH. BARTHOLINVS, *diſſert. II de libris legendis.* Verum eiusmodi *iconas* ipſis quoque libris inſerere coeperunt. Teſtis eſt NEPOS noſter, qui de Pomponio Attico, in vita eius, *c. XVIII*, haec habet: *Qui honore rerumque geſtarum amplitudine ceteros praeſtiterunt, verſibus expoſuit; ita, vt ſub ſingulorum imaginibus facta magiſtratusque eorum non amplius quaternis quinisque verſibus deſcripſerit.* Quod PLINIVS etiam, *lib. XXXV, c. 2.* confirmat, addito ſimul M Varronis exemplo: *Imaginum*, inquit, *amore flagraſſe quondam, teſtes ſunt et Atticus ille Ciceronis, edito de his volumine, et M. Varro, benigniſſimo inuento, inſertis voluminum ſuorum fecunditati, non nominibus tantum ſeptingentorum illuſtrium, ſed et aliquo modo imaginibus; non paſſus intercidere figuras, aut vetuſtatem aeui contra homines valere.* Quin, ipſorum praecipue Auctorum imagines libris praefixas eſſe, colligunt quidam ex SENECA, *cap. VIIII de Tranquillitate.* Ita vero hic ſcribit: *Iam inter balnearia et thermas, bibliotheca quoque, vt neceſſarium domus ornamentum, expolitur. Ignoſcerem plane, ſi a ſtudiorum nimia cupiditate oriretur. Nunc iſta exquiſita et cum imaginibus ſuis deſcripta ſacrorum opera ingeniorum in ſpeciem et cultum parietum comparantur.* Certe in quadratis libris (de quibus ſpeciatim in quarta diſputatione agemus)

 prima

prima tabellarum plerumque vultum Auctoris gessisse videtur. Luculenter hoc MARTIALIS, *L. XIV, Epigr. 186,* de Virgilio suo in membranis testatur:

Quam breuis immensum cepit membrana Maronem!
Ipsius vultus prima tabella gerit.

Dici vero non potest, quantum hae picturae ad antiquitates veterumque ritus illustrandos conferre possint. Etenim non hominum modo, sed plantarum etiam, animalium, aliarumque rerum effigies pictas dederunt. De antiquissima depingendarum herbarum ratione testantur haec PLINII verba, ex *Lib. XXV Histor. Nat. c. 2: Praeter hos Graeci auctores medicinae prodiere, quos suis locis diximus: Ex his Euax, Rex Arabum, qui de simplicium effectibus ad Neronem scripsit; Crateuas, Dionysius, Metrodorus, ratione blandissima; sed qua nihil pene aliud, quam rei difficultas intelligatur. Pinxere namque effigies herbarum, atque ita subscripsere effectus. Verum et pictura fallax est, et coloribus tam numerosis, praesertim in aemulatione naturae, multum degenerat transscribentium sors varia etc.* Hinc et in illo vetustissimo codice Dioscoridiano, qui in Bibliotheca Vindobonensi extat, de quo supra mentionem fecimus, itidem plantarum, animalium, aliarumque rerum descriptionibus effigies quoque coloratas esse adiectas, LAMBECIVS, *Comment. Bibl. Vindob. P. II, p. 536. seqq.* commemorat. Inter alios autem antiquos codices variis imaginibus exornatos, maxima certe admiratione dignum esse videtur Calendarium illud Romanum, egregium vetustatis monimentum, atque pulcherrimum Bibliothecae Vindobonensis cimelium, sub Imperatore Constantino, Constantini M. Filio, circa annum Christi CCCLIV. compositum, et Valentino cuidam dicatum: in quo singulis mensibus suae appictae sunt imagines. Quod totum vna cum omnibus eo pertinentibus *iconibus* aeri incisis, summi nominis vir, PETRVS LAMBECIVS, *L. IV Commentar. de Bibl. Caesar. p. 277, seqq.* euulgauit. Idemque nunc etiam in praestantissimo *antiquitatum Romanarum Thesauro*, quem vir immortalis famae, I. G. GRAEVIVS edidit, reperitur. Neque minus rerum antiquarum aestimatoribus iucundae vtilesque esse possunt XXXXVIII. picturae, quas ex fragmentis illis *Geneseos* ante mille trecentos annos scriptis, (de quibus ante diximus) accurate delineatas, notisque atque obseruationibus illustratas, itidem publico bono exhibuit illustris LAMBECIVS *L. III Comm. de Bibl. Vindob. p. 2, seq. conf. L. II, P. II, p. 1007, seq.* Eadem vero *Geneseos* fragmenta iisdem chara-

racte-

racteribus, iisdemque imaginibus ornata, in Bibliotheca Cottoniana asseruari dicuntur. Pauca haec vetustioris picturae exempla ex omni copia adduxisse in praesens sufficiat; quippe quibus sententiam nostram satis iam declarari posse, arbitramur. Non vero plane abs re fuerit, vel tribus verbis monere, istiusmodi picturas vtplurimum in fundo, vel aureo, vel viridi, vel coeruleo, exhiberi, eiusque generis esse, quae vulgo *miniaturae* dicuntur; quarum colores gummi atque aqua sunt temperati. Atque veteres quidem in obseruandis figurarum proportionibus, miscendisque coloribus, simpliciores; at in puris coloribus eo diligentiores atque accuratiores fuisse, ex antiquioribus libris apparet. Figurarum enim artificium saeculo decimo quinto coepisse, affirmat Cl. BVRCARD. GOTTHELF. STRVVIVS, *in Actis literariis, p. 10.* Vbi etiam prae ceteris artem illam miratur, qua tenues auri lamellas membranis ita impegerunt veteres, vt vix inde separari queant, super quas deinceps variegatis coloribus pingere consueuerunt; quod artificium Cl. Auctor hodie inter res deperditas, aut certe non in vulgus notas, numerandum existimat. Ceteroquin, obseruante hoc Cl. Auctore, praesertim saeculo sexto, septimo et octauo, literae initiales maiores singularem ornatum habuerunt, dum variis animalium aliarumque rerum figuris expletae apparent. Aliquando Auctorum atque aliorum hominum imagines pictas continent, saepiusque totam paginam adimplent. *Vineolas*, aut *viticulas*, et Gallice *vignettes*, Graece ἀςραγάλους τοῦ χάρτου, eiusmodi ductus appellari deprehendo; fortasse, quia vites, fruticesque quasi depictos repraesentarunt. Cuiusmodi codices sicuti vbiuis fere in Bibliothecis obuii sunt; ita non pauci in Paullina extant. Prae aliis vero arrisit mihi perquam vetustus codex membranaceus, Calendarium Sanctorum atque Psalmos Latinos, aliasque precationes complectens: in quo non tantum literae eiusmodi, quas modo diximus; sed variae etiam imagines aliae inueniuntur. Reliquum esset, vt hoc loco etiam de *Coronide* diceremus: quam notam veteres librorum fini appinxisse perhibentur. Sed, quae nostra sit de hac coronide sententia, in sequenti disputatione, num. XVI, pluribus exponemus.

VII. Vt vero ipsi tandem huic exercitationi coronidem imponamus; non nisi pauca de cedrio subiiciemus, quo veteres libros suos, quos perennare voluerunt, inunxerunt. Sic enim cecinit OVID. *Lib. I Trist. El. 1.*

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Sic

Sic MARTIALIS *L. III, Epigr. 2:*

Cedro nunc licet ambules perunctus.

Et alii paſſim. Fuit illud oleum ex cedro expreſſum, quo ſubtiliter chartam fricarunt, vt libros a carie et tineis immunes ſeruarent, neque minus odoriferos redderent. Scribit enim SALMVTHVS in *Panciroll. L. I N. R. Tit. de Charact. liter.* cedrium cum ob inſignem ſui amaritudinem, tum ob excellentem, quam habet, ſiccandi facultatem, valere cauſſam corruptricem interiorem compeſcere, remque ſibi creditam in immenſum conſeruare. Atque VITRVVIVS *L. II de Archit.* ait, libros oleo cedrino unctos, nec tineas, nec cariem, timere. Quod etiam PLINIVS docet de libris Numae repertis, quos DXXXV annos illaeſos fuiſſe refert; quia cedrati fuerint. Quanquam HADRIANVS ex MSC. ibi *citratos* legat; et BARTH. MERVLA, *in Ouid. L. I Triſt. El. 1,* obſeruarit, quosdam habere *ceratos.* Ob tantam igitur huius arboris virtutem veteres non ſolum maiorum effigies, ſed Deorum quoque ſimulacra compoſuerunt, teſte PLINIO, *L. XIII, c. 5.* Imo cedrium etiam ad conſeruanda defunctorum corpora adhibuerunt, auctore eodem PLINIO, *L. XXIIII, c. 5.* Neque minus ex ſententia SOTIONIS, Graeci rei ruſticae ſcriptoris, extrema vitium plantatarum pars cedrino oleo eſt illinenda; quoniam τὰ ἑρπετὰ κωλύει ὀσφραινόμενα ἐσελθεῖν, *reptilia adrepere prohibet odore*, teſte FLORENTINO, *Geopon. 5, 9.* Hinc adeo explicanda illa prouerbialis locutio, de eo vſurpata, cuius oratio immortalitatem promeretur: *Et cedro digna locutus.* PERSIVS, *Sat. I, v. 41.* Alium vero quendam colorem chartae ex cedrio inductum eſſe, intelligitur ex OVID. *El. 1, Lib. III Triſt:*

Quod neque ſum cedro flauus, nec pumice leuis;
Erubui domino cultior eſſe meo.

Sed abrumpimus hic filum, et reliqua in aliud tempus reſeruamus.

FINIS I DISPVTATIONIS.

ΕΛΕΝΧΟΣ

DISPVTATIONIS II.

DE ORNAMENTIS LIBRORVM VETERVM.

SVMMARIVM.

I. *Prooemium.*

II. *De forma voluminum generatim, eorumque nominibus.*

III. *De materia, ex qua volumina construebantur, et speciatim de discrimine philyrae et tiliae, corii et membranae.*

IIII. *De rarioribus quibusdam voluminum generibus; item de modo conficiendae veterum chartae.*

V. *De conglutinatione chartarum; de paginis, et* συμβολαῖς, *siue commissuris voluminum.*

VI. *De* πρωτοκόλλῳ *et* ἐσχατοκόλλῳ.

VII. *De magnitudine voluminum*

VIII. *De ratione scribendi in voluminibus.*

VIIII. *De interpunctione veteris scripturae, et quibusdam distinctionum notis ornatus caussa aliquando vsurpatis.*

X. *De* ςίχοις *veterum.*

XI. *De maioribus sectionibus et diuisionibus voluminum.*

XII. *De indicibus veterum librorum.*

XIII. *De opistographis, et aduersariis, itemque de margine librorum.*

XIIII. *De more scribendi super genua, et Graeco prouerbio:* Θεῶν ἐν γόνασι κεῖται.

XV. *De vmbilicis voluminum, et* παροιμίᾳ *ad vmbilicum peruenire.*

XVI. *De coronide, et loquendi formula: coronidem rei imponere.*

XVII. *De cornibus librorum.*

XVIII. *De frontibus.*

XVIIII. *De circumcidendorum voluminum ratione.*

XX. *De pumicatis libris; vbi et de charta dentata.*

XXI. *De libris malleatis.*

XXII. *De* σιλλύβοις *et titulis librorum.*

XXIII. *De vncis et loris, quibus volumina constringebantur; item et de menide.*

XXIIII. *De integumentis voluminum.*

XXV. *De complicandorum et explicandorum voluminum ratione; aliisque; item et de formula veterum MSCtis addita: Explicit liber feliciter.*

XXVI. *Finis huius Disputationis.*

Q. D. B. V.

I.

Quae ad interna veterum librorum ornamenta pertinuerunt, ſuperiore exercitatione pro virili parte expoſuimus; rem aliquanto frequentius obuiam, velut quae ab aliis ſic ſatis explicata invenitur. In difficultatem paullo maiorem ea videntur incurrere, quae deinceps de reliquo, eoque potiſſimum externo, librorum cultu atque ſplendore explanabuntur. Ceterum, quo ad cognoſcendum ſingula luculenta magis; magisque in aperto ſint, omnem ſimul vetuſtam illam compingendorum librorum rationem, quantum potero, breuiter ſtrictimque attingam. Etſi vero nonnulla, quae non tam ad ornatum librorum, quam ad neceſſariam eorundem conſtructionem, ſpectarunt, aut quae quocunque modo cum hoc argumento coniuncta videbantur, tralatitia opera hic commemorabuntur; et quanquam nunc demum forte quaedam afferentur, quae in prima iam diſputatione moneri oportuiſſet: illud tamen tanto excuſatius me eſſe facturum arbitrabar; quanto ſaepius accidit, vt res, vſus et dies aliquid moneat; quantoque minus iſtas digreſſiones hominibus huiuscemodi rerum ſtudioſis ingratas fore, ſperabam. Neque vero plane inſolens et ab inſtituto meo alienum fuerit, me iſta omnia ſolo ORNAMENTORVM nomine comprehendiſſe; vtpote cum huius ipſius vocis vim atque notionem iam olim latius patuiſſe, et cuiusuis fere generis inſtrumenta, cultum atque apparatum, ſignificaſſe, teſtimoniis non inutilibus poſſit comprobari. Sed feſtinamus, vt, quam ſemel ingreſſi ſumus viam, liberius proſequamur. Quare ad propoſitum veniemus, et in hac quidem diſputatione operam noſtram cumprimis in forma atque cultu VOLVMINVM VETERVM deſcribendo ponemus.

II. Iam primum omnium ſatis conſtat, non eandem, quae noſtrorum hodie librorum forma eſt, olim ſemper in vſu fuiſſe. Apud veteres enim, non Romanos tantum, ſed Graecos etiam; imo et Ebraeos, rariſſimi fuerunt libri quadrati, iique diſtinctis foliis, vt nunc ſunt, complicati. Totae nonnunquam Bibliothecae ſola vt plurimum oſtentabant volumina, quae circa baculum teretem, in cylindri modum, volui ſolebant. Vnde haec volumina *κυλίνδρους* appellauit DIOGENES LAERTIVS in *vita Epicuri:* Γέγονε δὲ πολυγραφώτατος Ἐπίκουρος, πάντας ὑπερβαλλόμενος πλήθει βιβλίων. Κύλινδροι μὲν γὰρ πρὸς τοὺς τριακοσίους εἰσί. FORTVN. LICETVS de his,

in

in L. de Gemmis annularibus, Schem. III, c. 30. ita ſcribit: *Veteres ſcriptorum ſuorum monumenta non pagellis explicatis, vt nunc ſit, habebant extenta, ſed in ſemet ipſa reuoluta, ſub tubi ſpecie; vnde volumina dicebantur, ad noſtram aetatem etiam eodem nomine traducto; cui non reſpondeat res nominata in paginis noſtrorum librorum extenſis, non inuolutis. Quia libri nunc noſtri volumina non ſunt, vt aeuo Horatii, qui ad hoc alludens cecinit in arte: Vos exemplaria Graeca Nocturna verſate manu, verſate diurna.* Huiusmodi volumina Graeci veteres εἰλίματα, recentiores εἰλητὰ, εἰλητάρια, τομάρια, et κοντάκια nominarunt: Latinis vero κατ' ἐξοχὴν *libri*, item et aliquando *chartae* dicta ſunt, probante CL. SALMASIO, *de modo vſur. p. 413. ſeq.* Vbi is oſtendit, *librorum* appellationem duplicem eſſe, vnam generalem, alteram ſpecialem ac propriam: generali appellatione librum vocari, quacunque materia ſit et forma id, in quo aliquid perſcriptum ſit, cuius rei memoriam conſeruari oportet, ſiue codex ſit, ſiue volumen; ſiue charta ſit, ſiue membrana, aut lignum ceratum, aliudue quid ſcribendo idoneum: ſtrictiore et magis propria notione, librum, ſiue βιβλίον, pro volumine accipi. Quia enim ex βίβλῳ Aegyptiaca primum charta confecta, et ex pluribus chartis inuicem adglutinatis volumen firmatum eſt, idcirco non niſi de chartaceo volumine βιβλίον proprie loquendo ſumi coepit. Complures infimae Latinitatis Scriptores volumina a ſimilitudine rutuli, ſeu rotundi baculi, quo menſurae cumulus exaequatur, *rotulos*, ſeu *rutulos*, appellauerunt. Neque minus Ebraei a conuoluendo מגלות. dixerunt.

III. Materiam, quam in his voluminibus conficiendis veteres adhibuerunt, *chartam*, *membranam*, *philyram*, *tiliam*, *corium*, et *alia* huius generis fuiſſe, VLPIANVS, *L. XXXII Pandectarum, qui eſt de legatis et fideicommiſſis tertius, L. 52,* non obſcure ſignificat. *Librorum*, inquit, *appellatione continentur omnia volumina, ſiue in CHARTA, ſiue in MEMBRANA ſint, ſiue in quauis ALIA MATERIA: Sed et ſi in PHILYRA, aut in TILIA, vt nonnulli conficiunt; aut in alio CORIO, idem erit dicendum. Quodſi in codicibus ſint membraneis, vel chartaceis, vel etiam eboreis, vel alterius materiae, vel in ceratis codicillis; an debeantur, videamus?* Quo loco Iuris Conſultus celeberrimus mentionem facit voluminum ex *philyra* et *tilia* compoſitorum: quae duo alioqui ſaepius confunduntur, cum diſtincta eſſe VLPIANVS innuat. Equidem arbor, quam Latini tiliam dicunt, a Graecis etiam φίλυρα appellatur; quam

SVIDAS ita deſcribit: *φίλυρα εἶδος δένδρȣ ἔχον φλοιὸν βύβλῳ παπύρȣ ὅμοιον. Philyra eſt arboris ſpecies, quae librum (corticem) habet, ſimilem byblo papyri,* Sed et tilia et philyra non ſolum arborem huius nominis denotant; verum etiam generatim arboris tenuiores membranas, inter lignum et extimum corticem latitantes; eo quidem diſcrimine, vt philyra (quae tunicas interiores etiam ex aliarum arborum corticibus alioqui ſignificat) tenuiſſimi corticis nomen ſit; tilia vero aliquanto craſſioris, nec adeo, vti philyra, tenuis. Quod PLINII auctoritate probatur, *H. N. L. XVI, c. 14,* qui de tilia arbore agens: *Inter corticem,* ſcribit, *ac lignum, tenues tunicae multiplici membrana, e quibus vincula TILIAE vocantur; tenuiſſimae earum, PHILYRAE.* Vtramque rem nonnunquam vno corticis nomine ſignificari, notauit GVILANDINVS *de Papyro, m. III.* Nec vero tunc intelligitur ille craſſus et exterior cortex, qui quidem etiam ſcriptioni inſeruiiſſe fertur; at componendis voluminibus, de quibus nunc loquimur, parum idoneus erat: ſed intelligitur tenuis et interior cortex, qui etiam liber nuncupatur. Ita ISIDORVS, *L. VI Orig. c. 14. Liber,* inquit, *eſt interior tunica corticis, quae ligno cohaeret, in qua antiqui ſcribebant. De qua Virgilius: Sic alta liber haeret in vlmo. Vnde et liber dicitur, in quo ſcribimus; quia ante vſum chartae, vel membranarum, de libris arborum volumina fiebant.* Hinc adeo corticea charta dicebatur cum tenuis, tum tenuiſſima, membrana, inter lignum et exteriorem corticem arboris interiecta; a qua diuerſa erat papyracea charta, de qua mox agemus, ex pelliculis papyri Aegyptiacae confecta. Quarum differentiam MABILLONIVS, *de re Diplom. L. I, c. 8, p. 33,* luculenter indicauit. Porro vero VLPIANVS *membranae* et *corii* meminit, quae duo itidem a multis minus bene diſcernuntur. Et ſane res paullo intricatior eſt. Speciatim quidem et vulgari notione haec duo nomina notant pelles animalium ad ſcribendi vſum praeparatas. Neque vero tunc nullum inter membranam et corium intercedit diſcrimen; quod GVILANDINVS, *de Papyro, m. III,* verebatur. Vtriusque diſcrimen praeter alios euidenter oſtendit LEO ALLATIVS, *in Animadu. ad Monum. Etruſc. n. LXIII, p. 113.* MEMBRANA, inquit, *pilis abraſis, vel calce, aut alia temperatura, amiſſis, et interiore parte, qua carnem operit, in ſubtiliſſima folia extenuata eſt;* CORIVM *vero, vt ab animalibus eſt extractum cum mole illa fungoſa, pilis tantum detractis, ea parte, qua pilos excuſſit, literas accepit.* Ex quibus intelligimus, *corium* fuiſſe pellem paullo craſſiorem, Grae-

cis

cis proprie διφθέραν dictam, neque ita plane apteque praeparatam, vt commode ex vtraque facie perſcribi potuerit; *membranam* vero, ſiue *pergamenum*, fuiſſe pellem plenius perfectiusque elaboratam, ita, vt ex vtraque parte ſcripturam capere potuerit. Corii vſum longe vetuſtiſſimum eſſe, cognoſcimus; at Pergameni praeparandi artificium maxime referimus ad ea tempora, quibus Ptolemaeus, Rex Aegyptius, et Eumenes, Pergamenus, in locupletandarum Bibliothecarum ſtudio ſe inuicem aemulati eſſe dicuntur, apud PLINIVM, *L. XIII Hiſtor. nat. c. 11*, et HIERONYMVM, *Epiſtol. XLIII ad Chromatium.* Conferatur et noſtra diſputatio III *de Ornamentis librorum veterum*, §. *V et VI.* Quamuis vero hac ratione *corium* et *membrana* omnino a ſe diſtincta fuerint; in citato tamen loco, VLPIANVS per *corii* nomen, non tam quoddam pellium animalium genus, ſcripturae recipiendae accommodatum, quam generatim tenuiores fruticum, vel arborum membranulas, e quibus etiam praeparabantur chartae, intellexiſſe videtur. Adiungit enim *corii* nomen nominibus *philyrae* et *tiliae*; neque *corium* a *philyra* et *tilia* aliter, quam *genus a ſpeciebus*, vti in ſcholis loquimur, diſcernit. Dicit enim: *Sed et ſi libri ſint in philyra, aut tilia, aut in* ALIO CORIO; *idem erit dicendum.* Quanquam vero IOSEPHVS SCALIGER *aduerſus Guilandinum, p. 20.* tradiderit, verba VLPIANI, *in alio corio*, perperam referri ad corticem arborum a tilia aliarum; communis ſenſus expertem eſſe oportere, qui ſine adiectione corticem, aut librum arboris, corium vocet; ſe intelligere aliud corium, quam tergus ouillum: facile tamen, pluribus comprobari poteſt, *corii* pariter ac *membranae* nomen alias quoque, non modo pelles animalium ſignificare; ſed ad alia etiam integumenta notanda transferri, ſiue ea animalium fuerint, ſiue etiam rerum inanimatarum. Sic apud PLINIVM, *L. XV, c. 18, ficuum corium;* et apud eundem, *L. XVI, c. 14. ligni membrana*, legitur. Sigillatim vero *corium* de tenuiſſima et optima philyra, quae texendae chartae e medio papyri acu ſcindebatur, apud PLINIVM dici, dudum GVILANDINVS *ad Plinium*, et SALMASIVS *ad Vopiſcum*, obſeruarunt.

IIII. Sed praeter membranam, corium, tiliam, et philyram, alias etiam materias, quae volui in rutulum et ſcribi potuerunt, antiqui conficiendis voluminibus accommodarunt. Huc pertinent volumina ſerica, et alia non nulla, quorum in prima iam Diſputatione, *n. II*, mentio a nobis facta eſt. Aliquando et plumbum ita praeparatum fuit, vt in eo non tantum literae exararentur, ſed et

vt idem, ad inſtar aliorum voluminum, conuolueretur. Commemorat enim PAVSANIAS, *L. IV, c. 26,* olim repertum fuiſſe vaſculum, in quo reconditum fuerit plumbum in maximam tenuitatem diductum, et haud ſecus, ac alia volumina, conuolutum, in eoque perſcripta fuiſſe magnarum Dearum initia. Ἀνοίξας, inquit, τὴν ὑδρίαν, εὗρε κασσίτερον ἐληλασμένον ἐς τὸ λεπτότατον· ἐπείλικτο δὲ ὥσπερ τὰ βιβλία· ἐνταῦθα τῶν μεγάλων θεῶν ἐγέγραττο ἡ τελετή. Adhaec et LAMBECIVS, *T. I Biblioth. Vindob. p. 79,* refert, anno 1662, ad portam Auguſtam Vindobonae arcam lapideam e terra fuiſſe erutam, in eaque, praeter alia vetuſta monimenta, repertum fuiſſe paruum inuolucrum rotundum et oblongum ex auro puro, operculo itidem aureo ab vtraque parte clauſum; intra hoc aliud fuiſſe inuolucrum ex aere, et intra aereum aliud ex argento, et intra argenteum denique tenuiſſimam laminam auream, ſtrictiſſime conuolutam, quae inſcriptionem continuerit tanta ſubtilitate exaratam, vt vix qualiacunque literarum incognitarum veſtigia apparuerint. Eius voluminis aurei formam ac ſcripturam, cui libet, apud ipſum LAMBECIVM, *l. c.* videre licet. Sed haec rariſſima voluminum veterum ſunt exempla. Verum omnium frequentiſſime in componendis voluminibus *charta papyracea* fuit vſurpata. Haec enim ad modum noſtrae propemodum chartae et volui maxime poterat, et plicari. Deinde, auctore CASSIODORO, *L. XI, c. 38,* papyracea charta multo facilius, quam corticea, ad decorem literas ſuſcipiebat. Praeterea charta haec, veluti tela quaedam, in immenſum fere ab artifice poterat produci. Tandem volumina ex papyro, leuiori opera atque arte, itemque minore ſumtu, plerumque conſtruebantur. Hinc βιβλία ſtrictiore notione de chartaceo volumine accipiebantur; quia ex βίβλῳ vtplurimum componi ſueuerant. Charta vero illa papyracea, ex papyro, ſeu biblo, quae ad Nilum plurima ſuccreſcebat, confici ſolebat. Vnde συνεκδοχικῶς papyrus pro ipſa charta dici coepit. Modum huius chartae conficiendae docet PLINIVS *L. XIII, c. 12. Praeparantur,* inquit, *ex papyro chartae, diuiſo acu in praetenues, ſed quam latiſſimas philyras: Principatus medio, atque inde ſciſſurae ordine. - - - Texuntur omnes tabula madente Nili aqua. Turbidus liquor glutinis praebet vicem. Primo ſupina tabulae ſcheda allinitur, longitudine papyri, quae potuit eſſe, pro reſegminibus vtrinque amputatis. Transuerſa poſtea crates peragit. Premuntur deinde praelis, et ſiccantur ſole plagulae, atque inter ſe iunguntur, a proximarum ſemper bonitatis diminutione ad deterrimas.*

mas. Nunquam plures ſcapo, quam vicenae. Quae PLINII verba eruditiſſimi viri a nobis antehac citati, multis commentationibus illuſtrare contenderunt. Quarum ſummam hanc accipe: Scilicet caulis papyri, reſectis vtrinque praeſegminibus, diuidebatur ſecundum longitudinem in duas partes aequales; hae poſtea acu, ſeu ferro ſubtiliſſimo, in bracteas, ſiue tenues philyras, diſpeſcebantur: quarum bractearum, quae medio caule continebantur, tenuiſſimae erant, optimamque et tenuiſſimam dabant chartam; ceterae, quae cortici exteriori propius adhaerebant, deteriores exiſtimabantur, minusque bona ex iis charta contexebatur. Porro philyrae illae acu ſeparatae ſuper tabulam, ſeu aſſerem ligneum, madentem turbida Nili aqua, quae conglutinabat plagulas, extendebantur, et, velut ſtatumen in tela extenſum, primam ſchedam conſtituebant. Super iſtas philyras in tabula directas aliae deinde, transuerſa ſerie, velut ſubtemen, decuſſatim collocabantur, quae alteram ſchedam conſtituebant. Adeoque in chartis ſubtemen ſtamini imponebatur, et glutinis ope vtrumque coniungebatur; non vero, quemadmodum in tela, intercurrentibus ſe mutuo et permixtis ſtaminibus, alterum alteri inſerebatur. Vtraque ſcheda, ſiue plagula ſic contexta, et turbido Nili liquore ingeſto (pro quo aliquando gluten vſurpatum) arctius coniuncta, praelis imponebatur, vt redundans aquae humiditas exprimeretur. Inde exemtae ſole exſiccabantur, ſiccatae in ſcapos dirigebantur. Singuli autem ſcapi priſcis temporibus XX, inferiori aeuo, tantum X plagulas continebant; quemadmodum hodie XXV aut XXIV plagulae in vno ſcapo noſtrae chartae numerantur. Denique chartae tales Aegyptiacae Romam delatae in certis chartariorum officinis recurabantur, et magis magisque vſui ſcribendi et ornatui accommodabantur. In cuiusmodi chartis cumprimis tenuitas, denſitas, candor et laeuor, commendabatur, perque magni intererat, ſi ceteras latitudine ſuperarent.

V. Vbi igitur chartae eo, quo diximus, modo paratae erant, glutine in longam ſeriem coniungebantur, pro magnitudine libri futuri. Glutinis vſum in voluminibus parandis innuit LVCIANVS, *in Dialogo aduerſus indoctum, p m. 387*, vbi ſimul et alias ornandorum librorum rationes recenſet. Τίνα ἐλπίδα, καὶ αὐτὸς ἔχων εἰς τὰ βιβλία, καὶ ἀνελλίττεις ἀεὶ, καὶ ΔΙΑΚΟΛΛΑΙΣ, καὶ περικόπτεις, καὶ ἀλείφεις τῷ κρόκῳ καὶ τῇ κέδρῳ, καὶ διφθέρας περιβάλλεις, καὶ ὀμφαλὲς ἐντίθεις; h. e. *Qua ſpe fretus libros ſemper voluis, conglutinas, circumcidis, croco cedroque illinis, pellibus veſtis, iisque indis*

indis vmbilicos? Ex OLYMPIODORO PHOTIVS, *in Biblioth. c. LXXX, p. 190*, de Phillatio, Atheniensi quodam, tradidit, hunc Atheniensibus modum conglutinandorum librorum ostendisse: Ὅτι ζητήματος ἐν ταῖς Ἀθήναις ἀνακύψαντος περὶ τῶν κεκολλημένων βιβλίων μαθεῖν τοῖς ἐπιζητοῦσι τὸ μέτρον τοῦ κόλλου· Φιλλάτιος ὁ τοῦ ἱστορικοῦ (Ὀλυμπιοδώρου) ἑταῖρος, εὐφυῶς περὶ γραμματικὴν ἔχων, τοῦτο ἐπέδειξε, καὶ εὐδοκιμήσας, τυγχάνει παρὰ τῶν πολιτῶν εἰκόνος. Tanto vero plura schedia, siue plagulae, conglutinabantur; quanto spissius conficiendum erat opus. Atque primum quidem *chartae vacuae*, docente VOSSIO, *ad Catullum, p. 52, e propiore analogii, seu pulpiti scriptorii parte, a librariis successiue producebantur, eaedemque, peracta scriptura, in auersam et remotiorem analogii frontem recondebantur.* A qua tamen ratione imago Lucae scribentis, quam, *Fig. VII*, ex LAMBECII *Biblioth. Vindob.* exhibuimus, aliquantum recedere videtur. Istas autem chartarum aliarumque materiarum partes, quae inuicem sibi in longam seriem glutine annectebantur, in volumine etiam *paginas* olim dixerunt. Sic MARTIALIS *Epigr. 6, L. II:*

I nunc, edere me iube Libellos:
Lectis vix tibi paginis duabus,
Spectas ἐσχατοκόλλιον, *Seuere.*

Quam late alteque aliquando patuerint paginae, ex illo MARTIALIS versu, *L. X, Epigr. 1*, suspicari licet:

Terque quaterque mihi finitur carmine paruo
Pagina facta tibi, quam cupis esse breuem.

Ceterum rationem nominis *paginae* reddit ISIDORVS, *L. VI Orig. c. 10. Voluminis partes*, inquit, *paginae dicuntur, eo, quod sibi inuicem compingantur.* Vnde accidit, vt deinceps pagina συνεκδοχικῶς pro toto libro poneretur, veluti apud MARTIAL. *L. V, Epigr. 2:*

Matronae, puerique, virginesque,
Vobis pagina nostra dicatur.

Et *L. I, Epigr. 15:*

Lasciua est nobis pagina, vita proba est.

Sed et *schedae* aliquando partes istae appellabantur. Quod patet ex *Epigr. 91, L. IV* MARTAIALIS:

Obe iam satis est, obe libelle:
Iam peruenimus vsque ad vmbilicos.
Tu procedere adhuc et ire quaeris,
Nec summa potes in scheda teneri.

Sic tanquam tibi res peracta non sit,
Quae prima quoque pagina peracta est.

Summa enim ſcheda hic pro extrema libri pagina, ſeu ἐσχατοκολλίῳ, de quo paullo poſt dicemus, accipitur, primaeque paginae opponitur. Alioqui plures ſignificationes vocis *ſchedae* traduntur; de quibus adeas licet HERMOLAVM BARBARVM, *Caſtigat. Plin. L. XIII, c. 11.* et GVIL. BVDAEVM, *annot. in Pand. ad L. 1, §. Nauem, 6. de Exercit. Act.* GVILANDINVM *in Plin. de papyr. m. 3, p. 97. ſq.* item RADERVM, *ad epigramma ex Martiale modo allatum.* Cumprimis vero inelaborata ſcripta, et nondum compacta, ſchedae dicebantur. Sic ISIDORVS *L. VI Orig. c. 14: Scheda eſt*, inquit, *quod adhuc emendatur, et necdum in libris relatum eſt.* Graeci has conglutinatas voluminum plagulas σελίδας quoque nominarunt. *Videatur* SALMASIVS *ad Vopiſcum p. 703.* Contra vero partes, ſiue plagulae codicum, de quibus alio tempore agemus, Graecis πτυχία, Latinis *tabellae*, proprie dicebantur. Locus, vbi iſtae voluminis partes coibant, et altera alteri in longitudinem agglutinabatur, συμβολή, ſiue *commiſſura*, vocabatur. Quo aptius vero iſtae plagulae cohaerebant, ne *commiſſurae* hiarent; eo pulchriora habebantur volumina. Vnde Rex Ptolemaeus in iſto volumine legis, quod LXX Interpretes a Pontifice Eleazaro attulerant, τῆς συμβολῆς ἀνεπίγνωστον, h. e. *commiſſuras* ita latentes, vt viſu diſcerni non potuerint, multum diuque admiratus eſſe a Ioſepho perhibetur. Ceterum peculiare illud eſt, neque hic plane praetermittendum, quod LEO ALLATIVS, *in Animadu. ad monum. Etruſc. p. 135*, obſeruauit, coria, ex quibus vetuſtiores volumina aliquando confecerunt, nullo glutine, ſed filo tantum, conſuta fuiſſe. Etiam MABILLONIVS, *L. I, c. 8, de re diplom.* memorat, Bullam Iohannis Papae XIII pro Remenſi S. Remigii coenobio, in duabus ſcriptam eſſe membranis, membraneo vinculo per medium ſimul coniunctis.

VI. Prima itaque ſcheda, ſeu plagula, quae primo loco glutinata vtplurimum auctoris nomen et operis titulum initiumque, aduerſa voluminis parte, referebat, πρωτόκολλον dicebatur. Contra ἐσχατόκολλον, ſeu ἐσχατοκόλλιον, ſiue ſumma ſcheda, erat extrema voluminis plagula, cui vltimo loco glutinatae vmbilicus addebatur. Atque hoc ἐσχατοκόλλιον in voluminibus idem erat, quod in codicibus extrema tabella, vel in ceratis codicillis, extrema cera. Rem hanc clariorem reddunt duo illa loca, quae ex MARTIALE

 modo

modo attulimus, videlicet ex *Epigr. 6, L. II, et Epigr. 91, L. IV.* SCALIGER *contra* GVILANDINVM, et GER. IO. VOSSIVS in *Etymologico*, ſub voce *macrocolum*, πρωτόκωλον et ἐσχατοκώλιον, ſcribendum eſſe contenderunt, deducentes has voces a κῶλον, quod eſt *membrum*; quia ſit vel primum, vel vltimum ſcripturae membrum. Sed SALMASIVS *ad Vopiſc. p. 704, et de modo vſur. p. 415*, vulgarem ſcribendi rationem retinere maluit, deriuans has voces ἀπὸ τῦ κόλλα, quod eſt *gluten*; quia, vti diximus, dum plagulae ſcaporum in volumen extendebantur, πρωτόκολλον, primo; ἐσχατοκόλλιον, poſtremo loco, glutinabatur. Alioquin πρωτόκολλόν etiam in chartae ſcapis nondum perſcriptis prima ſcheda appellabatur. Cum enim ſcapus, quemadmodum paullo ante monuimus, plures paginas vel ſchedulas complecteretur; hinc, docentibus CVIACIO, *in Expoſit. Nouell. XLIIII, c. 2*, et SALMASIO *in Vopiſcum, p. 705*, in ſola prima ſcheda annotatum erat, quo Comite ſacrarum largitionum, quo tempore, quo loco, et a quo artifice, charta illa confecta fuiſſet. Hoc autem πρωτόκολλον, ſiue hanc primam ſchedam, cum ſcribendo inutilis eſſet, tabelliones et librarii, veluti immundam, exſcindere conſueuerant. IVSTINIANVS vero, *Nouell. XLIV.* conſtituit, vt in contractibus conſcribendis tabelliones protocolla relinquerent, nec in aliam, quam quae protocollum haberet, chartam mundam contractum regererent. Scribit enim *Βασιλικῶν L. XXII, tit. 2. de tabellion.* Ἐκεῖνο μέντοι τῷ παρόντι προστίθεμεν νόμῳ, ὥστε τὺς συμβολαιογράφυς μὴ εἰς ἕτερον χάρτην καθαρὸν γράφειν συμβόλαιον, πλὴν εἰ μὴ εἰς ἐκεῖνον, ὃς προκείμενον τὸ καλύμενον πρωτόκολλον ἔχει, φέρον τὴν τῦ κατὰ καιρὸν ἐνδοξοτάτυ κόμητος τῶν θείων ἡμετέρων θησαυρῶν προσηγορίαν, καὶ τὸν χρόνον, καθ' ὃν ὁ χάρτης γέγονε, καὶ ὁπόσα ἐπὶ τῶν τοιύτων προγράφεται· καὶ τῦτο τὸ πρωτόκολλον μὴ ἀποτέμνειν, ἀλλ' ἐγκείμενον ἐᾶν. κ. τ. λ. Placet autem ipſa IAC. CVIACII verba, quibus citatum IVSTINIANI locum illuſtrauit, adiicere: *Protocollum*, inquit, *alius maiorem et regiam chartam interpretatur; alius ſchedam negligentius ſcriptam, alius exemplar formularum, quo tabelliones vti ſolent. Omnes errant vehementer. Vt hodie chartae habent notam aliquam, ex qua dignoſcitur, quis eam chartam praeparauerit; ita habebant olim chartae breuem annotationem, quae declarabat, quo Comite largitionum (ſub cuius cura et chartariae erant) quo tempore et a quo praeparatae fuiſſent chartae; ex eo coarguebatur ſaepe falſitas.* Poſtea iſta vox *Protocolli* ad alias etiam res ſignificandas reſtricta eſt. Ita

Proto-

Protocollum aliquando appellatur prima concinnatio, et raptim confecta ſcriptura, quae meliorem compoſitionem deſiderat. Denique et illi libri *Protocolla* dici coeperunt, in quos acta publica referri ſolent. *Videatur* SIMON SCHARDIVS *in Lexico Iuridico*, BESOLDVS *in Theſauro Practico*, *itemque alii.*

VII. Multitudo et numerus plagularum, quae iſto modo ſibi inuicem glutine annectebantur, non facile definitus reperitur. Prout enim libri, vel maiores, vel breuiores erant; ita plures, vel pauciores plagulas continebant. Hinc pro diuerſitate argumentorum, quae tractabantur, exigua aliquando volumina erant, quae vix duabus tribusue plagulis iu longitudinem conglutinatis conſtabant. De cuiusmodi breuiori volumine MARTIALIS loquitur, *Epigr. 6, L. II:*

Lectis vix tibi paginis duabus,
Spectas ἐσχατοκόλλιον, *Seuere.*

Et paullo poſt idem Poeta de exigua voluminum ſuorum mole loquens ſcribit:

Quid prodeſt mihi tam macer libellus,
Nullo craſſior vt ſit vmbilico,
Si totus tibi triduo legatur?

Quemadmodum autem magna in latitudine plagularum chartacearum, ex quibus cumprimis volumina componebantur, differentia fuit, dum, auctore PLINIO, *L. XIII, c. 12, Hiſtor. Natur.* tredecim digitorum fuit optimis chartis; duo detracti ſunt Hieraticae, ἁπλῶς ita dictae; Fanniana denos habuit, et vno minus Amphitheatrica; pauciores Saitica; Emporeticae breuitas ſex digitos non exceſſit: ita ab hac paginarum latitudine nec earundem longitudinem adeo diſcrepaſſe animaduertes, ſi, quae conficiendae veterum papyri ratio fuerit, paullo diligentius attenderis. Erant aliquando parua volumina, quae proprie dicebantur *libelli.* Saepius in conficiendis voluminibus commodioris vſus rationem habuerunt. Huc pertinet, quod MARTIALIS de ſuo libello cecinit, *L. II, Epigr. 1:*

Tercentena quidem poteras Epigrammata ferre,
Sed, quis te ferret perlegeretque, Liber?

Sed et grandia aliquando componebantur volumina, quae pluribus plagulis inter ſe coniunctis producebantur. Huc pertinet illud A. GELLII *L. XIIII, c. 6.* *Dat mihi librum grandi volumine.* Et MABILLONIVS, *de re Diplom. L. I, c. 9*, obſeruauit, etiam inter

ter *diplomata antiqua*, multa occurrere ex papyro Aegyptiaca inusitatae longitudinis volumina. Sic se vel Diploma Benedicti III vidisse testatur, cuius latitudo duorum pedum, sed altitudo ad pedes vnum et viginti, porrigatur. Facile enim in molem amplam excrescebant libri, qui in chartis describebantur; propterea, quod vtplurimum non ὀπισθόγραφοι erant, siue aduersa quoque parte descripti; vnde necesse erat, vt aliquando in plura separata volumina, quemadmodum infra monebimus, dispescerentur.

VIII. Sed haec de magnitudine voluminum in praesens monuisse sufficiat. Nunc, priusquam ad reliqua progrediar, operae pretium facturus mihi videor, si antiquam scribendi rationem in voluminibus breuiter exposuero. Nolo autem latius euagari, et varia scripturae genera, apud diuersas gentes diuersis temporibus vsitata, pluribus commemorare. Magna scilicet est diuersitas scribendi non in codicibus solis, sed etiam in voluminibus, ratione loci, et eius, vnde; et illius, quo scribentes procedere solent. Sane HERMANNVS HVGO, *in libro de prima scribendi origine*, *c. VIII*, quatuor ac viginti huiusmodi modos recensuit: inter quos quatuor potissimum in vsu frequentiores fuerunt. Nonnullae enim gentes a dextra sinistrorsum scripserunt; qualis scribendi ratio Ebraeorum, Chaldaeorum, Syrorum, Arabum, aliorumque in Oriente populorum, et hodie magnam partem Indorum est. Aliae gentes itidem a dextra sinistrorsum scripserunt; sed, vbi ad sinistram paginae partem deuentum, inde dextrorsum in scribendo recurrentes, versus, siue *lineas*, duxerunt; quemadmodum boues in arando sulcos deducunt. Quod vetustissimi Graeci βουστροφηδὸν γράφειν vocarunt. Rursus alii a summo in imum scripserunt. Atque hunc scribendi modum, quo olim, *teste* DIODOR. SIC. *L. II*, Taprotanae vsi sunt, hodieque Sinenses et quidam Indorum vtuntur, Graeci *Taepocon* dixere. (De cuius vocis scriptura et origine adeundus SAM. PETITVS, *Comm. in LL. Atticas*, *L. II*, *c. 1.*) Quartus deinceps scribendi modus, est a sinistra dextrorsum; quem non solum nos Germani sequimur, aliique; sed Graeci etiam atque Latini, in codicibus iuxta atque voluminibus describendis, olim adhibuerunt. Qua de re consulas licet IO. GER. VOSSIVM, *de arte Grammat. L. I*, *c. 34.* Nec dubium est, quin VINC. CONTARENVS, *in Commentariis suis de vniuersa scribendi ratione*, quos LAVR. PIGNORIVS, *in libro de Seruis veterum*, laudauit, plura congesserit; si opus hoc vnquam lucem adspexit.

Quod vero ſpeciatim ad poſtremam ſcribendi rationem attinet; cum Graeci, tum Latini, ſi volumina conſcribebant, initium a πρωτοκόλλῳ, ſiue prima ſcheda, faciebant, adeo, vt titulo operis et auctoris nomine, neque non indicibus, qui collectam materiarum ſummam exhibebant, aliquando praemiſſis, per latitudinem voluminis dextrorſum ſcriberent, ita, vt verſus quiuis, ab altera ora coeptus, in altera deſineret. Quod cum varia Scriptorum loca teſtentur, ſatis iam imago Lucae ſcribentis, *quam Fig. 7.* ex LAMBECIO *exhibuimus*, declarare valet. Atque Graeci quidem et Latini continua orationis ſerie in voluminibus ſcripſerunt, nec, quamuis fieri potuiſſe haud inficias eam, in varias columnas, ſiue, areas, vti Ebraei, de quibus alias dicam, ſcripturam diſtinxiſſe deprehenduntur, niſi interſtinctiones veteris ſcripturae librorumque ſectiones, huc quodammodo referre velis.

IX. Equidem vltima Graeciae tempora, ſicut accentus, ita etiam interpunctionem, qua ſecamus et partimur res ſcriptas, prorſus ignorarunt; vtpote quibus in more poſitum fuit, voces ſuas maiuſculis litteris ſcriptas, nullo diſtinctas interſtitio, exarare, ſed continua verborum ſerie argumentum perficere. Illud tamen iudice CROIO, *in obſeruat. ad N. T. c. 2,* veroſimillimum eſt, ſcriptores, ſiue ſacros, ſiue profanos, quum nouum aliquod argumentum proponerent, id a prioribus diſtinxiſſe, aut ſeparaſſe, vel interuallo, vel nota aliqua; vnde occaſio deinceps totius alicuius operis diſtinguendi enata ſit. Ceterum prouocant viri eruditi ad vetuſtiſſima marmora e Graecia in Angliam deportata, quae Arundeliana vocantur; item ad inſcriptiones et codices antiquos, in quibus nec accentuum, nec interpunctionum, notae deprehenduntur. Speciatim RICH. SIMONIVS, *in Hiſt. Crit. N. T.* commemorat, antiquiſſima Noui Foederis exemplaria ſine vlla diſtinctione non ſolum capitum, ſed etiam vocum, exarata eſſe: Cantabrigienſem Codicem illis diſtinctionum ſignis prorſus carere: Regium et Benedictinorum ad D. German. Codices, qui Pauli Epiſtolas continent, ſcriptos eſſe abſque diſtinctione punctorum, et virgularum; licet voces accentibus ſint ornatae, qui tamen ab alia manu adiecti videantur. Cuiusmodi vetuſtae ſcribendi rationis aliquot teſtimonia ex LAMBECIO, aliisque, iam ſuperiori Diſputatione, num. III, nos proferre meminimus. Atque haec quidem ſcriptura ſatis diu frequentata eſt, vsque dum Grammatici, qui et Literatores ac Polyhiſtores audiebant, apud Graecos inualeſcerent.

lescerent. Hi, cum studio Philologiae dediti essent, codices et volumina veterum tractabant, idque cumprimis agebant, vt, excogitatis variis doctrinae adminiculis, iuuentuti studiosae quam planissimam et maxime explicatam discendi rationem redderent. Inter hos itaque Aristophanes, Grammaticus Alexandrinus, primus omnium accentus et distinguendi modum excogitasse perhibetur. Quem Aristophanem saeculo ante Christum natum secundo, nempe Olympiade CXLV, sub Aegypti Rege, Ptolemaeo Epiphane, potissimum claruisse, docet CL. SALMASIVS, *Epistol. CLXXXIII, inter Sarrauianas*, ibidemque monet, apud SVIDAM pro Olympiade CXLV, corrupte XLV legi, adeoque pro κατὰ τὴν μέ ὀλυμπιάδα, scribendum esse, ρμέ. Quod mendum Cl. NEOCORVS ex praestantissima sua Suidae editione, ope librorum MSC. Parisiensium, nunc eliminauit. Sed vtcunque est, primus iste interpunctionum auctor, cum animaduertisset, in pronunciatione interualla quaedam dari, per quae auditor loquentem sequatur, et sententiae pondera expendat; hinc ad iuuandam lectionem scriptionemque pueris tradendam, non tantum singulas voces, quae antea connecti sueuerant, separatim scribere docuit; Sed etiam ista respirandi interualla per vnicum punctum, sed tribus diuersis modis positum, distinxit, quo κόμματα, κῶλα, περίοδοι, discernerentur. Etenim, quod CICERO, *libro III, de Orat.* notauit, *clausulas atque interpuncta verborum, animae interclusio atque angustiae spiritus attulerunt.* Cui CASSIODORVS, *L. I Instit. diu. lect.* assentiens: *a maioribus*, inquit, *posituræ sunt inuentae, vt spiritus longa dictione fatigatus vires suas per spatia discreta resumeret.* Atque hoc quidem interpungendi inuentum primum in familiari scribendi ratione, et iuuentute erudienda, maxime vsu venit, aliis interim, qui veterum morem praeferebant, libros suos absque distinctione exarantibus: vsque dum posteriori tempore sensim ea consuetudo introduceretur, vt non solum accentus et interpuncta libris recenter scriptis adiicerentur, sed antiquis etiam voluminibus atque codicibus quasi postliminio allinerentur. Hoc στίζειν, διαστίζειν, καταστίζειν, et sic porro, Graeci appellarunt. Ita LEO ALLATIVS, *libro de Patria Homeri, c. V*, meminit Grammatici veteris, nescio cuius, qui Cometas dictus, gloriatur, se in Homerico opere sententias interpunxisse, cum antea nulla fuissent distinctione subdiuisa:

Ἑυρὼν

*Εὑρὼν Κομητᾶς τὰς Ὁμηρείους βίβλους
Ἐφθαρμένας τε, κοὐδαμῶς ἐστιγμένας
Στίξας διεσμίλευσα ταύτας ἐντέχνως
Τὴν σαπρίαν ῥίψας μὲν ὡς ἀχρηστίαν,
Ἐντεῦθεν οἱ γράφοντες οὐκ ἐσφαλμένως
Μαθητιῶσιν, ὡς ἔοικε μανθάνειν.*

Haec de veterum Graecorum interpunctione. Prisci autem Romani, Graecos imitati, (a quibus et linguam suam acceperant,) similiter orationem primum non interstinxerunt, sed voces continua serie posuerunt. Cuiusmodi libros, qui nullam ferme vocum distinctionem ostenderunt, se vidisse testatur CL. SALMASIVS, in epistola ad Sarrauium, inter Sarrauianas illas *Vltraiecti An. 1697 editas CLXXXIII, p. 186.* Quam epistolam etiam LAMBECIVS, *L. II, P. II, c. 7, Biblioth. Vindob.* excerpsit, eandemque, nescio quo errore ductus, ab ipso Sarrauio ad Salmasium scriptam esse affirmauit. Idem vero LAMBECIVS, *L. II, c. 7. p. 522,* refert, exempla huius rei non pauca extare in Augustissima Bibliotheca Caesarea; sed prae ceteris rarissimum esse Codicem quintae Decadis Titi Liuii maiusculis litteris, sine vlla vocum et sententiarum distinctione exaratum. *Conf. p. 799, et 943.* Nec tamen adeo diu ista scribendi ratio inter Latinos durasse videtur. Nam deinceps in publicis praecipue monimentis, in lapidibus atque marmoribus, singulas voces punctis ad fundum, aut medium corpus vltimae literae, collocatis, interstinguere coeperunt, ita tamen, vt in fine et vltimo elemento versus nullam facile distinctionem adderent. Vnde istae inscriptiones plerumque fallere creduntur, vbi puncta fini versuum apposita deprehenduntur. Quod bene obseruauit Cl. FABRETTVS, *in Inscription. Antiqu. Syntagm. c. III, n. 1, p. 117. Puncta,* inquit, *inter verba frequentissime obseruabis; in fine tamen versus raro interpungi solere, temporibus praesertim correctioris orthographiae, comprobare possumus.* Quanquam neque hanc regulam perpetuam esse, haud paucis exemplis ostendi queat. Hanc ipsam autem singularum vocum per singula puncta distinguendarum rationem sicuti inscriptiones vetustae, quas GRVTERVS, REINESIVS, et alii, summa cum laude collegerunt, satis luculenter declarant; ita et SALMASIVS in laudata epistola testatur, plurimos quoque libros, qui vncialibus et capitalibus literis scripti olim fuerunt, voces inuicem habere distinctas. Atque sic ERYC. PVTEANVS, *in Facula Distinctionum,* haec CICERONIS verba in *Oratione*

tione pro Muraena Iurisperitos vellicantis capi oportere censet: *Dignitas in tam tenui scientia, quae potest esse? Res enim sunt paruae, prope in singulis literis atque interpunctionibut occupatae.* Neque minus vero pro arbitrio artificum, qui monimenta conficiebant, alia quoque signa singulis aliquando vocibus, quamuis rarius, interposita inueniuntur. Cuiusmodi exempla in operibus inscriptionum passim occurrunt. Modo enim singulis verbis, loco puncti, hanc figuram √ interseruerunt: vt apud GRVTERVM, p. 352, n. V.

ANICIAE √ FALTONIAE
PROBAE √ AMNIOS √ PINCIOS
ANICIOSQVE √ DECORANTI
CONSVLIS √ VXORI
CONSVLIS √ FILIAE
CONSVLVM √ MATRI
ANICIVS √ PROBINVS √ V̄ √ C̄ reliqua.

Modo circulum veru traiectum interposuerunt: apud EVND. p. 522, n. 4.

DIS φ MANIBVS φ SALVE
C φ APPONIVS φ C φ F φ FAB φ NOVEL
LVS φ ROM φ MIL φ COH φ XII φ VRB φ cetera.

Et apud REINESIVM, *Class. XII*, *n. 84*, in monimento:

ΔΕΩΔΩΡΩΙ
ΗΡΩΙ
ΒΙΩΣΑΝΤΙ
ΕΤ. Ε φ ῙΗ φ κ. τ. λ.

Modo hanc Figuram dimidiatam ψ adiecerunt; apud GRVTERVM, *p. 591, n. 7.*

D ψ M ψ S
P ψ AELIO ψ VITALI
AVG ψ LIB ψ TABVL
PROVINC ψ LVSITAN ψ
ET ψ VETTONIAE cetera.

Modo signo trianguli, aut Graeci Δ, voces distinxerunt: apud EVND. *p. 828, n. 4.*

D △ SEXTINIO △ M △
SECVNDINO △
CONIVGI △ DE
FVNCTO △ ET △ SE
VERIANO △ reliqua.

Modo in interstinguendis vocibus semicircellorum forma vsi sunt, vt apud EVND. *p. 339*, *n. 3*.

Q , RAPIDIO , Q , F , LEM
MVLIONI
MORATORI
LVDI , CIRCEN , ET
AGITATORI
FACTION , VENET. et cetera.

Modo figuram glandium aut foliorum, iam pendentium, iam erectorum, interiecerunt; apud REINESIVM, in *append. n. 26.*

↟ D ↟ M ↟ et reliqua.

Modo tria puncta, simul vna cum aliis figuris permista, loco simplicis puncti, interseruerunt. Apud GRVTER. *p. 93*, *n. 9*.

SEX ⚘ POMPEIVS ∵ I ∵ COGNOMINE ⚘ PAN-
DVS ⚘
QVOIVS ∵ ET ∵ HOC ∵ ABAVIS ⚘ CONTIGIT
∵ ESSE ∵ SOLVM ⚘
AEDICVLAM ⚘ HANC ⚘ NYMPHIS ∵ POSVIT ⚘
QVIA ∵ SAEPIVS ∵ VSVS
HOC ∵ SVM ⚘ FONTE ⚘ SENEX ∵ TAM ∵
BENE ⚘ QVAM ∵ IVVENIS

Quam interpungendi rationem cum OCTAV. BOLDONIVS, *in Epigraphica sua* non attendisset, has figuras pro notis distinguendi barbaricis habuit, ac nominatim hoc signo ♡ dolorem cordi materno intimum significari, perperam diuinauit. Ceterum haec et similia distinctionum signa, quibus artifices et librarii monimenta

 sua,

ſua, ac fortaſſe etiam titulos et dedicationes librorum, pro lubitu ornare itentidem inſtituerunt, paullo rarius et certe praeter ordinem occurrunt. Quid? quod inueniuntur etiam, quamuis rarius adhuc, inſcriptiones quaedam antiquae, vbi puncta inter ſingulas vocum ſyllabas interpoſita deprehenduntur. Obſeruauit hoc RAPH. FABRETTVS, *in Syntagm. de Columnn. Traiani*, *c. VIII*, *et in opere antiquarum inſcriptionum*, *c. V*, idque variis exemplis comprobauit; e quibus vnicum hoc iam profero:

D . M
COC. CE. IAE. CON. COR. DI. AE
V. RA. NI. AE. V. XO. RI. SAN. CTIS
SI. MAE. ET. VI. BI. A. NAE. ET. RE. NA. TAE
FI. LI. A. BVS
Q. AN. TO. NI. VS. LI. BE. RA. LIS
MA. RI. TVS. ET. PA. TER. FE. CIT.
ET. SI. BI. ET. PO. STE. RIS. QVE
SV. IS. LI. BER. TIS
LI. BER. TABVS. QVE

Imo et in Graecis monimentis hunc interpungendi modum reperiri, idem FABRETTVS oſtendit ſequenti inſcriptione, e coemeterio ad Duas Laurus a ſe eruta:

.H. PA. KAHC. XPH.
.CTOC. KAI. A MEM.
.ΠΤΟC EN. TA. ΔE.
.KEI TAI. E. ZH. CEN.
E. NI AΥ. TON. MH. NAC.
.E. ΠΤΑ .EI. PH. NH. MH. THP.
.Υ. Iω. KAΥ. KΥ. TA Tω TI. TAON.
.E. ΠOI. H. CEN.

Interim, etſi ita olim ſingulae quidem voces aut aliquando ſyllabae ſuis vel ſimplicibus punctis, vel aliis aliquando figuris diſpungerentur, non ſolum (quod ERYC. PVTEANVS iudicat) ornatus cauſſa, ſed etiam, ne verba coaleſcerent; non tamen partes ſententiae, ſiue membra, peculiaribus notis a ſe inuicem tunc diſcreta fuiſſe deprehenduntur. Hinc igitur, licet ſingula verba ſtilo pungente ſeparari ſolerent; non tamen poterat, non adhuc impedita et paullo difficilior oriri lectio; idque tum tanto magis, cum nulla plane diſtinguendi veſtigia exiſterent. Id quod ex A. GEL-

LII

LII *L. XIII, c. 30 Noct. Attic.* intelligimus: vbi hominis alicuius inepte gloriosi fit mentio; qui, cum Satyras M Varronis nullis fortasse, aut certe non iustis, interpunctionum signis distinctas legere iuberetur: male sententias intercidisse, et verba corrupte pronunciasse dicitur. Accessit igitur demum Grammaticorum studium, quorum erat, non solum veterum scriptorum exemplaria emendare, et annotare; sed etiam distinguere: quemadmodum ex Vita M. Valerii Probi apud SVETONIVM discimus. Isti vero Grammatici Latini, omissis singularum vocum interpunctionibus, totidem notas, quibus Graeci orationem distinguebant, in Latinam quoque Linguam introduxere, ita quidem, vt maiores minoresue in versu et periodo distinctiones ex situ et loco punctorum discernerent. Haec interstinguendi signa, teste DIONYSIO HALICARNASSENSI, *L. I Antiqu. Rom.* Latini a Graecis accepere, et Graeci quidem θέσεις et ϛιγμάς: Latini, *posituras*, *interpunctiones*, *distinctiones*, dixere. Vtrique vero et distinctionem, et subdistinctionem, et mediam distinctionem, habuerunt. Cuius interpunctionis rationem satis euidenter DIOMEDES, *L. II, Cap. de discretione*, exposuit: *Lectione* inquit, *posituras accedere, vel distinctiones oportet, quas Graeci θέσεις vocant, quae inter legendum dant copiam Spiritus reficiendi, ne continuatione deficiat. Hae tres sunt: Distinctio, Subdistinctio, media distinctio, seu mora, vel, vt quibusdam videtur, submedia. Distinctio est, apposito puncto, nota finiti sensus, vel pendentis mora; quod locis ponitur tribus: SVMMO; quum sensum terminat, et vocatur finalis a nobis; a Graecis τελεία (ϛιγμή.) MEDIO; quum respirandi spacium legenti dat, et dicitur media; Graece, μέση ϛιγμή. IMO; quum lectionis interruptum tenorem adhuc aliud illaturae suspendit, et vocatur a Graecis ὑποϛιγμὴ a nostris, Subdistinctio.* Similia fere sunt, quae DONATVS, *in libello de literis et syllabis*, tradit, et ex eo CASSIODORVS, *L. I de instit. diuin. lect.* Quibus adde ISIDORVM, *L. I, c. 19*, qui inter alia haec scribit: *Prima positura subdistinctio dicitur, eadem et comma. Media distinctio sequens est, ipsa et Colon. Vltima distinctio, quae totam sententiam claudit; ipsa et periodus.* At monet nos doctissimus MONTEFALCONIVS, *in Palaeographia Graeca, L. I, p. 51*, haec quidem in regulis apud Grammaticos haberi; accurate autem obseruata nusquam reperiri in marmoribus, et tabulis, vel libris vetustissimis. Hinc etiam inter ipsos veteres Grammaticos sunt, qui istum distinguendi modum aliquando aliter exposuerunt,

posuerunt, pluresque interpunctiones statuerunt. Ita STEPHANVS, vetus quidam Grammaticus, in libello περὶ στιγμῆς, (quem ex Codice MSC. Barocciano, ἀνεκδότῳ, 116, p. 32. excerpsit Vir Excellentissimus, GOTOFREDVS OLEARIVS, et mecum humanissime communicauit,) primum quidem eadem ratione, qua auctores supra laudati, naturam et situm trium distinctionum explicat; deinde vero monet, ab aliis non tres, sed quatuor, imo quinque, numerari στιγμὰς, veluti sunt: στιγμὴ τελεία, στιγμὴ ἀτελὴς, ὑποστιγμὴ μεθ' ὑποκρίσεως, στιγμὴ ἀνυπόκριτος, στιγμὴ ἐγκειμένη. Ita enim inter alia scribit: Ἄλλοι δὲ λέγουσι στιγμὰς δ, τελείαν, ἥτις ἐπὶ τοῦ τέλους τῶν περιόδων τίθεται· ἀτελὴς, ἥτις ἐπὶ τέλους τῶν περικοπῶν τίθεται· ὑποστιγμὴ δὲ μεθ' ὑποκρίσεως, ἥτις ἐν ταῖς συναπτικαῖς τε καὶ ἀναφορικαῖς τῶν φράσεων τίθεται, οἷον·

Εἰ δέ κεν Ἕκτορι μοῦνος ἐὼν καὶ Τρωσὶ μάχωμαι·
Αἰδεσθεὶς μήπως με περιστείωσ' ἕνα πολλοί·
Ὄφρα μὲν ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει·
Τόφρα μάλ' ἀμφοτέρων βέλε' ἥπτετο· τίπτε δὲ λαός.

Ἡ δὲ ἀνυπόκριτος στιγμὴ μετὰ τὰς ἐν ἤθει ἢ πάθει τίθεται, οἷον·

Τυδείδη, μήτ' ἄρ με μάλ' αἴνεε, μήτε τι νείκει.
Ἄνερ, ἀπ' αἰῶνος νέος ὤλεο.

Ἔστι δὲ ἐπὶ ταύταις ἡ καλουμένη ἐγκειμένη, ἥτις ἐν συναλειφομέναις καταγίνεται λέξεσιν, οἷον.

Ὣς ἔφαθ'. Ἕκτωρ δ' αὖτ' ἐχάρη μέγα, μῦθον ἀκούσας.
Δαίνυσθ'. Ἀλλ' οὐ δαιτὸς ἐπηράτου ἔργα μέμηλεν.

Quid, quod idem ille Grammaticus commemorat, Nicanorem docuisse, octo eiusmodi στιγμὰς esse? Quod ipsum de eodem Nicanore etiam refert DIOMEDES SCHOLASTICVS, *in Commentariis suis in Dionysii* τέχνην, quae in illo ipso, de quo modo dixi, codice MSCto habentur. Ita enim iste scribit: Κατὰ μὲν τὸν Διονύσιον ὡς ἐν φανερῷ τρεῖς εἰσι στιγμαί. τοῦτο δέ φησι, ἐπειδὴ ὑποκατιὼν τὴν μίαν ἐξ αὐτῶν ἀπόβλητον δείκνυσι. Κατὰ δέ τινα μεταγενέστερον τεχνικὸν, Νικάνωρ τούτῳ τὸ ὄνομα, ὀκτώ φησι στιγμὰς, ὧν τὰ ὀνόματα τέως μάθωμεν. τελεία, ὑποτελεία, πρώτη ἄνω, δευτέρα ἄνω, τρίτη ἄνω, ὑποστιγμὴ ἐνυπόκριτος, ὑποστιγμὴ ἀνυπόκριτος, ὑποδιαστολή. κ. τ. λ. Cetera nunc praetereo, nec plura, quae huc spectant, affero. Interim vero fateor, me non parum vereri, ne Nicanor illam interpunctionem, de qua nos hoc loco agimus, non intellexerit; cum potius ad caesuras et poeticas obseruationes respexisse videatur. Est vero, ni fallor, Nicanor hic Grammaticus, στιγματίας cognominatus,

minatus, qui ſub Caeſare Hadriano claruit, et de quo EVSTATHIVS, *in α ῥαψ. Ἰλιάδ. p. 20, Rom. edit.* haec habet: Νικάνωρ, ὁ ςιγματίας ἐπικληθεὶς, διότι ἐπολυλόγησε περὶ ςιγμῶν. Et plura SVIDAS: Νικάνωρ, ὁ ἑρμείου, ἀλεξανδρεὺς γραμματικός. - - ἔγραψε περὶ ςιγμῆς τῆς παρ᾽ ὁμήρῳ καὶ τῆς ἐξ ἀυτῶν διαφορᾶς ἐν τῇ διανοίᾳ. Περὶ ςιγμῆς τῆς καθόλου, βιβλία ἕξ. - - περὶ ςιγμῆς τῆς παρὰ καλλιμάχῳ. κ. τ. λ. Sed, quidquid eſt, antiquum illum interpungendi modum poſteriora demum ſecula immutarunt, cum in characteres Latinos barbaries impetum fecit, illaque ſigna, quibus hodie vtimur, paulatim inoleuerunt. Neque tamen inficias imus, (quod et VALERIANVS ANDREAS in libello *de recta interpungendi ratione* affirmauit,) recentiorem diſtinctionem vetuſta multo pleniorem eſſe atque perfectiorem. Quando autem noſtrae diſtinctionum notae primum inuentae ſint, mihi ſane latet. Equidem Cl. STRVVIVS, *in Actis litterariis, A. MDCCIII, p. 18*, ſcribit, diſtinctiones, quas nunc vſurpamus, ſeculo demum quinto fuiſſe vſitatas; ſiquidem nouum ſcribendi genus appelletur a HIERONYMO. Sed profecto, nec vllum codicem MSC. qui ad iſta tempora pertingat, proferri poſſe credo, in quo plane noſtra haec diſtinctionum ſigna conſpiciantur; et prorſus perſuaſum mihi habeo, Hieronymum, cum haec ſcriberet, nihil minus, quam noſtras interpunctionum notas, reſpexiſſe. Sed ipſum audiamus HIERONYMVM; qui, cum huius rei mentionem facit, *in Praefat. in Eſaiam: Nemo*, inquit, *quum Prophetas VERSIBVS viderit eſſe deſcriptos, metro eos aeſtimet apud Hebraeos ligari, et aliquid ſimile habere de Pſalmis, vel operibus Salomonis: Sed quod in Demoſthene et Tullio ſolet fieri, vt per cola ſcribantur, et commata, qui vtique proſa, et non verſibus, conſcripſerunt; nos quoque vtilitati legentium prouidentes, interpretationem nouam, nouo ſcribendi genere, diſtinximus.* Ex quibus verbis apparet, HIERONYMVM de noua aliqua diſtinctione per ςίχους potius, quam de noſtris interpunctis, loqui: alioquin ſuperuacaneum fuiſſet, praemonere lectorem, ne crederet ex iſta *colorum* et *commatum* diſtinctione, ligato ſermonis genere illos libros conſcriptos eſſe: quia certe libri, per noſtra *cola* et *commata* ſolummodo diſtincti, haud facile cuiquam verſae orationis ſpeciem praebuerint. Illam vero diſtinguendi rationem, quam HIERONYMVS intelligit, in aliquot libris operum Diui Hieronymi, quae Pariſiis, MDCXCIII. prodierunt, imitari voluit IOANNES MARTIANAY;

dum exempli gratia, oſtendit, *Pſalmum I Dauidis* per huiusmodi στίχων diſtinctionem antiquitus ſcriptum fuiſſe:

Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum,
et in via peccatorum non ſtetit,
et in cathedra peſtilentiae non ſedit:
Sed in lege Domini voluntas eius,
et in lege eius meditabitur die ac nocte.

Commemorat etiam CL. SALMASIVS, *in Prolegom. in Solinum, ſub finem*, extare in Bibliotheca Regis Galliae Codicem Tuſculanarum Quaeſtionum, manu exaratum, ſatis magnae vetuſtatis, in quo non ordine continuo, ſicuti in aliis tralatitium eſt, libri deſcripti feruntur; ſed ſaltuatim, per inaequales periodos, eo prorſus modo, quo Biblia ſacra videmus.

X. Haec ſunt, quae de interpunctione veteris ſcripturae nunc ὡς ἐν παρόδῳ commemoranda videbantur; plura fortaſſe quam et res poſtulabat, et ipſe ego cupiebam. Multa, fateor, reliqua ſunt, quae de aliis etiam ſignis moneri poterant, quibus voces olim ſententiasque vel diſcreuerunt, vel circumduxerunt, vel quocunque modo notarunt: ſed ſciens prudensque harum rerum commemoratione in praeſenti abſtineo; nec liberius ad στίχους, ſiue *verſus*, digredior, in quos tum Graeci, cum Latini, priſcis temporibus, libros ſuos, ſiue vorſa, ſiue proſa oratione conſcriptos, diuiſerunt; quorumque ſummam diligentius ſubductam, vel ſub initium, vel ſub calcem operis, plerumque adnotarunt. Quam perutilem conſignandorum verſuum operam librarii olim ſuſcepiſſe videntur, partim, vt auctorum libri ſic eo facilius diſcernerentur, ac magis integri ad poſteros peruenirent; partim, vt ſi quis nonnulla ex ſcriptoribus citare vellet, tunc haberet, quo velut ad certiorem notam prouocaret, lectoribusque inquirendi laborem quodammodo imminueret. Vnde ASCONIVS PEDIANVS, in *commentariis*, vbi verba Ciceronis citat: *verſu*, inquit, *a primo DCCCL.* Item: *circa verſum a primo LXXX.* cetera. Partim denique, vt magnitudo et precium cuiusque operis inde promtius aeſtimaretur. Hinc enim opera paullo ampliora, Graecis βιβλία πολύστιχα eſſe; Latinis, *multis verſuum millibus* conſtare, dicebantur. Ad hunc modum DIOGENES LAERTIVS, in *vitis Philoſophorum*, ſaepius ipſorum libros recenſens, numerum verſuum, quibus conſtiterunt, annotauit. Etſi vero nemini ambiguum eſt, quin στιχομετρία olim vſurpata fuerit; minus tamen certum

cum nonnullis videtur, quid vox στίχος Graecis; Latinis, *versus*, tunc significet, cum vtriusque nominis notiones latius pateant, pluresque interpretationes admittant. Illud vero cumprimis inter eruditos etiamnum in quaestione versatur, vtrum in huiuscemodi versuum computatione *lineas*, seu tractus singulos; an periodos, aut aliquando membra et incisa Rhetorica librorum, numerauerint, numerataque, vel in fronte, vel in fine operum, adnotauerint. Et sane in vtramque partem quaedam succurrere videntur, quae dubitationem iniicere possint. Verum nos hanc controuersiam nunc quidem nostram non facimus, nihilominus sic satis persuasi, vtrumque suo modo suoque tempore contigisse, ita quidem, vt aliquando singulae librorum *lineae*, aliquando περίοδοι, κῶλα et κόμματα Rhetorica ab antiquis numerata fuerint. Quam sententiam alibi, si licuerit, pluribus declaraturi sumus. Imo, inuenimus, veteres aliquando non solum στίχους, siue versus librorum; sed etiam singula verba connumerasse, ac in fine cuiusque libri annotasse. Ita, teste illustr. NESSELIO, *P. I Catalog. p. 276*, in Bibliotheca Vindobonensi extat CLXXXVIII codex MSCtus Theologicus Graecus, isque membranaceus et peruetustus, quo continentur IV Euangelia, tanto studio scripta, vt in fine cuiusque Euangelii non tantum annotatum sit, quot στίχους, seu versus, vnumquodque comprehendat, verum etiam quot ῥήματα, siue verba. Interim, quod ad στίχους, siue *versus* veterum attinet, cui lubet, adeat auctores, qui hoc argumentum magno studio pertractarunt, veluti sunt: CASAVBONVS, *ad Athen. VI, 10.* SALMASIVS, *in Prolegom. in Solin.* VOSSIVS, *de vitiis Serm. L. XXVI.* IO. CROIVS, *in sacr. obseru. in N. T. c. 11.* BARTHIVS, *ad Script. Venaticos, p. 191.* HEINSIVS, *in proleg. in N. T. c. 18 et 19. et in Aristarch. Sacr. c. 13.* LIPSIVS, *in Epist. Miscell. Cent. III, Ep. 39.* I. M. CARVS, *in libro de veteribus sacrorum Bibliorum titulis, sectionibus, et στιχομετρίᾳ.* HENR. VALESIVS *in Eusebii Caesar. Hist. Eccles.* ERASMVS SCHMIDIVS, *in fine I Epist. ad Corinthios:* GLASSIVS, *in Philol. S. T. IV, L. 1, Sect. IV.* IO. LEVSDENIVS, *in Philol. Hebr. Gr. Disp. XX.* BALTHAS. STOLBERGIVS, Prof Vitemb. *in disput. de στιχομετρίᾳ veterum.* RICH. SIMONIVS, *in Hist. Crit. N.T. c. 33.* IO. MARTIANAY, *in proleg. in diuinam Bibliothecam S. Hieronymi.* IO. CASP. SVICERVS, *in Thesauro Ecclesiastico, sub voce* στίχος, et reliqui.

XI. Has minores verborum sententiarumque distinctiones sequebantur aliquando adhuc maiores operum intersectiones, quas

τόμους

τόμȢς, λόγȢς, βιβλία, τμήματα, μερίδας, κεφάλαια, *libros* et *capita*, appellabant. Equidem vetuſtiſſimi opera ſua, licet ſatis ampla, continenti ſcriptura et perpetua ſerie, nulla facta in certas partes diuiſione, olim perficiebant. At Grammatici demum, qui in emendandis interpretandisque ſcriptoribus antiquis occupabantur, nonnunquam commodioris vſus cauſa eiusmodi opera in certas ſectiones et membra diſpertiebantur, adeo, vt ea non tantum diſtinctis voluminibus deſcribi poſſent; ſed vt etiam in vno eodemque volumine plures huiuscemodi ſectiones, quas *capita*, *membra*, *partes*, dicimus, exiſterent. Sic Iliadis et Odyſſeae carmina, quae ſine vlla librorum diſtinctione ab Homero expoſita fuiſſe aiunt, Ariſtarchus in partes vicenas quaternas diuiſit. Sic cum Naeuius Punicum bellum vnico volumine et continenti ſcriptura expoſuiſſet; Caius Octauius Lampadio, celebris Grammaticus, illud in ſeptem libros partitus eſt; vt poſtea Q. Vargonteius annales Ennii, teſte C. SVETONIO, *de illuſtr. Grammat. c. 2.* Qua de re vir ſummus, CL. SALMASIVS, in prolegomenis ad exercitationes Plinianas ita inter alia diſſerit: *Non neſcio, et plerisque antiquorum vſitatam hanc rationem, quae libros in varia* τμήματα *partitur; Sed antiquiſſimis horum minus celebratam reperio. Ante annos mille et citra, praecipue inualuiſſe hanc conſuetudinem apud Graecos et Latinos ſcriptores, certum eſt. Hinc recentiores librarii vetuſtiorum auctorum continentia ſcripta, quamuis ad hoc inſtar ſecta ac diuiſa non eſſent, morem ſecuti temporum ſuorum, partitionibus eiusmodi ac titulorum inſcriptionibus inquinarunt verius, quam exornarunt.* Satis tamen multis abhinc ſeculis iam ipſi auctores opera ſua in maiores ſectiones, puta τόμȢς, λόγȢς, βιβλία et συντάγματα, diuiſiſſe deprehenduntur. Sic apud DIOG. LAERTIVM, *L. VI, Segm. 15*, Libri Antiſthenis εἰς δέκα τόμȢς, h. e. in decem partes et librorum ſectiones, diſtributa leguntur. Et apud HERODOTVM in *Terpſichore:* ὡς δεδήλωταί μοι ἐν προτέρῳ τῶν λόγων. Item apud PLVTARCHVM: περὶ τῆς Ἀλεξάνδρȣ τύχης ἢ ἀρετῆς λόγος πρῶτος. Etenim, quo auctores nimiam voluminum, eamque legentibus pariter atque circumferentibus incommodam, molem euitarent; opera ſua, quae vel ob argumenti amplitudinem vna volubili charta aegre capi poterant, vel quae alias ad pompam et ſplendorem parabantur, in aliquot partes diſpertiebantur; tantum materiae plerumque cuiuis parti deſtinantes, quantum quidem ad decori et commodi voluminis menſuram vtcunque ſufficere putabant. Sic

MAR-

MARTIALIS librum ſuum ſecundum, qui XCIII epigrammata continet, hoc modo alloquitur:

Ter centena quidem poteras epigrammata ferre;
Sed quis te ferret perlegeretque, Liber.

Hinc, quot partes maiores ac ſectiones vnius eiusdemque operis deſtinabantur; totidem quoque volumina et βιβλία, ſiue libri, ſeorſum deſcribebantur. *Eſt* enim, inquit ISIDOR. *L. VI, c. 13, codex multorum librorum; liber, vnius voluminis.* Volumen quippe proprie dicebant veteres librum plerumque ſeorſum ac per ſe ſubſiſtentem; ſiue eius argumentum vno volumine prorſus abſolueretur; ſiue per partes certas pluribus voluminibus continuaretur. Quemadmodum vero plura volumina vnius corporis colligabantur certis faſciculis, vti *Fig. VIII* oſtendit; ita ſingula volumina extra faſciculos ſpectata dicebantur βιβλία ἁπλᾶ. Atque ſic interpretor PLVTARCHVM, in *Vita Antonii*, vbi commemorat, hunc donaſſe Cleopatrae Bibliothecas Pergamenorum, in quibus fuerint ducenties mille ἁπλᾶ βιβλία, h. e. *ſimplicia volumina.* Ita vero auctorem librorum ad Herennium opus ſuum quatuor diſtinctis voluminibus, ſiue libris, primum deſcribendum curaſſe, ex his, quae ſub finem voluminis primi leguntur, colligo: *Quoniam ſatis huius voluminis magnitudo creuit, commodius eſt in altero libro de ceteris rebus deinceps exponere, ne qua propter multitudinem litterarum poſſit animum tuum defatigatio retardare.* Sic, quamuis Ciceronis Quaeſtiones Tuſculanae, ſi hodierno more in libro quadrato compingantur, tenue corpus efficiant; quin tamen olim ſeparatis quinque voluminibus deſcripta fuerint, vix mihi dubitare licet, ſi, quae CICERO ipſe, *L. III, Tuſcul. Quaeſt.* ſcripſit, ad animum reuoco, *Quoniam duobus ſuperioribus de morte et de dolore dictum eſt, tertius dies diſputationis hoc tertium volumen efficiet.* Quibus verbis addas, quae idem ſub initium V voluminis dixit: *Quatridui quidem ſermonem ſuperioribus ad te perſcriptum libris miſimus; quincto autem die, cum eodem in loco conſediſſemus, ſic eſt propoſitum, de quo diſputaremus.* Ita cum PLINIVS SECVNDVS, *L. III, Epiſt. 5*, auunculi ſui opera recenſet, et inter alia commemorat, tres ab eo libros de Studioſo ſcriptos eſſe; opus illud propter amplitudinem in ſex volumina diuiſum eſſe teſtatur: quoniam fortaſſe tribus voluminibus, nedum vno volumine, comprehendi commode non poterat. Cum igitur librarii olim opera paullo ampliora in aliquot ſeparata volumina

diuiserint; cumque quoduis volumen seorsum descriptum, etiamsi mole exiguum et totius alicuius operis pars siue tomus fuerit, Graecis βιβλίον, Latinis, *Liber*, dictum sit: non sunt de nihilo, quae hinc Cl. HERM. CONRINGIVS, *in Epistola ad Boineburg. de Bibliotheca Augusta*, hariolatus est: *Cum legimus*, inquiens, *in Graecis Latinisque veterum Bibliothecis triginta, imo quadringenta aut sexcenta millia librorum; non est, quod iuxta morem nostri seculi, (vbi volumen dici vix solet, nisi spissior grandiorque codex) totidem grandes codices numeremus. Libri enim et volumina fuerunt, quorum hodie centena aliquot vnus grandior noster codex complectitur.* Quemadmodum vero ingentia opera plerumque commodioris vsus splendorisque causa in aliquot separatis voluminibus describebantur: ita non negamus, volumina aliquando etiam continenti scriptura in magnam molem potuisse extendi, pluresque eiusdem auctoris libros complecti. Cuiusmodi volumen τεῦχος appellabant. Sane, fieri potuisse, vt omnia Homeri opera, Ilias et Odyssea, quae quadraginta octo partibus diuisa constitissent, in vnum corpus redacta vnum effecerint volumen, indicant haec VLPIANI verba: *Si cui centum libri sunt legati, centum volumina ei dabimus, non centum, quae quis ingenio suo metitus est. Vt puta, cum haberet Homerum totum in vno volumine, non quadraginta octo libros computamus; sed vnum Homeri volumen pro libro accipiendum est. Pandect. L. XXXII, l. 52.*

XII. Etsi vero antiqui scriptores opera sua, vna plerumque serie contexebant; attamen rerum, de quibus agebant, argumenta colligebant, compositoque volumine sub vnum conspectum exhibebant, quo ordo operis cognosceretur, et quo constaret, quid in quoque volumine quaeri inuenirique posset. Huiusmodi indices, qui sola praecipua rerum capita continebant, et quorum descriptio modo σύλλαβος, modo ἀναγραφὴ, modo πίναξ, modo ἔκθεσις, modo ἔλεγχος, modo ἐπισημείωσις, modo κατάλογος, Graecis; Latinis, *summa*, *breuiarium*, et sic porro, dicebatur; veteres plerumque in limine aut fine libri ponebant; nec per literas, sed secundum seriem materiarum, sicuti in libro expositae erant, digerebant. Ita PLINIVS in libris *historiae naturalis* indices argumentorum vniuerso praefixit operi; nisi forte peculiari eos volumine seorsum exhibuerit. Ita vero in fine praefationis scribit: *Quia occupationibus tuis publico bono parcendum erat, quid singulis contineatur libris, huic epistolae subiunxi, summaque cura, ne per-*

legendos

legendos eos haberes, *operam dedi. Tu per hoc et aliis praeſtabis*, *ne perlegant*; *ſed vt quisque deſiderauerit aliquid*, *id tantum quaerat*, *et ſciat*, *quo loco inueniat.* Addit, idem et ante ſe feciſſe Valerium Soranum, in libris, quos Ἐποπτίδων inſcripſerat. Id quod alii etiam tum ante Plinium, cum poſtea, inter Graecos pariter atque Latinos, fecerunt, ita, vt titulos, ſiue capita rerum, operi ipſi primum non inſeruerint, ſingulisue locis adſcripſerint; ſed vno ſyllabo comprehenſos praemiſerint. Libris etiam argumenta aliquando ſubiici conſueuiſſe, teſtis eſt COLVMELLA, *de re ruſtica*, *L. XI*, *ſub finem.* Sed hanc rem iam pluribus expoſuit CL. SALMASIVS, *l. c.*, commemorans inter alia, in optimo quodam ac diligentiſſime ſcripto Codice Plinii, praefixam quidem eſſe argumentorum ſummam; ſuper ipſis autem capitibus nullas epigraphas inueniri; eaque non alio notata eſſe diſcrimine, quam nouo verſus initio; cum litera maiuſcula, appoſitis ad marginem e regione Graecis elementis, quae numerum deſignant. Inſequente vero tempore, argumenta librorum ab aliis in ipſum voluminis corpus ſunt translata, vt libri, qui perpetua ſerie conſcripti erant, ſic in partes multas diſpeſcerentur, idque tam peruerſo nonnunquam conſilio, vt ſententiae auctoris diſcretae, ordoque rerum perturbatus fuerit. Nihilominus ipſi auctores deinceps aliquando ſingulis operum libris et ſectionibus titulos ſummasque rerum ſeorſum praefixerunt; vti in hiſtoria Eccleſiaſtica ab Euſebio Caeſarienſi factum eſſe, HENR. VALESIVS *in annot. ad Euſeb. p. 3*, obſeruauit. Aut certe ex latere, in pagina, rerum argumenta breuiter annotarunt: quod Hieronymum feciſſe in translatione Epiſtolae S. Epiphanii ad Io. Epiſcopum Hieroſolymitanum, ex eiusdem HIERONYMI *epiſtola ad Pammachium*, de optimo genere interpretandi inſcripta, conſtat. Imo, ſucceſſu temporis, vnum idemque volumen etiam particulatim conciderunt, et per minores ſectiones, quae μερίδες, τμήματα, et κεφάλαια dicebantur, diſcriminauerunt. Qua de re nihil attinet in praeſenti plura proferre. Neque praeterea nunc quidem ad explicandas varias diuiſiones diuinioris codicis pergam, cuiusmodi τίτλοι, ἀναγνώσματα, κεφάλαια, ſimilesque diſtinctiones fuerunt. Quarum ordinem et naturam tum alii iam multi expoſuerunt, tum nos etiam tunc fortaſſe pluribus declarandi occaſionem nanciſcemur, cum de re libraria ex ſcriptura ſacra nobis ex inſtituto agere licuerit.

tituli, lectiones, capita.

XIII. Ne igitur his rebus diutius immoremur, ad reliqua pergimus, atque nunc quidem illud paucis annotandum ducimus veteres ordinaria ratione in voluminibus, iis praesertim, quae splendoris causa parabantur, ex vna tantum parte, perpetuo ductu, ad extremam vsque plagulam, auersa parte pura plerumque relicta, scripsisse, ita tamen, vt, (quod iam alibi *ex* OVID. *L. I Amor. Eleg. XI.* docuimus,) in illa ipsa aduersa chartae facie, cui inscribebatur, ac quidem in extrema eius ora, circumcirca paulo latior margo vacuus relinqueretur, in quo nihil consignabatur, nisi vel amplitudo operis id requireret, vel aliquid praetermissum annotaretur. Ita IVVENALIS, *Sat. I*, de longa verbosaque quadam Tragoedia, vbi margo etiam scriptura impletus fuit, dixit:

— Impune diem consumserit ingens
Telephus? aut summi plena iam margine libri
Scriptus, et in tergo, nec dum finitus Orestes?

Et MARTIALIS in *Epistola*, quae *libro nono Epigrammatum* praemittitur, commemorat, se Epigramma ad Auitum extra ordinem paginarum, h. e. in margine voluminis, scripsisse. Interim vero illud inane chartae spacium aliquando pulchris figuris ac coloribus exornarunt. Quo refero OPTATIANI PORPHYRII *pictum limitem*, ex illo epigrammate, quod Panegyrico, quem Constantino dicauerat, praemisit:

Quae quondam fueras pulchro decorata libello,
Carmen in Augusti ferto, Thalia, manus.
Ostro tota nitens, argento auroque coruscis
Scripta notis, picto limite dicta notans.

Quemadmodum vero, ornatus caussa, in extremis librorum oris non nihil vacui spacii relinquebatur; ita in auersa voluminum parte, vti iam dixi, plane nihil scribebatur; cum, quia scriptae chartae deinceps inuoluendae erant; tum, quia litteras facile transmittebant, adeoque metum liturae afferebant. Nec minus tamen aliquando extra ordinem dabantur ὀπισθόγραφα, h. e. volumina, quae vtrinque, et a facie et a tergo, descripta erant. Quod tunc maxime fieri solebat, cum vel chartae parcere vellent, vel si quis liber nimis longus esset, et extra modum mensuramque iustam traheretur. Quam scribendi rationem PLINIVS, auctor historiae naturalis, aliquando secutus est, quo multitudinem voluminum alioqui nimis excrescentem per ὀπισθόγραφα minueret. Refert enim PLINIVS IVNIOR, *L. III, Epist. 5.* auunculum suum, inter alia opera, Electorum commentarios centum

sexa-

ſexaginta reliquiſſe opiſthographos, hoc eſt, in aduerſa atque auerſa parte ſcriptos. Quod monere opus non fuiſſet, ſi iſta ratio ſcribendi a communi vſu non deflexiſſet. Quapropter Poetae occaſionem hinc arripuerunt opiſthographa veluti ſcripta nimis verboſa exagitandi. Sic MARTIALIS, *L. VIII, Ep. 62*, Picentem quendam irridet, quod epigrammata in opiſthographis conſignaret:

Scribit in auerſa Pinces epigrammata charta;
Et dolet, auerſo quod facit illa DEO.

Et IVVENALIS, *Sat. I*, longam illam Tragoediam, de qua modo dixi, hoc ipſo nomine reprehendit. Deinde, cum vileſcere coepiſſent libri in voluminibus exarati, aliquando inuertebantur, et ab altera quoque parte conſcribebantur. Inprimis vero charta, quae a tergo nondum ſcripturam ſuſceperat, vſui puerorum cedebat, vt in illa ſcribendo exercerentur. Quem caſum HORATIVS libro ſuo vaticinatus, *L. I, Epiſt. 20, cecinit:*

Hoc quoque te manet, vt pueros elementa docentem
Occupet extremis in vicis alba ſenectus.

h. e. interprete PORPHYRIONE: nemo te ornabit ac deſcribet, ſed aut carie conſumeris, aut fient ex te opiſthograhae epiſtolae. Eodem reſpexit MARTIALIS, *L. IV, Epigr. 87:*

Si (Apollinaris te) *damnauerit, ad Saliorum*
Curras ſcrinia protinus licebit,
Inuerſa pueris arande charta.

Adhaec in rationibus id etiam fieri aſſolebat, vt in vtraque pagina ſcriberentur. Nam aduerſa ſcribebant expenſum; auerſa, acceptum. Quando aduerſa pars conueniebat auerſae, h. e. quando rationes accepti couuenie̊bant cum rationibus expenſi; tunc hoc *vtramque paginam facere* dicebant. *Qua de re vid.* IOS. SCALIGER *in Guiland. p. 47.* Sed et litterati homines primas ſuas curas et extemporales commentationes in ſchedis opiſthographis primum conſignabant; quas vbi ſub limam iam reuocauerant, ſatisque emendauerant, in mundam et nitidam chartam transferebant, quae in aduerſa tantum facie, non ſimul in tergo, conſcribebatur. Sic LVCIANVS, in Dialogo *βίων πρᾶσις*, peram Cynicorum ait plenam eſſe opiſthographis; in quibus nimirum quasdam ſectae ſuae opiniones tumultuarie ſcriptas habebant. Ἡ πήρα δέ σοι θέρμων ἔσται μεστὴ καὶ ὀπισθογράφων βιβλίων. Cum his conueniebant Latinorum *aduerſaria*, in quae memoriae cauſſa res coniiciebant. Quae tamen non tam volumina, quam tabulae incon-

 ditae,

ditae, fuiſſe videntur. De quibus CICERO, *in Orat. pro Q. Roſcio Comoedo, c. 2,* ſcribit: *Quid eſt, quod negligenter ſcribamus aduerſaria? Quid eſt, quod diligenter conficiamus tabulas? Qua de cauſa? Quia haec ſunt menſtrua; illae ſunt aeternae: Haec delentur ſtatim; illae ſeruantur ſancte: Haec parui temporis memoriam; illae perpetuae exiſtimationis fidem et religionem amplectuntur: haec ſunt disiecta; illae in ordinem confectae.* Iſta aduerſaria alii ab *aduertendo* dicta cenſent; quia propter animaduerſionem et memoriam conficiebantur: alii a voce *aduerſus*, quia *aduerſus* ſcribentes poſita erant, vt eis perpetuo obſeruarentur: alii denique inde nomen traxiſſe putant, quia cum alioqui veteres, (vti dixi,) ex altera tantum libri parte ſcriberent, haec aduerſaria etiam in *aduerſa* parte ſcriptura implerentur. Quemadmodum e contrario Graeci iſtiusmodi ſcripta *ἀπὸ τȢ ὄπισθεν*, a parte auerſa, *ὀπισθόγραφα* appellarunt.

XIIII. Non poſſum, quin hoc loco, vbi de ſcriptura veterum pauca dixi, etiam mentionem iniiciam antiquae illius ſuper genua ſcribendi conſuetudinis. Etiamſi enim priſci etiam in pluteis, ſi fieri potuit, ſcripſere: (Vide tales imagines apud LAMBECIVM, *in Biblioth. Vindob. T. II, p. 320.* Quo PERSIVS etiam *Satyr. I, v. 120.* reſpexit:

Nec pluteum caedit, nec demorſos ſapit vngues.)

haud minus tamen inuenimus, illos tum codices quadratos, tum uolumina, ſuper genua exaraſſe. Patet hoc inter alia ex vetuſtiſſimo codice MSC. Dioſcoridis, qui in Auguſtiſſima Bibliotheca Vindobonenſi extat, referente LAMBECIO, *L. II, P. II.* Cuius quintum folium picturam continet quadratam; qua Dioſcorides repraeſentatur, veluti ſcribens in genibus. Cui picturae LAMBECIVS duas allias ſubiunxit, quibus iſta veterum ſuper genua ſcribendi ratio poteſt illuſtrari. Earum altera S. Parochorum, vnum ex VII primis Eccleſiae Diaconis, exhibet, Euangelium S. Iohannis ex dictantis ore excipientem; quae imago extat in Codice MSC. membraneo Auguſtiſſ. Biblioth. Caeſar. qui continet N. T. et inter MSC. Codices Theol. Graecos LXI numeratur. Altera autem pictura, quam nos etiam *fig. VII* aeri incidendam curauimus, repraeſentat S. Lucam, acta Apoſtolorum in volumine exarantem. Quae ibidem in vetuſto codice MSC. dimidiam N. T. partem complectente, inuenitur. Elegans eſt locus, quem hac de re ex HIPPOCRATE protulit LAMBECIVS. Ille enim, vbi, in epiſtola ad Demagetum

getum, de ſuo ad Democritum Abderitam aduentu, et in quo habitu ac ſtatu illum inuenerit, nonnulla refert, inter alia haec habet: Ο῞ δ᾽ εἶχεν ἐν εὐκοσμίῃ πολλῇ ΕΠΙ ΤΟΙΝ ΓΟΥΝΑΤΟΙΝ ΒΙΒΛΙΟΝ, καὶ ἕτερα δέ τινα ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν αὐτέῳ παρεβέβλητο· Σεσώρευτο δὲ καὶ ζῶα συχνὰ ἀνατετμημένα δι᾽ ὅλων· Ὁ δὲ ὅτε μὲν ξυντόνως ἔγραφεν ἐγκείμενος, ὅτε δὲ ἠρέμει, πάμπολύτε ἐπέχων καὶ ἐν ἑωϋτῷ μεριμνηρίζων. Hinc itaque illud Graecorum prouerbium: Θεῶν ἐν γούνασι κεῖται, non adeo incommode illuſtrari poſſe videtur: quo ſignificatur, non eſſe noſtrae facultatis et arbitrii, praeſtare rei exitum; ſed hunc ab eo dependere, quod *prouidentiae diuinae libro, in DEI quaſi genibus ſito*, inſcriptum ſit. Hoc loquendi genere inprimis delectatus eſt HOMERVS, ita, vt hunc verſum: Ἀλλ᾽ ἤτοι μὲν ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται, aliquoties repetierit; veluti Odyſſ. α. bis: Odyſſ. π. Iliad. ρ et υ. Ad quem modum etiam α. Calaber, v. 310, cecinit: ταῦτα μὲν ἀθανάτων ἐνὶ γούνασιν ἐστήρικται. Crediderunt enim homines a vera religione alieni, Iouem omnia, quae et futura eſſent, et gererentur in mundo, in διφθέρᾳ ſua, h. e. in pelle caprina, ſcribere. Vnde, quae nec in hiſtoricorum litteris extarent, nec in hominum memoria ſeruarentur, ea velut ex Iouis Diphthera petita dicebantur, monente ERASMO, in illud adagium: ἀρχαιότερα διφθέρας λαλεῖς. *Chil. I, Cent. V.* Hinc etiam aliud huius generis prouerbium ortum eſt: Ὁ Ζεὺς κατεῖδε χρόνιος εἰς τὰς διφθέρας. h. e. *Sero Iupiter Diptheram inſpexit.* Quod in eos dicitur, qui ſero quidem, ſed aliquando tamen, pro malefactis, quae Iupiter in libro ſuo annotauerit, luunt poenam. Fieri itaque potuit, vt veteres in commemorata παροιμίᾳ· θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται, reſpexerint ad illum ipſum fatorum librum, cui DEVS ſupra genua ſua poſito euentus rerum humanarum inſcribere credebatur. Pertinet eodem quod apud ZENOBIVM, *Cent. III, Paroem. 64.* legitur: Ἐν πέντε κριτῶν γούνασι κεῖται. Quod itidem de re in alterius arbitrio poſita vſurpatur. Quinque enim iudicibus olim negotium fuiſſe datum, vt de comicorum fabulis pronunciauerint, ex Epicharmo docet ZENOBIVS. Interim vero me non fugit, ab aliis alia ratione hanc παροιμίαν ſolere explicari. Ita HENR. STEPHANVS, *in Theſauro Graecae Linguae*, in hoc prouerbio interpretando eo reſpexiſſe videtur, quod genua alioqui roboris et poteſtatis ſymbolum exiſtimentur. Quaſi hinc dixeris: *In poteſtate Deorum ſitum eſt.* Cui rei ſignificandae Graeci alias χειρὸς appellationem adhi-

adhibent. Nec minus Latini dicunt: *in manu tua ſitum eſt:* pro eo, quod alias dicitur: *in poteſtate tua eſt.* Etenim, ſicuti in flore aetatis, cum integrae et praeualidae ſunt corporis vires, genua viuere dicuntur; vt apud HORATIVM, *Epod. XIII*, ita ex aduerſo dicuntur illi genua ſuccidere, *apud* PLAVTVM, et labare, *apud Virgilium;* qui infirmo eſt corpore et timore horret. Contra IAN. RVTGERSIVS, *in variis Lectionibus, L. V, C. 5*, iſtam loquendi formulam originem inde duxiſſe arbitratur, quoniam genua miſericordiae ſedes habita ſint. Quo pertinere ait, quod veteres vota ſua plerumque Deorum genibus affixerint. Id quod IVVENALIS, *Satyr. X*, dixit: *Genua incerare Deorum.* Et ſane homines ſupplices non ipſi modo in genua prouoluebantur; ſed eorum etiam, quibus ſupplicabant, genua contingebant. Videatur hac de re ALEXANDER AB ALEX. *dier. Genial. L. II, c. 19.* Hinc apud PLAVTVM, *in Curcul. Act. V, Sc. II*, puella quaedam dicit: *Per tua genua te obſecro, vt nos facias certiores.* SERVIVS enim, *ad Virgil. L. III, Aeneid. v. 607*, expreſſe ſcribit, genua Miſericordiae conſecrata eſſe; ſicut reliqua corporis membra ſingulis Numinibus, puta, aurem, Memoriae; frontem, Genio; dextram, Fidei. Et PLINIVS, *Hiſt. Nat. L. II, c. 45* ait: *Hominis genibus quaedam et religio ineſt, obſeruatione gentium. Haec ſupplices attingunt; ad haec manus tendunt; haec, vt aras, adorant.* Imo, et exinde illud adagium ortum videri poterat, quod *ſortes ex genibus Parcarum* dicebantur ſuſcipi, vt ſtatuatur, quae ſors et viuendi conditio cuiuis homini exeat. Sic enim apud PLATONEM, *L. X de Republ. p. m. 617*, legimus animas ad Lacheſin coactas accedere; ibi vatem quendam ipſas primum ordine collocare, deinde ἐκ τῶν τῆς Λαχέσεως γονάτων κλήρους τε καὶ βίων παραδείγματα λαβεῖν, i. e. *ex Lacheſis genibus ſortes et vitarum exempla tollere*, Sed vt redeamus in viam, hac re in medio relicta, ad cetera nunc pergimus.

XV. Conſcripto nimirum et conglutinato opere, addebatur ornatus cauſa in fine ſcripturae, ſeu in ἐσχατοκολλίῳ, bacillus quidam teres, qui Latinis *vmbilicus;* Graecis, ὀμφαλὸς, dicebatur. Hic, cum volumen explicaretur, in fine erat; cum vero idem in ſpiram collectam obuoleretur, medium tenebat locum; quemadmodum Fig. III. *lit.* a. b. declarant. Eius nominis rationem hanc tradit PEROTTVS *in Cornu Copiae, ad Epigr. 67, L. I Martial. Vmbo media pars clypei; ab hoc vmbilicus dicitur, quicquid in aliqua*

qua

qua re est medium. Ligamentum intestinorum, quod mediam fere planiciem ventris obtinet, vmbilicum appellamus. Item hinc vmbilici ornamenta, quibus libri ornantur, et gemmae ligantur. Materia eiusmodi vmbilicorum, PORPHYRIONE auctore, *ad Horatii Epod. XIIII*, erat os aut lignum: veluti ebor, cedrus, ebenus, buxus, cupressus; imo et *aurum.* Sic enim LVCIANVS scribit πρὸς τὸν ἀπαίδευτον, καὶ πολλὰ βιβλία ὠνέμενον· Τὸ αὐτὸ δὴ καὶ σὺ πάσχων, οὐχ ὁρᾷς, ὁπόταν τὸ μὲν βιβλίον ἐν τῇ χειρὶ ἔχῃς πάγκαλον, πορφυροῦν μὲν ἔχον τὴν διφθέραν, χρυσοῦν δὲ τὸν ὀμφαλόν. Pingi quoque solitos esse vmbilicos, ex MARTIALE discimus. Adhortatus enim librum suum, vt sibi quaerat Patronum, *L. III, Epigr. 2*, scribit:

Pictis luxurieris vmbilicis.

Et, *L. V, Epigr. 6*, nigrorum meminit vmbilicorum:

Nunquam grandia, nec molesta poscit,
Quae cedro decorata, purpuraque,
Nigris pagina creuit vmbilicis.

Erat vero vmbilico forma tenuissimi cylindri, praecise pro modo latitudinis membranae aut chartae accommodata; quae ideo quidem addebatur, vt tum firmamentum aliquod praestaret chartae; tum vt tota chartarum series circa hunc bacillum conuolueretur. TH. BARTHOLINVS, *de libris legendis Dissert. IV, p. 125*, dicit Romanorum libros vno expanso folio constitisse in cylindri formam conuoluto, intra bacillos plerumque duos, instar fasciarum. Id cum de Ebraeorum quidem voluminibus certissimum sit; quemadmodum in Disputatione tertia ostendemus; ita, ita, eundem morem Romanis etiam non ignotum fuisse, ex illis STATII verbis *L. IV Sylu. 9*, adstrui posse videtur:

Noster purpureus, nouusque charta,
Et binis decoratus vmbilicis.

Nisi quis existimet, vmbilicos in sensu multitudinis συνεκδοχικῶς de partibus, hoc est, de cornibus librorum, dici. Quoniam autem vmbilicus non impingebatur, nisi toto opere absoluto, et ad finem perducto; hinc *ad vmbilicum peruenire*, idem erat, ac finire et opus perficere. Quo ille MARTIALIS locus, *L. IV, Epigr. 91*, spectat:

Ohe iam satis est, ohe libelle.
Iam peruenimus vsque ad vmbilicos:
Tu procedere adhuc et ire quaeris,
Nec summa potes in scheda teneri.

Et haec HORATII verba, *Epod. XIV:*

Deus, Deus, nam me vetat
Inceptos, olim promissum carmen, Iambos
Ad vmbilicum adducere.

Sic etiam SIDON. APPOLLINARIS loquitur, *Epist. 16, L. VIII: Iam venitur ad margines vmbilicorum; iam tempus est, vt Satyricus ait, Orestem nostram vel super terga finiri.* Quae loquendi ratio nec Graecis fuit ignorata. Id quod declarat epigramma illud ἄδηλον εἰς Ἡράκλειτον, *ex L. I Anthol. Cent. 6,* quo monuit Epigrammatistes, ne cursim et properanter Heracliti libros legamus, eos ad vmbilicum euoluere festinantes; cum multa in eis intricata et obscura occurrant:

incerti auctoris in Heraclitum.

Μὴ ταχὺς Ἡρακλείτου ἐπ᾽ ὀμφαλὸν εἴλυε βίβλον
Τοὐφεσίου· μάλα τοι δύσβατος ἀτραπιτός.

Iam haec scripseram, cum postea forte incidi in THEODORI IANSS. AB ALMELOVEEN *Coniectanea*, vbi ille, *p. 155,* statuit, vmbilicum in libris dici solitum ligamentum mediae membranae alligatum; atque hinc acute arguteque, coniicit, illam, quam dixi, loquendi formulam, non a ligneis, osseis, corneisue librorum ornamentis, sed a funiculo, quo circumligarint veteres volumina, desumtam esse. *Non memini, inquit, me vnquam legere, Auctorem hocce adagium:* ad vmbilicum peruenire, *exponentem, quin ad ossea, eburnea, cornea, aut aerea respiciat cornua, quae ligno, seu caudici, circum quod membranas conuoluebant, imponebantur; quae cum medium voluminis occupabant, vmbilici a loco nomen accepere. Neque aliter hactenus vmbilicum, quam ornamentum, puto, aut interpretor; verum postquam voluminis figuram ab Isaaco Vossio in notis ad Catullum, p. 54, aere vidissem expressam, in hanc plane aliam incidi opinionem, seu potius coniecturam, quam animi duntaxat gratia hic propono; desumtam esse scilicet loquendi formulam, non ab istis ornamentis, sed funiculo, quo circumligabant volumina, vt rite clausa nitidius possent a sordibus conseruari, et commodius seponi. Atque vt altius repetam, crediderim ad similitudinem vmbi-*

lici


lici foetuum animalium plerorumque ita fuisse vocitatum: nam si collatio instituatur, idem pene erit vsus, eadem constitutio. Subiicit his doctissimus Scriptor aliquot rationes, quibus similitudinem vmbilici in animalibus, et in voluminibus, ostendat: sed, quamuis hae satis ingeniose sint excogitatae; attamen, cum veterum testimoniis comprobari nequeant, tantum apud me proficere non potuerunt, vt ab ea, quam superius explicaui, sententia discederem. Nitor enim praeter alia potissimum auctoritate PORPHYRIONIS, antiqui Grammatici, qui *ad XIIII Epod. Horatii* scripsit: *Ad vmbilicum adducere, dicitur finire et consummare; quia in fine libri vmbilici ex ligno, aut osse, solent poni.* Vbi PORPHYRIO nullius hic ligamenti ac funiculi meminit. Deinde, quod MARTIALIS alio loco dixerat: *peruenire vsque ad vmbilicos;* hoc idem, *L. XI, Epigr. 8*, dixit: *explicare librum vsque ad sua cornua.* Cornua autem erant osseae aut ligneae extremitates vmbilicorum; quas ipsas non nunquam etiam *vmbilicos* dictas esse opinor. Adhaec multos habeo viros clarissimos, quorum iudicio accedo. Nominasse in praesens sufficiat SALMASIVM, *in Solinum p. 495.* GVID. PANCIROLLVM, eiusque interpretem, HENR. SALMVTHVM, *de reb. memorab. deperd. pag. 278.* P. MANVTIVM, *ad Epist. 7, L. III, Epist. Famil. Cicer.* IO. BRODAEVM, *in Epigramma illud ἄδηλον εἰς Ἡράκλειτον L. I Anthol.* COEL. RHODIGINVM, *Antiqu. Lect. L. XV, c. 20;* BECANVM GOROPIVM, *Hieroglyph. L. X, p. 161*, et alios, inprimis vero IO. PIERIVM, qui *L. XXXIIII Hieroglyph. c. 38*, primo monet, multos in hac re exponenda hallucinari: deinceps autem rem ipsam plane ex sententia nostra pluribus exponit. Cuius verba, cum supra a me praetermissa sint, nunc hoc loco afferre libet: *Sciendum*, inquit, *libros olim fieri solitos ductu plurimum perpetuo, vna quippe pagina, non, vt nos, illis dissectis, et in quaterniones, quos dicimus, consertis; et quia complicabantur ad instar spirae conuoluti, inde volumina dicta sunt, a voluendo. In extrema autem pagina firmitudinis ergo paruus admodum bacillus, ex cedro quippe aut buxo, cupressoue, vel ex ebeno, vel ex ebore, adglutinabatur, ad latitudinis modum, qua membrana praecisa erat. Hunc vmbilicum appellabant. Cuius quidem capita, volumine complicato, hinc et inde prostabant; solebantque ea ex argento, vel etiam gemmis, ad ornatum praemuniri. Atque ea sunt, quae cornua non nulli vocitarunt, vt Ouidius ad librum, Epist. Trist. I:*

Candida nec nigra cornua fronte geras.

h. e. *neque ebore, neque argento, aut nitida vlla gemma, vmbilici praemuniantur; cuius facies atrata luctum prae se ferat.* Quo maiorem vero fidem huic sententiae faceret doctissimus Auctor, testatus insuper est, se ipsum huius generis volumina multa vidisse, eaque vetustissima; alia quidem ex membranis, alia ex Nilotica papyro, alia Graecis, alia Ebraicis, alia etiam Arabicis literis, perscripta.

XVI. Non videor hoc loco silentio praetermittere debere, quid vox *coronis* significarit veteribus, cum de libris vsurpata inuenitur. Pro eo enim, quod dicitur, *ad vmbilicum ducere*; alii dicunt: *κορωνίδα ἐπιτιθέναι, coronidem imponere.* De qua coronide MARTIALIS loquitur, *L. X, Epigr. 1.*:

Si nimius videor, seraque coronide longus
Esse liber; legito pauca, libellus ero.

Et PLVTARCHVS, *in Libro de fortuna Alexandri*, dum refert, Philoxenum a Dionysio in latomias coniectum esse, idque ideo accidisse, quod is totam Tragoediam, quam Dionysius ipsi emendandam tradiderat, *ἀπὸ τῆς ἀρχῆς μέχρι τῆς κορωνίδος, h. e. ab initio ad coronidem, siue finem, libri vsque*, deleuisset. Atque haec *παροιμία* non minus generatim ad alia solet accommodari; cum scilicet vltimam rei manum admotam et extremum cuiuspiam rei finem significamus. Sic *κορωνίδα τοῦ βίου* dixit PLVTARCHVS *in Libro: an seni capessenda respublica?* Et NAZIANZENVS in *funebri oratione Cypriani: ξίφει τὴν κεφαλὴν τμηθεὶς, καὶ ταῖς πολλαῖς βασάνοις ταύτην ἐπιτίθησι τὴν κορωνίδα.* Putant quidam, coronidem in libris speciatim dici de vmbilico librorum. Quod affirmat TH. DEMPSTERVS, *in Paralip. ad L. I, c. 13 Antiqu. Rom. Rosini.* At tunc crederem, potius coronidem de cornibus, quam ipso vmbilico, dici potuisse. *Κορώνιος* enim est, HESYCHIO explicante, *μηνοειδῆ ἔχων κέρατα*, hoc est, qui incurua et lunata cornua habet. Et *κορωνὶς* alias fastigium et apex in aliqua re appellatur. *Vid.* HENR. STEPHANVS *in Thes. Gr. Linguae.* In libris certe, auctore ISIDORO, *Orig. L. I, c. 20*, *κορωνὶς* notauit huiusmodi signum ; quod in calce librorum appingi consueuit, ad indicandum finem. SCHREVELIVS ad verba Martialis antea a nobis citata monet, coronidem signum absoluti operis in fine libri positum fuisse, hac figura *V* vel *7*, alae scilicet cornicis. Hinc

κορωνὶς

κορωνὶς etiam nota critica appellabatur, quam cumprimis in Comicorum et Tragicorum fabulis adhibebant. Cuiusmodi et *Asteriscus*, et *Paragraphus*, et *Diple*, et aliae plures fuerunt: quas antiqui Grammatici excogitarunt, distinguendi caussa, et vt Actoribus inseruirent; dum exitus eorum et introitus, itemque mutuas personarum responsiones, et carminum variationem, indicarunt. Qua de re videatur IOS. BARNESIVS, *in Prolegom. ad Euripidem.* Nominatim vero Coronis erat γραμμή τις βραχεῖα, καμπήν τινα ὑποκάτω ἔχουσα, linea breuis inferne aliquantum incuruata. Cuius in Dramatibus triplicem vsum fuisse, obseruauit SCHOLIASTES *Aristophanis*, *ad Plutum*, *Act. II*, *Sc. I:* nimirum, quando, histrionibus abeuntibus, relinquebatur chorus; vel quando, choro digresso, remanebant histriones; vel denique, quando loca in scena commutabantur. Ita enim hic Scholiastes ex HEPHAESTIONE scribit: Χρώμεθα δὲ τῇ κορωνίδι ἐν τοῖς δράμασιν κατὰ τρόπους τρεῖς· ἤτοι ὅταν, τῶν ὑποκριτῶν εἰπόντων τινὰ καὶ ἀπαλλαγέντων, καταλείπηται ὁ χόρος, ἢ ἔμπαλιν· ἢ ὅταν μετάβασις ἀπὸ τόπου εἰς τόπον γίνεσθαι δοκῇ τῆς σκηνῆς. Atque huc etiam pertinet, quod SCHOLIASTES *in Euripidem*, *ad v. 216 Hecub.* annotauit: ἐπὶ τῷ τέλει μὲν τῶν ἀποθέσεων παράγραφος· Ἐπὶ τῷ τέλει δὲ πάντων τῶν στίχων κορωνὶς, ἐξιόντων ὑποκριτῶν. Praeterea *coronis* dicitur interdum, quod tanquam additamentum operi absoluto accedit, adeoque in libris auctarium et appendix. Quo pertinet, quod auctor Etymologici magni habet: κορωνὶς, καὶ τὸ προσηγορικὸν τὸ ἐπιτιθέμενον ἐν τῷ τέλει τῶν βιβλίων. Vnde quidam statuunt, a MARTIALE, *L. X*, *Epigr. 1*, coronidem appellari id, quod noua emendatione illi libro addiderit. Ceterum plures huius vocis, κορωνὶς, significationes exposuit COEL. RHODIGINVS, *Antiqu. Lect. L. I*, *c. 20.* Vnde autem ista loquendi formula: κορωνίδα ἐπιτιθέναι, *coronidem alicui rei imponere*, originem traxerit, non eadem eruditorum est sententia. Alii eam manasse putant a coronide, siue nota, quam in fine libri apponi consueuisse commemoraui, aut quae in Comoediis et Tragoediis actus complementum significauit. Alii desumtam existimant ex Homerico illo: χρυσῆν δ' ἐπέθηκε κορώνην, de fabro arcum fabricante. Rursus alii credunt, ortam esse ab aedificiis, quorum iam absolutorum fastigio κορώνη imposita fuerit. SVIDAE enim κορωνὶς est, τὸ τελευταῖον τῆς οἰκοδομῆς ἐπίθεμα. Sunt etiam, qui a nauibus hoc prouerbium translatum dicant, quibus aliquid rostri speciem gerens consueuerit addi.

auream imposuit coronidem.

Quod in supremo domum funeris ponitur.

addi. EVSTATHIVS, *in Homer. ῥαψωδ. α. Iliad. v. 170, p. 73, edit. Rom.* aliquot rationes, vnde adagii huius origo deriuari queat, simul complexus haec scribit: Ἀπὸ τȣ̃ ζώȣ τῆς κορώνης εὐλύγιςον ἐχȣ́σης τὸν τράχηλον, ἡ τῶν θυρῶν κορώνη μετήνεκται· ὥσπερ καὶ ἀπὸ τȣ̃ κόρακος, ὁ κόραξ, δηλαδὴ τὸ κοράκιον. Ἀπὸ δὲ τῆς τῶν θυρῶν τάυτης κορώνης διὰ τὸ ἐπικαμπὲς τȣ̃ ὀργάνȣ, ἴσως δὲ καὶ ἀπὸ τȣ̃ ζώȣ, καὶ κορωνίδες λέγονται νῆες, ȣ̓ μόνον ὡς κατὰ τὴν κορώνην μέλαιναι ἀλλὰ καὶ ὡς τὰ ἄφλαςα τὰ κατὰ πρώραν καὶ πρύμναν, οἷα ἐν λυγισμῷ ἐπικαμπτόμενα ἔχȣσαι. Αἱ δὲ τοιαῦται κορῶναι καὶ τὴν κορώνην παρήγαγον, εἰς ἣν ἐντίθεται νευρὰ, ἄκραν ȣ̓̃σαν τȣ̃ τόξȣ. Ὅθεν καὶ τὸ ἀγαθὸν τέλος τῶν πράξεων, χρυσῆν κορώνην ἡ παροιμία καλεῖ· ὡς ὅτε τις εἴπῃ, χρυσέαν ἐπιτεθῆναι κορωνίδα ταῖς πράξεσιν, ἢ τοῖς λόγοις, ἤτοι συμπέρασμα καὶ τέλος, ἀπὸ τῆς τοιαύτης τȣ̃ τόξȣ κορώνης τὴν μεταφορὰν λαβȣ̃σαν· ἢ τυχὸν δὲ ἀπὸ τῆς τῶν νηῶν κορωνίδος· ἢ καὶ ἀπὸ τῆς τὰς θύρας συγκλειȣ́σης κορώνης. Eligat per nos, quam quisque potissimum amplecti velit, opinionem: habent enim pleraeque suam, qua se commendent, probabilitatem. Neque vero nos poenitet eorum esse sententiae, MARTIALEM, vbi coronidis meminit, vel ad signum finiti et absoluti libri respexisse, vel certe generatim istam vocem μεταφορικῶς pro *fine* posuisse, arbitrantur.

XVII. Ab vmbilico et coronide venio ad CORNVA LIBRORVM; quae Graece ἀκρομφάλια dicta esse puto. BARTH. MERVLA, *ad Eleg. 1, L. I Trist. Ouid.* scribit, haec cornua appellari superiorem et inferiorem chartae partem; frontem vero ipsam paginam. Quam male autem ista scripserit MERVLA, sequentia declarabunt. Scilicet surculo illi, seu bacillo, quem vmbilicum nominari notauimus, in fine ab vtraque parte addebant capitula, quae, (*prout in Fig. III, literae c et d indicant*,) complicatis in volumen chartis, vtrinque apparebant, et extra frontes librorum eminebant, auro plerumque, argento, ebore, gemmis, aliisque rebus ornata. Nec secus iudicant viri eruditissimi: PANCIROLLVS, *rer. memorab. p. 269*, et eius interpres, HEINR. SALMVTHVS, *p. 278*; item PAVL. MANVTIVS, *in Comment. in Epist. Cicer. L. III, Ep. 7*; IS. VOSSIVS, *ad Catull. p. 54*; HERMANNVS HVGO, *L. de prima origine scribendi, c. 35*, et alii. Cum vero istae extremae vmbilici partes plerumque rotundae fuisse perhibeantur; hinc accidisse credo, vt et ipsae vmbilici sint appellatae: adeoque huc ea Poetarum loca, vbi duorum vmbilicorum fit mentio, referri posse arbitror. Cornua vero dictae sunt, vel quia aliquando ex cornea materia constiterunt;

ſtiterunt; vel quia nonnunquam cornuum quoque formam prae ſe tulerunt, adeoque, quia vti cornua ſupra bouis vel arietis caput, ita hi ſupra conuolutum volumen prominuerunt. Ceteroquin iſta cornua pulchris coloribus ornari conſueuiſſe, TIBVLLVS teſtatur his verbis:

Atque inter geminas pingantur cornua frontes.

Cui OVIDIVS concinit:

Candida nec nigra cornua fronte geras.

XVIII. Diximus, cornua prominuiſſe extra frontes voluminum complicatorum: quapropter nunc quoque de hiſce FRONTIBVS paucis agemus. In quibus deſignandis deſcribendisque diſſident inter ſe viri eruditi. Inter hos CNIPPINGIVS in iſta OVIDII verba commentatus: *Nec fragili geminae poliantur pumice frontes*: *Vtramque*, inquit, *chartae planiciem Poeta intelligit, puta exteriorem et interiorem; quae ambae prius pumice radebantur, tum ob elegantiam, tum ne aſperitas calamum offenderet ac retardaret.* Verum, frontes non erant planicies, ſed extremitates chartae vel membranae in ſpiram complicatae; in quarum medio apparebant cornua. Quas frontes, *in figura III. voluminis conuoluti*, literis *e* et *f* notauimus. Porro nec in frontibus quicquam calamo ſcribebatur: ſed eae ornatus cauſſa circumcidebantur, et pumice poliebantur. Adeoque, quod in cylindris baſes, id in voluminibus frontes erant; et eadem volumina geminas frontes, non ſecus ac cornua gemina, habebant. Ita non ſolum OVIDIVS, loco citato, geminarum meminit frontium; ſed TIBVLLVS etiam, *L. III, El. 1:*

Atque inter geminas pingantur cornua frontes.

Item MARTIALIS, *L. III, Epigr. 2:*

Et frontis gemino decens honore
Pictis luxurieris vmbilicis.

Quod ſi vero, ſcribit IS. VOSSIVS ad *Catulli Epigr. 1, libris quadratis pari ratione, ac voluminibus in rutulum conuolutis, frontes aſſignare velimus, ſicque appellare partes, quae circumciduntur; vtique non duas, ſed tres, frontes habebunt: cum a totidem partibus charta, ſeu pergamena, incidatur.*

XVIIII. Sed ad internum librorum ornatum etiam pertinuit, quod illi et olim raderentur, et circumciderentur, itemque pumice laeuigarentur. Quod ad *radendos libros* attinet, protulit ea de re locum ex PETRO BLESENSI, quamuis recentioris paullo

ſaeculi

faeculi fcriptore, Cl. SCHOETGENIVS, in *difput. de Librariis antiquorum*, anno 1710 habita; (de quibus Librariis et nos inpofterum acturos promiferamus.) PETRVS vero ille BLESENSIS, *in Sermone de Natiuitate Domini*, ita fcripfit: *Audi Libri compofitionem, vt et omnia in corde tuo comparare ftudeas. Prius traditur rafori, vt cum raforio omnem fuperfluitatem, pinguedinem, fcrupulos et maculas tollat: deinde fuperuenit pumex, vt, quod rafio auferre non potuit, pumice deleatur; fcilicet pili et talia minuta. Adhaec, antequam fcribatur, opus eft regula, ne tortuofe ducatur linea.* Quin et veteres radendo membranas ad fcribendi vfum praepararint, haud eft dubium; cum et easdem, vti poftea dicemus, pumice laeuigarint. Sed nunc de *circumcifis voluminibus* pauca differemus. Nimirum, quemadmodum hodie noftri libri quadrati folent circumcidi, tum vfus commodioris, tum maioris etiam ornatus cauffa; ita et veteres fua *circumciderunt* volumina: quod pofteriora faecula *demarginare* appellarunt. Huius rei, praeter alios, LVCIANVS etiam meminit, *aduerfus indoctum*, vbi et alia fimul veterum librorum ornamenta recenfet. *Τίνα γαρ ἐλπίδα*, inquit, *καὶ αὐτὸς ἔχων εἰς τὰ βιβλία καὶ ἀνελίττεις ἀεὶ, καὶ διακολλᾶς καὶ* ΠΕΡΙΚΟΠΤΕΙΣ, *καὶ ἀλείφεις τῷ κρόκῳ καὶ τῇ κέδρῳ, καὶ διφθέρας περιβάλλεις, καὶ ὀμφαλοὺς ἐντίθεις, ὡς δή τε ἀπολαύσων αὐτῶν.* ISIDORVS, *L. VI, c.* 12, inuentionem huius circumcifionis Siculis acceptam refert: *circumcidi libros*, inquit, *in Sicilia primum increbuit.* Vnde hic in iftam inciderit fententiam, vix habeo, quo me certa coniectura ducat. Interim, nifi vehementer fallar, auguror, auctorem hunc, cuius lufus frequentiores alioquin eruditi non ignorant, fortaffe feductum effe ab antiquo nomine *Sicila*, a *fica*; quod erat fcalprum librarium, aut certe inftrumentum circumcidendorum librorum. Veteribus enim Gloffis *Sicila* dicitur *σμίλα χαρτότομος*. Hinc etiam verbum olim vfurpatum inuenitur: *ficilire*; quod eft, fecare, circumcidere: quemadmodum *ficilire prata*, apud VARRONEM, *L. I de re ruft. c. 49*: neque minus apud PLINIVM, *L. XVIII, c. 28*, reperitur. Ac, ficuti falces a fecando *feculae* funt appellatae, auctore VARRONE, *L. IV, n. 22. de L. L.* ita easdem *ficiliculas* veteres dixere, a ficiliendo. A quo multi credunt appellatam quoque effe Siciliam; quoniam *ficilita* diffectaque fuerit ab Italia. Nobis nihil certi hic definire licet. Minus tamen a vero abhorrere videtur, quod IS. VOSSIVS, *ad Catullum, p. 53* fcripfit: morem hunc circumcidendorum librorum pro-

propemodum aeque antiquum esse, quam sit ipse voluminum vsus, praesertim cum ARISTOTELES luculentam huius fecerit mentionem, *in Problemat. Sect. XVI, Probl. 6*; vbi pluribus docet, qua ratione isthaec sectio fieri debeat. Ita enim primum quaerit: *Διὰ τί τῶν βιβλίων ἡ τομὴ ἔσα ἐπίπεδος καὶ εὐθεῖα, ἐὰν μέν τις τέμῃ παρὰ τὺν βάσιν, γίνεται εὐθεῖα, ἀνελιττομένη· ἐὰν δὲ ἐγκλίνας, σκολιά;* Ostendit deinceps Philosophus, quo modo et qua arte sectio illa sit instituenda; sed verba eius in praesens afferre supersedemus. Ceterum huic ARISTOTELIS problemati lucem affundere sategit MELCH. GVILANDINVS *in libro suo de Papyro, m. II.* Nec minus huc spectant, quae IS. VOSSIVS, *ad Catulli Epigr. XXII*, de circumcidendorum voluminum ratione tradidit, quaeque huc transscribere non piget. *Erigenda sunt*, inquit, *volumina ad rectos angulos, super planum aliquod aequale, sic, vt sectio frontis superioris ad perpendiculum respondeat basi, seu fronti inferiori. Si enim hoc modo sectio instituatur, ac deinde volumen explicetur, sectio aequalis fuit ac rectilinea. Quod si volumen non ad rectos angulos, sed oblique erigatur, et sic secetur, vt circuli non sint aeque distantes ad centrum vmbilici; vtique sectio non erit aequalis, euolutoque volumine, linea sectionis apparebit non recta, sed vndulata, et in minores minoresque successiue desinet sinus. Vt in volumine A.* (Fig. VIIII.) *si ad rectos secetur angulos, iam quoque recta erit sectionis linea. Idem si oblique secetur, vt in B. efficit lineam C. D. quam euolutam helicen possis dicere.* Sicuti vero haec voluminum conuolutorum circumcisio non sine artificio perficiebatur; ita credo, nonnunquam volumina, cumprimis quae minora et ad priuatum vsum destinata erant, faciliori modo explicata circumcidi, eorumque eminentes asperasque partes detonderi, potuisse; aut certe singulas plagulas, ex quibus volumen conglutinatum erat, ita praeparatas et aequatas fuisse, vt circumcisione deinceps non multum fuerit opus.

XX. Porro ISIDORVS, *L. VI, c. 12*, dicit, ante inuentam circumcisionem libros fuisse *pumicatos*, h. e. pumice politos. Pumex enim lapis cauernosus, quo corpora laeuigabant veteres, teste OVIDIO, *L. I de arte amandi:*

Ne tua mordaci pumice crura teras.

Deinde in aliis etiam rebus, ac cumprimis in libris poliendis, pumices vsurparunt. Quod confirmat PLINIVS. Nam *L. XXXVI, c. 21 Hist. Nat. Sed et ii*, inquit, *pumices, qui sunt in vsu corporum laeuigandorum foeminis, iam quidem et viris, atque, vt*

ait Catullus, libris, laudatissimi sunt in Melo, Scyro, et Aeoliis insulis. Ita vero CATVLLVS cecinit, *in Epigr. ad Corn. Nepot.*

Quoi dono lepidum nouum libellum,
Arida modo pumice expolitum?

IDEM, *in alio Epigr. ad Varum:*

Membrana directa plumbo,
Et pumice omnia aequata.

Similiter HORATIVS, *Epist. XX*, librum suum ita alloquitur:

Vertumnum Ianumque, liber, spectare videris;
Scilicet vt prostes Sosiorum pumice mundus.

Quibus addas MARTIALEM, *L. VIII. Epigr. 72.*

Nondum murice cultus, asperoque
Morsu pumicis aridi expolitus.

Speciatim frontes pumice poliebantur. Quod testatur OVIDIVS in elegia saepius a nobis laudata:

Nec fragili geminae poliantur pumice frontes;
Hirsutus sparsis vt videare comis.

Item MARTIALIS, *L. I. Epigr. 67.*

Mutare Dominum non potest liber notus;
Sed pumicata fronte si quis est nondum.

Neque vero tantum frontes, sed membranas etiam, quibus inuoluebant libros, pumice laeues reddebant; vt scilicet manibus tractantibns essent benigniores. *Vid.* BARTHOLINVS *de Libris legendis, Dissert. IV.* Et CASAVBONVS, *in comment. ad Satyr. III Persii;* vbi: *Pumice,* inquit, *poliebant non solum opercula librorum, vt apud Catullum, et alios; sed etiam membranas, vti videtur, in quibus scribebant: itaque cum atramento, calamo et cultello, pumicem ad manum habebant semper, qui membrana aut charta vtebantur; sed is pumex praecipue ad exacuendos calamos erat illis vsui.* Chartacea vero volumina (de membranaceis enim non negauerim) in ea parte, cui inscribebatur, pumice etiam expolita esse, vix crediderim. Namque id non requirebat, neque fieri permittebat, materia chartarum conglutinata. Potius alio quodam instrumento, puta, dente animantis, aut concha, chartae laeuigabantur. Ait enim PLINIVS, *L. XIII, c. 12: Scabritia chartarum laeuigatur dente, conchaue.* Hinc etiam *charta* dicta est *dentata.* Vnde CICERO ad *Quinctum Fratrem, L. II, Ep. 14*, scribit: *Calamo et atramento temperato; dentata etiam charta, res agetur.* Quam chartam dentatam ERASMVS quidem, *Adag. Chil. III, Cent. VI, Ad. 87*, acerbam,

bam, et mordacem ſcripturam interpretatus eſt; ſed chartam intelligi credo animantis cuiusdam dente laeuigatam; quo aſperitas eius, ſi qua eſſet, complanaretur, et calamus quaſi expeditius curreret. Ceteroqui recentioribus *chartae indentatae*, ſeu *indenturae*, dictae ſunt ſyngrapha, et *ſcripturae conuentionales*, in modum dentium deciſae, ſibique parallelae, vt, orta fortaſſe controuerſia, ſimul aptari, et inuicem conferri poſſent: eaeque pro contrahentium numero non modo bipartitae, ſed tripartitae etiam, et quadripartitae, ac vltra, fuerunt. Etenim in vna membrana eiusdem inſtrumenti duo pluraue aliquando exempla deſcribebantur, et inter illa literae quaedam maiusculae, quae in duas partes per medium diuidebantur; vt adeo membranae quandam dentium formam in ſingulis exemplis praeferrent: vnde et *indentatis* nomen acceſſit. De quibus videre licet CAROLVM DU FRESNE, *in Gloſſar. Lat.* et MABILLONIVM, *de re Diplomatica*, *L. I*, *c. 2.*

XXI. Sed et malleo veteres libros ſuos complanaſſe leguntur. Apparet illud teſtimonio VLPIANI, dum, *libro Pandectorum XXXII*, huius rei mentionem faciens: *Non male*, inquit, *quaeritur, ſi libri legati ſint*, *annon contineantur nec dum perſcripti? Et non puto contineri; non magis*, *quam veſtis appellatione nondum detextam. Sed perſcripti libri nondum malleati*, *vel ornati*, *continebuntur.* Intelligimus inde, libros, cum iam perſcripti eſſent, malleo demum fuiſſe ſubiectos; forte, vt comprimerentur magis, et aptius omnia cohaererent. Hoc vero in libris quidem quadratis potiſſimum fieri potuiſſe, apertum eſt; ſed qua ratione in voluminibus locum inuenerit, non ſatis capio. Quapropter Poetae, dum librorum ornatum deſcribunt, nusquam, quantum mihi quidem conſtat, malleatorum meminerunt; ſiquidem carmina ſua in voluminibus plerumque conſignarunt. Iſtud vero ſatis certum eſt, ſingulas chartarum paginas, antequam perſcriberentur, et volumina inde conglutinarentur, malleo erugari extendique conſueuiſſe. Qua de re videatur GVILANDINVS, de *Papyro*, *membr. XXII*, et SALMVTHVS in *Pancirolli noua reperta*, *Tit. XIII.*

XXII. Neque vero his ſolum rebus veteres ſua adornarunt volumina; ſed praeterea etiam extimae voluminis orae, in auerſa chartarum parte, agglutinarunt fruſtum membranulae, purpureo alioue colore tinctae. Cuiusmodi membranulam titulo inſignitam, *Fig. III*, *lit. g.* repraeſentauimus. Huic enim ab externa parte in-

dicem,

dicem, h. e. titulum libri et nomen auctoris, aureis aliisque inscribebant literis. Vnde MARTIALIS, *L. III, Epigr. 2* dixit:

Et cocco rubeat superbus index.

Et OVID. *L. I Trist. El. 1:*

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

De tali membranula loquitur CICERO, *in Epistol. 4. ad Attic. L. IV. Vellem*, inquit, *mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio vtatur glutinatoribus, ad cetera administris; iisque imperes, vt sumant membranulam, ex qua indices fiant, quos vos Graeci, vt opinor, συλλάβους appellatis.* Ita plurimi, qui istas CICERONIS epistolas ediderunt, haec verba hucusque legerunt. Atque tunc significatio vocis σύλλαβος ampliari debet, nec, quae alioquin vsitatissima eius notio est, hoc loco de argumentorum, quae libro aliquo continentur, summaria recensione, sed de titulis voluminum, est exponenda; adeo, vt aeque late pateat, ac Latinorum nomen, *index*. Quod nomen itidem hoc loco a vulgari vsu recedit, neque catalogum rerum in libro tractatarum notat; (de cuiusmodi indicibus supra, n. XII, egimus;) sed inscriptionem significat et titulum librorum, qui alias ἐπιγραφὴ appellatur. Quo sensu MARTIALIS accepit, in epigrammate modo citato:

Et cocco rubeat superbus index,

Item A. GELLIVS, in *Praefat. N. A. Sunt*, inquit, *qui indices libris suis fecerunt, aut epistolicarum quaestionum, aut confusarum.* Sic etiam SVETONIVS locutus est *in vita Tiberii Claudii, c. XXXVIII: Nec ante persuasit, quam intra breue tempus liber editus sit, cui index erat μωρῶν ἀνάστασις.* Item in *vita Caligulae, c. XLIX. In secretis eius reperti sunt duo libelli, diuerso titulo: alteri, gladius; alteri, pugio, index erat.* SCALIGER et VOSSIVS malunt in citato CICERONIS loco σιττύβους legere; sed nescio, an satis commode. Σίττυβος enim, quod hic locum habere nequit, dicitur vasis genus quoddam, et, secundum nonnullos, idem quod κάκκαβος, vel λοπάς. Ita enim POLLVX, *in Onomast. L. X, c. 21*, scribit: - - Καὶ κάκκαβον λέγω, καὶ ἴσως δὲ ἂν εἴποις λοπάδα. Ἐμοὶ δὲ τοὔνομα δόκει διαφέρειν. εἴτε κάκκαβόν τινες χαίρουσιν ὀνομάζειν, εἴτε σίττυβον. Quibus haud dissimilia tradit EVSTATHIVS, in A ῥαψ. *Iliad. Homer. p. 872, Rom. edit.* Equidem vox σιττύβα apud HESYCHIVM legitur; cui σιττύβαι sunt δερμάτιναι στολαὶ, vestes pelliceae. (Caetera enim verba, quae proxime sequuntur, τὰ μικρὰ ἱμαντάρια, huc non pertinere, ostendit REINESIVS, *Var. Lect.*

L. III,

L. III, c. 1. Quanquam et in PHAVORINI *Lexico* eadem legantur: *Σιττύβαι δερμάτιναι στολαὶ, τὰ μικρὰ ἱμαντάρια.*) Similiter POLLVX, *L. VII, c. 15*, *σιττυβῶν* meminit, ſi IS. VOSSIO fides habenda. Hic enim in ſuo optimo libro ita legit: *Καὶ σκύτιναὶ δὲ ἦσαν ἐσθῆτες. Σιττύβα μὲν χιτὼν ἐκ δέρματος* Vbi alii, omiſſa voce *σιττύβα*, legunt: *Καὶ σκύτιναι δὲ ἦσαν ἐσθῆτες, καὶ χιτὼν ἐκ δέρματος.* Verum, ſic quidem appellari poſſent inuolucra et integumenta librorum, ſeu membranae illae et lacinia, quibus inuoluebantur libri; non vero membranulae, quae libris agglutinatae titulum operis et nomen auctoris oſtentabant; de quibus quidem loquebatur hoc loco CICERO, et quem praecipue in finem membranulas, quibus tituli inſcriberentur; et glutinatores, qui membranulas titulis conſcriptas tergis voluminum et codicum agglutinarent, ab Attico petebat. Aliam igitur lectionem dedit I. G. GRAEVIVS, bonarum literarum quondam ſtator praeſtantiſſimus; vtpote cui perſuaſiſſimum fuit, *σιλλύβους* legendum eſſe, pro *συλλάβους*, aut *σιττύβους*. Iſtas autem membranulas, quibus indices, hoc eſt, tituli librorum inſcribebantur, *σιλλύβους* dictas eſſe, confirmauit auctoritate HESYCHII, qui *σίλλυβον* interpretatur *ἀκάνθιον, ἁδρὸν καὶ ἐδώδιμόν τι, καὶ τὸ τῶν βιβλίων δέρμα.* Quae ipſa verba PHAVORINVS etiam in *Lexico ſuo* repetiit. Sane ſi, quod SALMASIVS ad *Iulii Capitolini Pertinacem* ex Polluce, Heſychio et Euſtathio, docuit, *σίλλυβοι* et *σίλλυβα* etiam ſunt pelles, quae oris veſtium aſſui conſueuerunt; iſta vox non male huc accommodatur. Sicuti enim pelliculae oris veſtium, ornatus cauſſa, aſſuebantur; ita membranulae etiam, quae nomina auctoris et librorum pulchris litteris ſcripta referebant, in maiorem ſplendorem voluminibus atque codicibus affigebantur. Vtcunque eſt, mihi quidem CICERO, vir Graecae linguae alias bene gnarus, ad eam rem ſignificandam vocabulum Graecum vel dubiae ſignificationis, vel rarioris vſus, adhibuiſſe videtur; cum haec verba addiderit: *vt opinor.* Scribit enim: - *Sumant membranulam, ex qua indices fiant, quos vos Graeci*, vt opinor, *συλλάβους* (*σιλλύβους*) *appellatis.* De huiusmodi membranula, niſi omnia me fallunt, ſatis perſpicue loquitur TIBVLLVS, *Eleg. 5. L. III.*

Summaque praetexat tenuis faſtigia chartae,
Indicet vt nomen litera picta tuum.

Literam pictam Poeta vocat indicem, ſiue titulum elegantibus iisque pictis literis ſcriptum, qui nomen libri auctorisque *indicabat.* Si enim antiquum pingendorum titulorum morem reſpiciam, ma-

lim ita legere, quam, *littera pacta*, aut *littera facta*, quod alii habent. Vult autem TIBVLLVS, vt iste titulus eleganter pictus et peculiari membranulae inscriptus, summa voluminis fastigia *praetexat*, h. e. *cooperiat et obuelet.* Quemadmodum PLINIVS, *L. VI, c. 25*, hoc verbum vsurpauit: *montes*, inquit, *eas gentes omnes praetexunt.* Hinc etiam quaedam togae species dicta est *praetexta*; quod in extrema ora limboque purpuram praetextam, siue circumtextam, haberet. Summa autem *chartae vestigia* Poetae vocantur extrema ora voluminis, seu suprema eaque auersa pars πρωτοκόλλυ chartae, quae per se tenuis atque fragilis erat, adeoque hac ipsa membranula quodammodo simul muniebatur. Ceteroquin tales membranulas etiam πιττάκια appellari potuisse, vix est, quod dubitem. Erant enim πιττάκια alias breues tabulae, picea quadam illitae, in quibus tituli rerum, et, quae paucis verbis comprehendi poterant, scribebantur; a πίττα nomine facto, quod picem notat. Vsus est hac voce praeter ceteros DIOGENES LAERTIVS in *Cratete Thebano*, dum Cratetem, a Nicodromo Citharoedo in faciem caesum, πιττάκιον fronti imposuisse dicit, cum hoc titulo: *Nicodromus faciebat.* Προσθεὶς ὖν, inquit LAERTIVS, πιττάκιον τῷ μετώπῳ ἐπέγραψε· Νικόδρομος ἐποίει. A cuius vocis vsu nec Latini abhorruerunt. PETRONIVS ARBITER, *Satyr. c. XXXIV: Statim*, inquit, *allatae sunt amphorae vitreae diligenter gypsatae, quarum in ceruicibus pittacia erant affixa, cum hoc titulo: Falernum Opimianum annorum centum.* Et LAMPRIDIVS, *in Seuero, c. XXI*, hoc nomine pro albo vsus: *cuncta*, ait, *perlegebat pittacia.* Ad quem locum vide CASAVBONVM. Ceterum, quamuis haec, quae de σιλλύβοις, ac *pittaciis voluminum*, siue de *membranulis*, quae voluminibus praefixae titulos Librorum indicarunt, hucusque scripsi, eorum scriptorum, quos citaui, auctoritate satis luculenter comprobari posse videantur; paullo tamen aliam istorum pittaciorum rationem postea cognoui ex oblata mihi figura voluminum in Bibliothecam ordine olim digestorum; quorum imago lapidi incisa Nouiomagi, in loco castrorum Constantini Magni, est reperta; quam in Tabula *II, fig. 4*, Disputationis de ornamentis codicum veterum, exhibendam curauimus. Vbi quidem illa pittacia non tam extimae, eique supremae et auersae voluminis orae praetexta; sed potius fronti voluminum, vbi illa circumcisa erant, affixa apparent. Sed hac de re alio tempore plura; siquando illud egregium antiquitatis monimentum amplius illustrare nobis licebit.

XXIII.

XXIII. Adhaec veteres in ornandis libris vtebantur tum certis *vncis*, cum *loris* quoque *pulchris*, quibus volumina constringebant, ne rumperentur et dissoluta iacerent. De *vncis* hariolatur BARTHIVS, *Aduers. L. XXII, c. 18, in Epigramma quoddam Optatiani Prophyrii.* Nam cum ibi alias de libro ornato legeretur:

Purpureo fulgens habitu, radiantibus intus;

BARTHIVS substituit: *radiantibus vncis;* dicitque, libros quondam eiusmodi vncis inclusos fuisse. Nec aliud *menide* sua AVSONIVM innuisse putat, *in commemorat. Professor. Burdigalens. XXV,*

Quos legis a prima deductos menide libri,
Doctores patriae scito fuisse meae.

Atque ego quidem etsi in superiori OPTATIANI versu vocem *intus* rectius retineri posse iudico; comprobantibus hanc lectionem et PITHOEI et VELSERI editionibus, neque refragante nexu verborum; cum illud Distichon ita legatur:

Purpureo fulgens habitu, radiantibus intus,
Vt quondam, scriptis ambitiosa tuis.

(Vbi auctor interiorem librorum ornatum respexit, *quos notis argento auroque coruscis scriptos* supra dixerat:) interim tamen vix dubitandum esse censeo, quin certos olim vncos ac lunulas addiderint voluminibus, quibus lora, quae constringebant libros, insererent atque annecterent. Idque omnium commodissime in superiori parte, seu in initio voluminis, fieri potuit; vtpote quae pars, cum volumen conuolueretur, praeminebat. Cum vero istiusmodi vnci fortasse Lunae formam repraesentarent, accidit, vt *menides* appellarentur: μῆνις enim est lunula. Nam alias *lunulae* etiam inter ornamentorum genera referebantur. Sic PLAVTVS, *Epidic. Act. V. Sc. I,* lunulam, natalitio die, cum armilla et annulo datam esse, memorat. ISIDORVS, *L. XIX Orig. c. 31,* ait, lunulas esse ornamenta mulierum, in similitudine lunae, bullulas aureas dependentes. Fuit praeterea lunula in calceis patriciorum Romanorum insigne summae nobilitatis. Vnde STATIVS, *Lib. V, Sylu. 2, patriciam lunam* appellauit. Non nulli per illam lunulam intelligunt vncinum in prima calcei fronte infixum; vnde et calceos vncinatos dictos fuisse arbitrantur. Alii fibulam eburneam lunae corniculantis specie fuisse tradunt; hucque PHILOSTRATI descriptionem referunt, lunulam talem appellantis ἐπισφύριον ἐλεφάντινον μηνοειδές. ISIDORVS vero, *L. XIX Orig. c. 34,* refert, lunulam illam

lam non sideris formam, sed notam numeri centenarii, significasse; quod initio patricii ordinis Senatores centum fuerint. Qua de re videantur TH. DEMPSTERVS, *ad Rosin. Antiqu. Rom. L. V*; BALDVINVS, *de calceo, c. 9*, et alii, qui cumprimis rem vestiariam exposuerunt. Sufficit nobis, hinc intelligi posse, *lunulas*, fuisse instrumenta quaedam et ornandis et constringendis rebus ideonea. Cuiusmodi lunulae et in voluminibus veterum adornandis locum habere potuerunt. Peculiaris interpretatio loci Ausoniani est, quam ELIAS VINETVS suppeditauit, censens; *menidem* eo accipi pro initio, quod Iliados Homericae initium sit: Μῆνιν ἄειδε θεά. Sed haec sententia non immerito improbatur. Μῆνις enim, quod iram notat, μήνιος facit; videmus autem, Ausonium non *a prima menie, sed menide*, dixisse. Aliquantum probabilius TVRNEBVS, *Aduers. L. XXII, c. 10*, menidem de lunula picta interpretatur. *Veteres*, inquit, *vt in calce librorum coronidem appingebant, ita, vt suspicor, in fronte lunulam ad ornatum designabant. Huius suspicionis caussam nobis Ausonius praebet, ita scribens: Quos legis a prima deductos menide libri, etc. Menis autem est lunula.* Vnde fortasse doctissimus SALDENVS *C. I de libris legendis*, in hanc coniecturam incidit: *Non ausimus*, inquit, *asserere, a veteribus factum id forsan esse, quod libros suos hoc ornatu insignitos fortunatiores fore sperarint; quoniam Lunam, vel Lunum, Diis suis accensebant. Doctiss. Geussius MENE mercatorum idolum (in L. de victimis humanis, P. I, c. I,) huc etiam refert, per quod Lunam intelligi vult. Sed coniectura haec non vsquequaque probabilis est.* Verum aliorum iudicio permitto, annon ea, quam primo loco dedimus, coniectura isti TVRNEBI suspicioni, quae alia hucusque ratione firmari non potuit, sit praeferenda. Illud certe capere satis nequeo, quod TVRNEBVS statuit, Tibullum, Ouidium, Martialem, hanc ipsam menidem per cornua significasse. Etenim alia erant ornamenta cornua illa librorum, capitula nempe, vti supra dixi, ebore, argento, aliaue materia formata, et extra frontes voluminum eminentia; aliud vero ornamentum tunc *menis* fuisset, si, suspicante TVRNEBO, signum quoddam lunae in fronte librorum notasset, adeoque coronidi, seu signo in fine librorum appicto, quasi respondisset. Ceteroqui vero non adeo incongruens foret, per *menidem* cornua librorum designari. Quod autem ad corrigias, siue *lora*, attinet, quibus veteres in colligandis constringendisque voluminibus vsi sunt, et quae *Fig. III, lit. h.* et *i* notauimus, res clarior

est,

eſt, et euidentioribus conſtat teſtimoniis. Neque ambiguum habeo, quin pro lubitu librariorum auctorumve eiusmodi ligamentorum non idem ſemper color, nec eadem fuerit materia. CATVLLVS, *Epigr. XXII ad Varum*, *LORA RVBRA* vocat. Lora autem, obſeruante PEROTTO, *in Cornu Copiae*, alioqui proprie ſunt corrigiae ex corio; quas Graeci ἱμάντας appellant: deinde funiculi aurei, argenteique, qui collo geſtari ſueuerunt, imo quaecunque ligamina. Hinc libri talibus loris colligati a MARTIALE *conſtricti* dicuntur. Ita enim Poeta, *L. XIV, Epigr. 37*, ſcrinium librarium introducit loquens:

Conſtrictos niſi das mihi libellos,
Admittam tineas trucesque blattas.

Sunt, qui hic pro *libris conſtrictis* opinantur legendum eſſe *conſtructos*: et praeter neceſſitatem. Ait enim MARTIALIS, conſtringendos eſſe libros, et ſic in ſcrinio reponendos, ne ſoluti puluere vermibusque corrumpantur. Huc adeo referri etiam poſſunt illa CICERONIS verba, *L. IV, Ep. 5 ad Attic.* prout a multis non male leguntur: *Bibliothecam mihi pinxerunt conſtrictione et ſittybis* (σιλλύβοις.) Apud LAMBECIVM, *T. IV, p. 320 Biblioth. Vind.* licet videre imaginem Petri tenentis volumen conſtrictum, ſed ſine vmbilicis. Similiter librarium cum voluminibus conſtrictis, quamuis admodum exiguis, apparet etiam iuxta imaginem Lucae Euangeliſtae, acta Apoſtolorum in volumine exarantis; quam ex eodem Lambecio, *fig. VII*, protulimus. Neque minus formam huiuscemodi conuoluti conſtrictique voluminis *fig. III.* exhibuimus.

XXIV. Eſt adhuc aliud ornamentum, quod voluminibus commemorato modo compoſitis demum addi ſolebat. Erat enim operculum quoddam atque tegumentum modo ex membrana, modo ex alia quauis idonea materia compoſitum, quo libri quaſi veſtiebantur et obducebantur, adeo quidem, vt non agglutinaretur volumini, ſicuti πιττάκιον, ſed ſeorſum, tanquam veſtis quaedam, vel iniiceretur, vel deponeretur. Quale quid adhuc hodie in Iudaeorum voluminibus cooperiendis obſeruare licet. Et talia inuolucra dici poſſunt σιττύβαι, vti ſupra monuimus. Σιττύβαι enim appellantur ſcortea librorum integumenta, et veſtes e corio. Qua de voce vide I. G. GRAEVII *notas in Epiſtolas Ciceronis ad Atticum*, *L. IV, Ep. 4.* Atque huc referunt etiam nomen φελόνης. Etenim AVCTORI *Etymologici magni* φελόνης eſt εἰλητὸν τομάριον μεμβράϊνον, ἢ γλωσσόκομον, ἢ καὶ χιτώνιον. Quibus ſimilia HESYCHIVS, PHA-

VORINVS, aliaque Gloſſaria habent. Sed hac de voce alio loco a nobis plura dicentur. Ceterum eadem inuolucra *libros* ipſos etiam appellari conſueuiſſe, obſeruarunt STATIVS et IS. VOSSIVS, ad haec CATVLLI verba:

Chartae regiae; noui libri, noui vmbilici;
Lora rubra: et cetera.

Sed IS. VOSSIVS, et item plures alii, iſta inuolucra cum σιλλύβοις, aut συλλάβοις, de quibus *n. XXII* egimus, ſaepius confuderunt. Neque facile reperias, vbi haec ſatis accurate et diſtincte ſint explicata. Nimirum volumina, iam compoſita, membraneo alioue tegumento inuoluebantur; a quo diuerſa erat illa membranula, quae orae ipſius voluminis in auerſa parte agglutinata titulum libri gerebat. Haec autem membrana, quae inuolucro inſeruiebat, variis ornabatur coloribus, pro auctorum ſtatu et conditione: inprimis croco, aut etiam purpura tingebatur; ita tamen, vt color interior a colore exteriore aliquando diſcrepaſſe videatur. Atque de eiusmodi inuolucro bicolorem PERSII membranam nunc interpretari malim, quam de ipſo libro, ſeu de membrana, in qua ſcribebatur. Ait enim PERSIVS, *Satyr. III:*

Iam liber, et poſitis bicolor membrana capillis,
Inque manus chartae, nodoſaque venit arundo.

Vbi THEOD. MARCILIVS monet, bicolorem membranam introrſum candidam, extrorſum luteam purpureamue fuiſſe. CORNVTVS vero, aut quisquis veterum interpretum fuit, in eundem locum ſcripſit, ambiguam eſſe bicoloris membranae rationem: aut enim bicolorem membranam dici, quia quondam capillos habuerit; aut quae bicolor facta ſit, vbi poſuit capillos; aut, quod pars crocea, pars glutinata apud antiquos fuerit. Luculenter autem hanc membranam, quae inuolucrum fuit, a συλλάβῳ, ſeu a membranula titulum referente, diſtinxit TIBVLLVS in elegia ſaepius a nobis citata. De inuolucro enim locutus, cecinit:

Lutea ſed niueum inuoluat membrana libellum.

De συλλάβῳ autem, ſeu, vt alii volunt, de σιλλύβῳ ac titulo libri, dixit:

Summaque praetexat tenuis faſtigia chartae,
Indicet vt nomen litera picta tuum.

Ad hoc ipſum inuolucrum reſpexit MARTIALIS, *L. I, Epigr. 67: Liber*, inquiens, *cultus membrana.* Vbi PEROTTVS ſcribit: *membrana, i. e. corio, quo libri veſtiuntur.* Et recte GANGRAEVS, *in*

Iuuenal.

Iuuenal. Satyr. VII, Membrana, inquit, *aliquando pellis eſt, qua libri operiuntur; qua in ſignificatione Tibullus habet, L. III, El. 1. Aliquando membrana eſt, in qua ſcribebant.* Hoc integumentum MARTIALIS, *L. X, Epigr. 93*, togam purpuream vocauit:

Perfer Ateſtinae nondum vulgata Sabinae
Carmina, purpurea ſed modo culta toga.

Et *Epigr. 2, L. III, dixit:*

Te purpura delicata velet;

h. e. integumentum purpureo, ſeu membrana rubente et purpurea, operiaris. Sindonem appellat idem Poeta, *Epigr. 1, Lib. XI,*

Quo tu, quo, liber otioſe, tendis,
Cultus ſindone non quotidiana?

Sindon, commentante SCHREVELIO, proprie amictus eſt, vel torale, vel veſtis, ex tenui linteo; hic pro velamine libri. Idem inuolucrum his verbis innuit OVIDIVS, *L. I Triſt. El.* 1.

Nec te purpureo velent vaccinia fuco.

PORPHYRIVS, in epigrammate ſupra commemorato, hoc inuolucrum nominauit *habitum purpureum.* Sic etiam LXX interpretes, referente IOSEPHO, *ἐκ τῶν ἐπειλημάτων, ex inuolucris;* volumen diuinae legis protulerunt. Ac LVCIANVS etiam, *in libro de philoſophis mercenariis*, de huiusmodi inuolucro pupureo loquitur: Ὅμοιοί εἰσι τοῖς καλλίϛοις τούτοις βιβλίοις, ὧν χρυσοῖ μὲν ὀμφαλοί, πορφυρᾶ δὲ ἔκτοσθεν ἡ διφθέρα. Quo pertinet et locus, ſupra *n. V*, citatus, vbi LVCIANVS hominem indoctum, ſed librorum emacem, inter alia ita alloquitur: καὶ διφθέρας περιβάλλεις. pellibus obvolvis.

Non vero, vt opinor, in communi vſu fuerunt iſta inuolucra; cum ſic volumina nimium ſpatium in bibliothecis occupaſſent, cumque iam a ſitu et puluere defenderentur, dummodo probe conſtricta in loculis ſuis cuſtodirentur. Sic OVIDIVS de ſuis libris absque his integumentis in ſcrinio repoſitis loqui videtur, *L. I. Triſt. Eleg. 1:*

Cum tamen in noſtrum fueris penetrale receptus,
Contigeriſque tuam, ſcrinia parua, domum:
Aſpicies illic poſitos ex ordine fratres,
Quos ſtudium cunctos euigilauit idem.
Cetera turba palam titulos oſtendit apertos,
Et ſua detecta nomina fronte gerit.

Singularis vero ſplendoris cauſſa inuoluebantur volumina, et quando auctores opera ſua aliis dedicabant. Atque interiori quidem

inuolucri huius parti, ſi quid coniectura aſſequi poſſum, inſcriptio, ſeu dedicatio voluminis, aliquando indebatur. Suſpicandi occaſionem mihi dedit MARTIALIS, in *epiſtol. dedicator. L. II Epigramm.* Poeta enim, velut admonitu Deciani, cui volumen ſecundum Epigrammatum dedicauerat, epiſtolam abrumpens: *Debebunt tibi*, inquit, *ſi qui in hunc librum inciderint, quod ad primam paginam non laſſi peruenient.* Quodſi enim lectores longa dedicatione defatigati demum ad primam voluminis paginam accederent, illa non in ipſo volumine, ſed extra volumen, puta commodiſſime in membranaceo inuolucro, ſcripta fuerit, oportet. Similiter hoc ipſum idem Poeta indicat, in *dedicatione Libri VIII Epigrammatum ſuorum. Quod*, inquit, *vt cuſtoditurum me lecturi ſciant, in ipſo libelli huius limine profiteri breuiſſimo placuit epigrammate.* Si enim epigramma fuit in limine libelli, dedicatio extra illud limen ſcripta fuiſſe videtur.

XXV. Quibusuis igitur volumen ornamentis, quorum quidem ratio nobis conſtat, hactenus ſigillatim expoſitis, nunc etiam complicandorum et explicandorum voluminum modum breuibus trademus. Quomodo conuoluerint ſua veteres volumina, ex antecedentibus facile intelligitur. Opus enim, eo, quo diximus, modo praeparatum, inſtar ſpirae, ſeu rotuli, conuoluebatur, conuoluendi initio a fine facto, ſeu ab vmbilico voluminis. Quo fiebat, vt, in voluminibus vnico vmbilico inſtructis, σίλλυβος primae voluminis paginae additus, in quo nomen auctoris et titulus libri conſignatus erat, in auerſa parte maneret, facileque conſpiceretur. Quo vero ipſum volumen conuolutum poſſet contineri, vel vncis, vel loris quibusdam, conſtringebatur; deinde inuolucro, ſiue externa membrana, aut ſindone, circumdabatur, ſericeis purpureisue laciniis ad maiorem ornatum aliquando propendentibus. HORATIVS *conuoluere volumen* dixit: *volumen in breue cogere.* Ita enim ille, *Epiſtol. 20*, *L. I*, de libro ſuo, cui praedicit, fore, vt ob lectoris ſatietatem ſtatim iterum conuoluatur, et quaſi in anguſtias cogatur, ait:

> *Quid volui? dices; vbi quis te laeſerit, et ſcis*
> IN BREVE TE COGI, *quum plenus languet amator.*

Ex quo quidam cenſent, *breuiarium* et *breue*, ſeu, *breuem libellum*, dici coepiſſe; quod breuior illius et compendioſior conuolutio pariter ſit atque euolutio. *Qua de re videatur* RAPPOLTVS

ad

ad Horatium, c. XL. Si vero legere volebant huiusmodi volumina, ea explicare et euoluere necesse habebant. Hinc MARTIALIS, *L. XI, Epigr. 1*, vaticinans libro suo, eum non lectum iri, ait, fore, vt ne quidem euoluatur:

Quo tu, quo, liber otiose, tendis,
Cultus sindone non quotidiana?
Num quid Parthenium videre tentas?
Vadas, et redeas ineuolutus.

Ex iis autem, quae supra dixi, euoluendi etiam voluminis ratio non aegre percipitur. Demtis enim loris, vncisque relaxatis, volumen explicabatur, adeoque lectoribus patebat, et *explicitum* erat. Vnde in antiquis libris MSCtis, seruata veteri formula, *explicit liber*, item, *explicit liber feliciter*, reperitur. Quibus verbis significabant, peruentum esse ad finem voluminis, quod plane explicitum esset atque euolutum. Hinc expono illa CICERONIS verba, *Epistol. 25, L. IX ad Famil.* Παιδείαν κύρε *totam in hoc imperio explicaui.* h. e. interea temporis, quoad prouinciae praefui, Xenophontis Librum de institutione Cyri ad finem vsque perlegi. Vbi contra MANVTIVS, *in Comment. ad h. l.* verbum *explicaui*, interpretatus est: *re ipsa sum executus.* Hac de re HIERONYMVS *ad Marcellam, Epistol. 138: Solemus*, inquit, *completis opusculis ad distinctionem rei alterius sequentis medium interponere:* EXPLICIT, *aut* FELICITER *aut aliquid eiusmodi.* Videtur autem ista vox quibusdam decurtata ab *explicitus*, vel *explicitum.* Sic, *explicitus tractatus*, legitur apud VLPIANVM; et MARTIALIS, *L. XI, Epigr. 108*, dicit:

Explicitum nobis vsque ad sua cornua librum,
Et quasi perlectum, Septiciane, refers.

Nec minus CAROLVS FRESNEVS, *in Glossar. Lat.* monet, codicibus melioris notae adscriptum esse: *explicitus est liber.* Posterioribus tamen saeculis hoc verbum, *explicit*, pro integro habitum atque amplius inflexum est. Ita enim in codicibus MSC. Bibliothecae Paullinae inuenio, exempli gratia: *expliciunt excerpta L. VI Sancti Clementis.* Item: *Expliciunt Homiliae S. Caesarii, Episcopi, ad Monachos*, et similia. Peculiaris autem ratio fuit, quam, SALMASIO obseruante, veteres in euoluendis voluminibus adhibuerunt. Nimirum, vbi MARTIALIS, *L. I, Epigr. 67*, de libro suo, seu charta nondum vulgata, dixit:

Quae trita duro non inhorruit mento;

SALMASIVS, *in exercit. Plin. p. 278*, hunc locum ita expoſuit: *In euoluendis chartarum voluminibus partem adhuc ineuolutam mento ſubiiciebant; primorem vero partem ſubinde explicantes ambabus tenebant manibus, ſimulque legebant, eam interim, quae nondum erat explicita, ſub mento conuolutam tenentes. Hinc de charta virgine, et quae adhuc intacta erat, dicebant, eam mento tritam non eſſe: horridior quippe fiebat manibus et mento trita, excitatis inarum fibris*, h. e. auctore FESTO, tenuium chartae filamentorum, quae in chartis vſu detritis ſubrigebantur, et veluti barba aſperos reddebant libros. Vt vero auctor celeberrimus hanc ſuam ſententiam confirmaret, attulit epigramma STRATONIS ἀνέκδοτον, quo ad eandem conſuetudinem reſpici videtur:

Ἐυτυχὲς, ἐ φθονέω, βιβλίδιον, ἦρα σ' ἀναγνὺς
Παῖς τις ἀναθλίβει πρὸς τὰ γένεια τιθείς.

Equidem me iſtam euoluendorum voluminum rationem ab aliis obſeruatam legere, non memini: niſi alium quendam locum in MARTIALE mihi reperiſſe videar, quo poeta ad eundem fortaſſe morem alludens, librum ſuum, *Epigr. 87, L. IV*, his verbis allocutus eſt:

Si vis auribus Atticis probari,
Exhortor moneoque te, libelle,
Vt docto placeas Apollinari.
Nil exactius eruditiusque eſt,
Sed nec candidius benigniusque.
Si te pectore, ſi tenebit ore,
Nec ronchos metues maligniorum,
Nec ſcombris tunicas dabis moleſtas.

Quibus addas, ſi lubet, haec eiusdem MARTIALIS, ex *L. X, Epigr. 93.*

Vt roſa delectat, metitur quae pollice primo,
Sic noua, nec mento ſordida charta iuuat.

NICOLAVS PEROTTVS autem, et alii durum mentum, de quo MARTIALIS loquitur, non pro mento lectoris, ſed pro ipſa chartae barba, accipiunt, dicentes: *horrere mento*, eſſe, horridam barbam emittere. Quod, ſi de libris vſurpes, nihil aliud ſignificare volunt, quam nimio vſu ſordes ac pilos contrahere. Quam interpretationem etſi exploſerit SALMASIVS; hoc tamen loco non plane ſilentio praetereundam duxi, ratus, ſi quis hanc ſententiam admiſerit, tunc non aliud, ſed veluti ſimile fore, quod ad ſuperiora

loca

loca explicanda ex eiusdem MARTIALIS *L. XIV, Epigr. 83*, proponi solet:

Ne toga barbatos faciat, vel penula, libros;
Haec abies chartis saecula longa dabit.

Vbi SALMASIVS, praeter necessitatem, togam et penulam interpretatus est integumenta librorum ex togae et penulae pannis parata; cum poeta velit, vt chartacei libri ideo tegantur tabula abiegna, siue ἐγχειριδίῳ quodam, (de quo inposterum agemus,) ne manu, vel vestimentis lectorum atterantur, pilisque hirsuti fiant. Etenim, non eo tantum modo, quem SALMASIVS indicauit, volumina legentes tenuerunt; (id quod tum quidem potissimum fieri potuit, cum volumina minora essent, et cum quis ea stans legeret:) sed alia etiam, vt opinor, quauis sibi commoda ratione illa explicuerunt, tractaruntque. Inprimis vero, dum sederunt, libros sinu receptos tenuisse videntur. Cuius rei testes aliquot vetustae imagines mihi hucusque obuenerunt. Ita et RAPH. FABRETTVS, *Inscription. Antiqu. c. VIIII, n. 136*, meminit alicuius vetusti monimenti in quo vir togatus, cum volumine in sinu repraesentatus est. Inprimis vero Poetas huc respexisse, passim inuenio. Hinc OVIDIVS, *L. I Trist. Eleg. 1*, ait:

Si quis erit, qui te, quod sis meus, esse legendum
Non putet, e gremio reiiciatque suo:
Inspice, dic, titulum. reliqua.

Item MARTIALIS, *L. II, Epigr. 6.*

Haec sunt, singula quae sinu ferebas,
Per conuiuia cuncta, per theatra.

Et *L. III, Epigr. 5.*

Est illi (Iulio) *coniux, quae te manibusque sinuque*
Excipiet, vel si pulverulentus eas.

Neque enim opus esse arbitror, vt cum RAMIRESIO statuamus, formulam illam: *sinu ferre*, aut, *excipere sinu*, in his locis omnibus μεταφορικῶς poni, pro eo, quod alias nos carum habere dicimus. Vnum restat, quod non possum, quin hoc loco paucis adhuc attingam. Deprehendi nimirum, olim non solum iis, qui scripta sua publice recitarunt, ab auditoribus varie acclamatum; sed eosdem pariter ac libros ipsorum, si placuissent, amplexu et basiis exceptos esse. Qua de re MARTIALIS loquitur, *L. I, Epigr. 4.*

Audieris

Audieris cum grande Sophos, dum basia captas;
Ibis ab excusso missus in astra sago.

Quibus verbis poeta libro suo foras exire gestienti futuros casus praedixit, monuitque, cum audierit acclamari sibi: σοφῶς, *pulchre*, *bene*, *recte*, *euge*, aut aliis huius generis formulis: ne putet, sincere sibi acclamatum: etenim fore, vt, dum speret captetque approbationem, (quam amplexu et basiis testari solebant;) gremio quidem auditorum excipiatur; at per ludibrium et contemtum sago in sublime iactetur. Quibus haec addas ex eodem MARTIALE, *L. I, Epigr. 77:*

-- Circum pulpita nostra
Et steriles cathedras, basia sola crepant.

Quem ritum si ad animum reuoco, venit in mentem cogitare, annon ex eo ipso et Graecum STRATONIS epigramma, et quaedam MARTIALIS loca superius allata, haud minus commode explicari queant. Sed nolo haec pluribus persequi; quoniam nunc tempus est, huius disputationis finem facere, ne impendio longior Lectori beneuolo nimium moueam fastidium.

XXVI. Haec itaque sunt, quae de constructione et ornamentis voluminum, tum apud Romanos, cum apud Graecos, olim vsitatis, in praesens commentari volui. Neque vero dubito, quin in nonnullis rebus aliquando variauerint librarii, et quaedam ex suo ingenio aliter atque aliter formauerint, prout nostri etiamnum librorum compactores solent. Nos vero ea proposuimus, quae vtplurimum in vsu fuisse videntur, et quemadmodum Poetae cumprimis sua se opera exornasse sunt testati. Inposterum vero, (DEO fauente) de EBRAEORVM VOLVMINIBVS, DE CODICIBVS, siue libris veterum quadratis, DE PVGILLARIBVS ET CODICILLIS, DE EPISTOLIS, earumque complicatione atque obsignatione, DE LITERIS LAVREATIS, DE GRAPHIIS ET RELIQVIS INSTRVMENTIS SCRIPTORIIS, DE ARCVLIS ET SCRINIIS, in quae libri reponebantur, DE LIBRARIIS ALIISQVE PLVRIBVS, agemus.

EXPLICIT. DISPVT. II DE ORNAM. LIBROR. VET.

ΕΛΕΝ-

ΕΛΕΝΧΟΣ
DISPVTATIONIS III
DE ORNAMENTIS LIBRORVM VETERVM.
SPECIATIM
DE VOLVMINIBVS IVDAEORVM.

SVMMARIVM.

I. *Prooemium.*
II. *De antiquo vſu voluminum apud Hebraeos.*
III. *De nominibus voluminum.*
IIII. *De materia, cui inſcripſerunt Hebraei volumina, et quidem (1) de charta.*
V. *(2) de diphthera.*
VI. *(3) de membrana pura, eiusque praeparatione.*
VII. *(4) de aliis nonnullis materiae generibus, quibus inſcripſerunt.*
VIII. *De dimenſione huius materiae.*
VIIII. *De materia, qua ſcripſerunt.*
X. *De forma literarum, ac nominatim de ſcriptura quadrata et rotunda, itemque de coronamentis literarum.*
XI. *De picturis et imaginibus.*
XII. *De lineis, ac de dimenſione materiae per areolas, ſiue columnas.*
XIII. *De ſpatiis literarum, verſuum; marginum, ſectionum et librorum, item et de opiſthographis.*
XIIII. *De notis atque formulis, quos fini librorum adiecerunt, ſpeciatim de ſubſcriptione temporis et ſcribae.*
XV. *De connexione membranarum, adeoque de magnitudine voluminum.*
XVI. *De externis ornamentis voluminum, puta de vmbilicis, inuolucris, et aliis.*
XVII. *De thecis, et locis, vbi aſſeruata ſunt volumina.*
XVIII. *De aliis quibusdam ſuperſtitioſis Iudaeorum ritibus in voluminibus ſacris conficiendis et tractandis.*
XVIIII. *De codicibus quadratis, de tabulis ac pugillaribus Hebraeorum.*
XX. *De librariis, ſiue ſcribis et punctatoribus Hebraeorum.*
XXI. *De voluminibus aliarum quarundam orientis gentium.*
XXII. *Finis huius diſputationis.*

Q. D. B. V.

I.

Aliud ex alio nobis adhuc fuit impedimento, quo minus argumentum de ornatu librorum apud veteres vſitato, quod iam antehac alibi publicis diſquiſitionibus ſubiicere exorſi ſumus, pertexere nobis licuerit. Ne tamen ipſi rebus noſtris diffiſi, inceptum plane abieciſſe videamur, nunc referemus nos ad illa antiquitatis monimenta. At cum, quod inſtituimus, ne iam quidem ad vmbilicum perducere queamus, in praeſenti de IVDAEORVM duntaxat VOLVMINIBVS non nihil commentari viſum eſt. Neque vero hoc conſilium a rationibus noſtris alienum eſſe arbitramur, cum, quae plurium eruditorum eſt ſententia, Graeci Romanique, de quorum voluminibus iam egimus, iſtam librorum formam a Iudaeis accepiſſe perhibeantur. Taceo, his rebus expoſitis, haud aegre fieri poſſe, vt quidam diuinioris codicis loci paullo euidentius illuſtrentur.

II. Non vero eſt, quod multis comprobemus, antiquiſſimis iam temporibus Hebraeos libros ſuos in Cylindri modum conuoluere conſueuiſſe. Id paſſim teſtantur antiquitatum Iudaicarum ſcriptores. Ipſe *R. de* BARTENORA ad בבא מציעא *Cap. II, n. 8,* docet, olim omnes libros in voluminibus ſcriptos fuiſſe. Hinc adeo quoties in Antiquo Foedere de Libris ſermo eſt, voluminum plerumque formam intelligere licebit. Atque adeo haud dubitandum eſt, exempli cauſſa, *Eſdrae VI, 2; Pſalm. XXXX, 8; Eſaiae VIII, 1; Ierem. XXXVI. 2; Ezech. II, 9; Zach. VI, 1;* diuiniores ſcriptores de huius generis libris volubilibus locutos eſſe. Sed et eodem modo multa Noui Foederis loca, quae nunc recenſere ſuperſedemus, de voluminibus poſſumus interpretari. Pertinet huc, quod iam animaduertit ANDREAS CAESARIENSIS, *ad Apocalypſ. c. XVIII:* Ἡγέμεθα δὲ καὶ τῇ ἀρχαίᾳ συνηθείᾳ χρήσασθαι τὸν Ἀπόστολον; εἰλητα&ρίοις γὰρ οἱ Ἑβραῖοι ἀντὶ τῶν παρ' ἡμῶν βιβλίων ἐκέχρηντο. h. e. *Puto, Apoſtolum antiquo more loqui. Voluminibus enim Ebraei loco librorum noſtratium vtebantur.* An vero et CHRISTVS, *Lucae IV,* huiusmodi habuerit volumen, in quo legit in Synagoga, nunc minus diſputo. Certe iam olim ſolemne fuit Chriſtianis, Chriſtum, qui ſummus eſt legis diuinae interpres, ea ſaepius forma exprimere, vt volumen quoddam manu geſtare videretur. Sic PAVLLVS ARINGHVS, *in Roma ſubterranea, L. VI, c. 16,* animaduertit,

maduertit, nonnunquam inter sacras sepulcrorum Christianorum imagines Christum volumen quoddam explicitum adstanti Petro porrigentem repraesentari. Cuius rei arcaniorem vel symbolicum sensum GVIL. DVRANDVS, *Rat. L. I, c. 3*, explicat, atque illud potissimum annotat, *Patriarchas* et *Prophetas* vna cum *inuolutis rotulis* pingi antiquitus consueuisse: quoniam nimirum ante Christi aduentum multa adhuc mysteria fuerint implicita. In manibus vero Seruatoris expansum conspici volumen, quod ipse tradat Petro; quia Christus discipulis aperuerit sensum, vt intelligerent scripturam. Porro, obseruante eodem ARINGHO, plura alicubi volumina in cistis ad ipsius Christi pedes locata affabre coloribus exprimuntur; quibus itidem diuiniores libros significari ait; tum maxime, cum octo volumina in nonnullis *coemiteriorum* tabulis picta exhibentur, octo libros *canonicos* ab Ecclesia receptos innui putat. Cum vero in aliis quibusdam imaginibus XII volumina conspiciuntur, existimat significari quinque primum a Mose digesta, et octo subinde Prophetarum libros, secundum summariam probatamque a SIXTO SENENSI, *L. I, p. 4*, distinctionem. Hinc iam ab illo tempore vsque huc Iudaeorum Magistri codices Legis MStos, qui ad vsum *Synagogarum* parantur, in voluminibus maximo studio maximaque accuratione scribunt; cum alii codices, quos in priuatum vsum priuati conficiunt, a nostris haud discrepare soleant. Formam autem voluminum Iudaicorum, in *Tabula Disputationi II adiecta*, *Fig. I et II*, exhiberi iussimus. Ceteroquin minus inficias imus, iam antiquos Iudaeos suas etiam tabulas atque pugillares ad priuatos potissimum vsus accommodatos habuisse.

III. Quod ad nomen attinet, quo Hebraei huiusmodi libros appellarunt, מגלות dictos fuisse inuenimus, a גלל *voluit:* propterea quod libri, vti iam diximus, in membranam longam et latam ita scribi consueuerunt, vt potuerint conuolui. Hinc SIXTVS SENENSIS, *in Bibl. Sanct.* ait: מגלה *est genus chartae oblongae circa se ipsam in modum spirae complicabilis.* Subiectae autem huic sunt voci מגלה quatuor potissimum notiones. Primum enim notat integrum librum quemcunque, qui in modum rotuli conuolui potest. Neque vero tunc opus est, vt ad indicandam differentiam epistolae semper addatur vox ספר, cum et sine hac de libro vsurpetur. Id quod contra HOTTINGERVM iam animaduertit HENR. MAIVS, *in Dissert. I, de Scriptura Sacra.* Deinde מגלה significat epistolam: quoniam, vti libri, sic Epistolae longio-

res, olim forma conſtiterunt rotatili, quae circumuolueretur. Qua de re licet legere BVXTORFIVM, *Inſtitut. Epiſtol. p. 4.* Rotulus etiam vocatur, quia rotae inſtar voluitur. Atque hac forma literas, inprimis ſolemniores, hodienum ab incolis Orientis exarari, teſtatur HOTTINGERVS, *Theſaur. Philol. L. I, c. 2, Sect. 3.* Tertio ſpeciatim denotat vniuerſam ſcripturam ſacram, ſecundum Talmudicum illud a BVXTORFIO in *Lex. Talm.* citatum: *Tota omnino lex vocatur Megilla, ſicut ſcriptum eſt: in volumine libri ſcriptum eſt de me.* Maximeque ſic dicuntur חמש מגלות *quinque volumina*, nempe *Canticum canticorum*, *Ruth*, *Threni*, *Eccleſiaſtes*, *volumen Eſtheris;* quos libellos deſcriptos et conuolutos habent Iudaei in membranis, atque certo anni tempore in Synagogis praelegunt. Quarto מגלה κατ' ἐξοχὴν pro volumine Eſtheris vſurpatur, vti alibi, ita in peculiari cumprimis *Tractatu Talmudico*, qui *Megilla* inſcribitur, et apud *Maſorethas* paſſim. Praeter hoc vero nomen מגלה aliud eſt, nempe גליון, quod *apud Eſaiam c. VIII, 1*, de volumine, et maxime de epiſtola, eandem quidem ob rationem, dicitur. Denique etiam occurrit vox ספר, quod nomen codicibus iuxta ac voluminibus, imo et epiſtolis, et catalogis quibuscunque, commune eſt, atque ab interna potius, quam externa forma, librum denotat, ſcilicet ab enarrandis recenſendisque rebus: quoniam eſt a ספר, h. e. *numerauit*, *ordine recenſuit*, *deſcripſit.* Nihil attinet iam aliarum linguarum nomina pluribus exponere. Certe, ſicuti Hebraei veteres libros ſuos a גלל *voluit*, potiſſimum dixere מגלות *volumina;* ita Graeci eosdem ab εἰλεῖσθαι, *voluere*, appellarunt εἰλήματα. *Apocalypſ. VI, 14.* tale volumen appellatur βιβλίον εἰλισσόμενον. Imo LXX Interpretes במגלת ספר quod *Pſalmo XL, 7*, habetur reddiderunt ἐν κεφαλίδι βιβλίου, *in capite libri.* Quas voces etiam auctor Epiſtolae *ad Hebraeos c. X, 7*, retinuit. Vbi κεφαλὶς, quod iam DRVSIVS et alii obſeruarunt, non tam caput aut principium ſignificat, quam volumen, ſeu chartam volubilem. Hinc, quod LXX interpretes dixere κεφαλίδα, SYMMACHVS εἴλημα, AQVILA autem et THEODOTION διφθέραν, reddiderunt. Nec minus SVIDA hoc nomen eodem modo interpretatus eſt. Idque nomen a rotunda capitis forma voluminibus tributum eſſe arbitramur; propterea quod conuolutum libri corpus quaſi opus *capitatum* videtur. Alii quidem in Epiſtola ad Hebraeos has voces de capite ac principio libri acceperunt; ſed ſuperiori interpretationi conuenientius illas in Italica translatione DEO-

DATVS

DATVS vertit: *nel rotolo del libro.* Posterioris aeui Graeci volumina saepius vocarunt *κοντάκια.* Ita citante CAROLO FRESNEO, *in Gloss. Graec.* ARCVDIVS *L. VI de Concordia: Contacium, inquit, Presbyteri Graeci vocant tenuem membranam, rotundo ligno, quasi iaculi fragmento* (*κοντῷ*) *circumuolui ab antiquis solitam.* Ceterum, vti iam alio loco monuimus, hos libros Latini *a voluendo* planissime appellarunt VOLVMINA. Pertinet adeo huc, quod LAVRENTIVS VALLA *L. VI, c. 43,* hac de re scripsit: *Est volumen a volo; quod in libris voluntas apparet; vel, quod magis sequerer, a* voluo, *quod* voluitur. *Quales libros hodie Hebraei quosdam habent, qualesque in V. et N. T. lectitamus fuisse. Et Romani, qui in libris arborum, i. e. corticibus, scribebant; quod illos libros, quos ferrent commodius, complicabant, volumina forte appellauerunt. - - Vnde adhuc durat verbum,* euoluere libros, *legendi gratia, quasi rem complicatam explicare.*

IIII. Materia, ex qua Hebraei sua pararunt volumina, non vnius generis fuisse deprehenditur. Nam nec AEGYPTIACA CHARTA illis fuit incognita; quam dixerunt נייר. Imo, si BVXTORFIVM, *in Lexico Talmudico*, audiamus, eandem appellarunt טמס, nisi potius hoc nomine aliam materiae ad scribendum accommodatae speciem indicarunt, quae ex ligni cortice confecta fuit: de cuiusmodi corticea charta non nihil in *disputatione de Ornamentis Codicum veterum, n. VIII,* afferemus. Istam vero chartam, siue Papyrum, R. SALOMO quidem, *in Comment. ad Sotam, n. IIII,* dixit, parari ex herbis contusis, glutinoque deinceps in pellis formam compactis: sed recte reprehensus est a Cl. WAGENSEILIO, existimante, audiuisse aliquid IARCHIVM de Papyro Aegyptiaca; sed, cum modum, quo confecta fuerit, ignorauerit, ex illa arte, qua nunc charta conficiatur, de veteri quoque tulisse iudicium. Etenim, in altera iam disputatione, *num. IIII,* ex PLINII historia naturali pluribus ostendimus, quemadmodum illa papyrus non ex herbis contusis, sed ex philyris, seu bracteis a caule papyri acu separatis, et postea decussatim dispositis, glutini, aut certe aquae turbidae ex Nilo ope, fuerit confecta. Neque tamen, docente auctore *Massichtae Sopherim*, licuit legem diuinam huiusmodi chartae inscribere. Ait enim ille: אין כותבין לא על דיפתרא ולא גבי נייר *Non scribunt super diphteram, neque super chartam.*

V. Quanquam vero Iudaei in describenda lege diuina neque chartam, neque diphtheram, vsurpasse videntur; vtramque tamen

materiam aliis rebus deſcribendis adhibuerunt, maximeque ex DIPHTHERA manuales Mercatorum tabulas confecerunt. Equidem vox διφθέρα Graeca eſt; et generatim notat pellem, ſeu exuuium alicuius animantis. Deinde per *Metonymiam* vſurpatur apud PLVTARCHVM, *in Sympoſ. ſeptem ſapientum*, de bulga, ſeu ſacco coriaceo. Imo ARISTOPHANI, *in Nubibus* διφθέρα dicitur veſtis ex corio, ſiue pellibus, quae propria paſtorum et agricolarum fuit; vbi Scholiaſtes interpretatus eſt περιβόλαιον ποιμενικὸν ἐκ δέρματος h. e. ſagum ex pellibus, quod exomidi iniiciebatur. Cuiusmodi veſtes, quae, docente VARRONE *de Re Ruſt. L. 2*, maxime ex pellibus caprarum conſtabant, non tantum, vti diximus, a vilioribus hominibus, ſed etiam ab ingenuis, tempore pluuiae geſtabantur: comprobante id FERRARIO, *de Re Veſtiaria, p. 208*. Tandem διφθέρα etiam notabat certum *membranarum* genus, in quibus ſcribebatur; eandem quidem ob cauſſam, quia ex animantium, et potiſſimum ex caprarum pellibus, confici ſolebant. Quo ſpectat illud Graecorum prouerbium alio loco a nobis iam explicatum: Ὁ ζεὺς κατεῖδε εἰς τὰς διφθέρας. Fingebatur enim Iupiter a Poetis habere membranas e pelle Amaltheae caprae confectas, quibus facta moresque hominum inſcriberet. Hinc adeo HERODOTVS *in Terpſychore, c. LVIIII*, commemorat, libros ab Ionibus iam olim διφθέρας nominari conſueuiſſe; quia aliquando in penuria papyri vſi ſint pellibus caprinis et ouinis. Ita enim ille de hac re ſcribit: Καὶ τὰς βίβλους διφθέρας καλέουσι ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ Ἴωνες, ὅτι ποτὲ ἐν σπάνει βίβλων ἐχρέωντο διφθέρῃσι αἰγείῃσί τε καὶ οἰέῃσι. Ἔτι δὲ καὶ τὸ κατ᾽ ἐμὲ πολλοὶ τῶν βαρβάρων ἐς τοιαύτας διφθέρας γράφουσι. h. e. *More antiquo libros Iones appellant pelles, quod aliquando penuria biblorum*, h. e. papyri Aegyptiacae, *pellibus caprinis ouillisque vtebantur: adhuc quoque ad meam vsque memoriam multi barbarorum talibus in pellibus ſcribunt.* Hanc ergo vocem Graecam Magiſtri Hebraeorum ſuam fecere, ſi quando nominare voluerunt veram quidem pellem ſcripturae inſeruientem, ſed imperfecte praeparatam, aut non plane in modum membranae elaboratam. Nam, quanquam triplex *pellis* apud Talmudicos ſtatuatur, מצה *Mazza*, hoc eſt, pellis, quae neque furfure, neque galla, macerata eſt. חיפא, *Chippe*, quae ſale ſubacta eſt, ſed furfure et galla caret; et דיפתרא, *diphthera*, quae ſale et furfure conſperſa eſt, ſed galla caret: non tamen duo priora genera, ſed poſtremum ſolum deſcribendis rebus adhibitum fuiſſe deprehendimus.

hendimus. Illudque genus ſatis accurate deſcripſit R. SALOMO, qui, *in commentario ad Sotam*, diphtheram ait eſſe pellem, quae non plene planeque parata ſit; ſed, cum ſale et farina quidem ſit ſubacta, galla tamen deſtituatur; membranas vero galla macerari oportere. Quibus verbis ſimul indicatur quodammodo diſcrimen, quod *diphtheram* inter et *membranam* intercedit: quod vti ex iis, quae paullo poſt dicemus, adhuc clarius innoteſcet; ita non parum illuſtrabitur, ſi ea, quae, *Diſputatione II, n. III, ſub finem*, de diſcrimine corii et membranae in medium attulimus, huc transferantur.

VI. Praecipue autem Hebraei vſurparunt MEMBRANAS, easque ex animali puro paratas, ſi inprimis *Pentateuchus*, aut alia monimenta ſacra deſcribenda fuerunt. Pertinet huc, quod legitur *Sopherim c. I. Miſchn. 1.* אין כותבין ספרים לא על עורות בהמה טמאה ולא עורות חיה טמאה ולא תופרין כגידין ולא נכרכין בשערן והלכה למשה מסיני שכותבין על עורות בהמה טהורה ועל עורות חיה טהורה ותופרן וכורכן בשערן הלכה למשה מסיני שמסרגלין בקנה וכותבין בדיו על העור שהוא סמיך לו מן המקרא ואני כותב על הספר ובדיו *Neque in pellibus pecudum immundarum, neque in pellibus ferarum immundarum, ſcribendi ſunt libri: neque neruis aduptantur, neque ligantur ipſorum pellibus. Eſt traditio Moſis de monte Sinai, ſcribendum eſſe in membranis beſtiarum mundarum; colligandos etiam et inuoluendos libros iſtarum pellibus. Eſt etiam traditio de monte Sinai, lineas fieri debere per calamum, ſcribendumque eſſe atramento in membrana continua. Huc accedit et illud quod legimus: Ego vero in libro ſcribam atramento.* Quae membrana a ſuperiori *dipththera* in eo potiſſimum diſtincta erat, quod non tantum, vti iam monuimus, ſale et farina, ſed etiam galla, ſubigi conſueuit: quae galla fructus eſt, qui naſcitur in foliis quercuum et ramuſculis; Graecis dictus κηκὶς, *Rabbinis* vero אצצא vel עפצא. Habentur vero tria potiſſimum huiusmodi membranae genera, quae non omnia pariter ad ſcripturam ſacram idonea exiſtimantur. Primum genus dicitur גויל, quod paratur ex pelle animalis alicuius puri, ita, vt pili ab ea auferantur; deinde vt maceretur ſale, et tandem etiam ſubigatur farina et galla, ſimilibusque rebus, quae pellem velut conſtringant atque ſolident. Vnde calcem etiam, loco gallae, aliquando adhibere licebat. Hoc genus membranae SCHICKARDVS, *de Iure Regio Hebraeorum c. II*, κατ᾽ ἐξοχὴν appellauit *Pergamenorum*. Alterum genus dicitur קלף, pars ſcilicet pellis tenuior, eaque pilis contigua; quando membrana

brana in duas partes secundum crassitiem diffinditur, eoque, quo iam diximus, modo, praeparatur. Et hoc genus eidem SCHICKARDO proprie *membrana* audit. Tertium genus dicitur דוכסוסטוס hariolante BVXTORFIO, *in Lexico Talmudico*, sic appellatum a Graeco διχάζω, *in duo diuido*, quasi διχαςός vel ex δύο et ξεςὸς, quasi dicas: *bis rasus*, vt sic fere idem sit, quod παλίνξεςος. Est scilicet pars pellis separatae praeparataeque crassior, quae contigua est carni, diciturque differentiae caussa *corium*. Quemadmodum vero duobus prioribus membranae generibus aeque in rebus sacris consignandis vti licuit, eo quidem pacto, vt altrinsecus tantum et conuenienti quidem ratione perscriberentur; quoniam irreligiosum erat, vnum idemque volumen sacrum partim ex pergameno, partim ex membrana confici: ita postremum genus ad legem DEI describendam inutile habebatur, nisi quod in illa eius parte, in qua pili fuerant, *liminaris Scheda* potuerit describi. Ita hanc rem BVXTORFIVS *ex R. Mose Maimonide* in הלכות תפילין et *ex Schylchan Aruch* refert, itemque SCHICKARDVS *c. 2. de iure Regio Hebraeorum*. At Codex MSCtus *Ez Hechaiim in Hilcos Sota Vekinnam*, quem Cl. WAGENSEILIVS, *in Comment. ad Sotam* laudat, haec nomina paullo aliter exponit, ita, vt eam pellis partem, quae carnem attigerit, *Keleph* appellet, spissioremque esse tradat; alteram vero, cui antehac pili adhaeserint, nominet *duchsôstos*, eandemque tenuiorem esse innuat. Ceterum, in praesenti pluribus non commemorabo, quam superstitiosi fuerint Iudaei in his membranis parandis, quae sacro vsui destinabantur. Requirebant enim praeter alia, vt, si quis eas opifici conficiendas traderet, expressis verbis diceret: *Has pelles in eum finem parari volo, vt rem sanctam ex illis efficiam.* Quodsi alio fine parabantur, profana erant. Imo, si hic labor homini non Iudaeo committendus erat, parari tamen membrana illa rite non posse existimabatur, nisi assistente opemque ferente Iudaeo. Illud denique rectissime animaduertit WAGENSEILIVS, loco ante laudato, Scriptores Iudaicos ea nunquam admissuros esse, quae VARRO apud PLINIVM, *L. XXI Histor. Nat.* de inuentione conficiendae membranae tradiderit. Scribit enim ille, eundemque fere sequitur HIERONYMVS, *Epistol. XLIII ad Chromatium*, membranas aemulatione Ptolemaei, Aegyptii, et Eumenis, Pergameni Regis, inuentas esse. Nam cum vterque amore librorum et bibliothecas condendi studio captus fuerit, Ptolemaeum, vt impediret

aemu-

aemulum, chartas Aegypto exportari vetuiſſe: ſic membranas, quae chartarum vice eſſent, Pergami repertas, et abinde chartas pergamenas appellari coepiſſe. Certe Iudaei, vti alias traditiones, ita et hanc artem membranarum ex pellibus parandarum, inde a monte Sinai deriuant. Id mihi ſatis perſuaſum habeo, vel ex ſupra citato HERODOTI loco, ſcribentibus iam antiquiſſimum pellium vſum fuiſſe; nihilominus tamen negare nolim, alio ſaltem modo, eoque fortaſſe commodiori artificio, pelles membranasque ad ſcribendi vſum primum Pergami parari coepiſſe; aut certe tunc maxime libros quadratae formae inuentos eſſe, qui aliquando κατ᾽ ἐξοχὴν et *membranae* dicebantur.

VII. Quis dubitet, Iudaeos alias etiam materias libris conficiendis adhibuiſſe? Certe MAIMONIDES *in Hilchot Tphillin* teſtatus eſt, licere libros corrigiasque precatorias aeque *pellibus auium mundarum*, ac iumentorum, inſcribere. Imo, dummodo cutis deſumta eſſet ex aue pura, nihil officere crediderunt, illam ſua morte periiſſe, aut aliquo vitio laboraſſe. Cuiusmodi vero auium cutem vſurparint, et quemadmodum illam praepararint, minus nobis conſtat. Equidem videntur hae cutes id incommodi habuiſſe, vt propter poroſitatem transmiſerint literulas; attamen, ſi in craſſiori ſcriptura atramentum poros illos oppleret, nihilominus licuit in illis legem diuinam exarare. Praeterea, haud neſcierunt Iudaei ſquameas quoque piſcium cutes ad ſcripturam parare; quanquam in illis nefas duxerint Dei legem ſcribere, propter ſordes pingues, quae vix vllo artificio penitus tolli potuerunt. Adhaec, in *Miſchna*, et quidem in *Tractatu de diuortiis*, mentio etiam fit foliorum oliuae, cornuque vaccae, in quibus repudii libellum ſcribere liceat. Taceo alias materias, in quibus, quamuis non legem diuinam, alias tamen res, literis mandare fas fuit; et quae ad codices potius, quam volumina conficienda, adhiberi potuerunt.

VIII. Non vero ſatis fuit Iudaeis, determinari, ex cuiusmodi materia volumina, eaque inprimis ſacra, ſint conficienda; requirebatur etiam, tum ratione longitudinis, tum ratione craſſitiei, vt ea certam haberent MENSVRAM. Licet enim in aliis rebus argumenti vel amplitudo, vel anguſtia, maxime circumſcripſerit magnitudinem voluminum; haud ſecus, ac ISIDORVS, *L. VI*, dixit, quaedam genera librorum certis modulis confici; breuiori forma, carmina atque epiſtolas; at vero hiſtorias maiore mo-

 dulo

dulo ſcribi: ſi tamen ספר תורה deſcribendum fuit, vtique totius voluminis certa fuit et definita quantitas, ita, vt neceſſe haberetur, extremam membranam, quae ceteras ambiret, eſſe quadratam. Tradidit enim R. ALPHESIVS, non admittendam eſſe libri legis altitudinem longiorem ambitu, nec ambitum ampliorem altitudine. Nolumus iam exponere Geometricam huius dimenſionis proportionem, quam SHICKARDVS rerum Iudaicarum peritiſſimus, in משפט המלך *p. 35*, iam indicauit. Illud ſaltem obiter annotabimus, R. MAIMONIDEM, *in Hilc. Tphillin*, commemoraſſe, lege huiusmodi dimenſionis volumen ſacrum, quod ipſe ſua manu exarauerit, longum fuiſſe MCCCLXVI pollices, h. e. LVII fere vlnas Iudaicas. Sed de longitudine voluminum plura occurrent, vbi de illorum conſtruendorum ratione infra dicemus.

VIIII. Pergimus iam ad MATERIAM, QVA SCRIPSERVNT, literasque in voluminibus expreſſerunt Iudaei. Et quod ad profanos quidem libros attinet, nihil prohibuit, quo minus varia colorum genera, velut *rubrum*, *viridem*, *aureum*, *aut ſimiles*, neque minus *vulgare quoddam atramentum*, adhibuerint. Imo, quod legitur in גיטין, *ſeu tractatu de diuortiis*, ipſos etiam repudii libellos non ſolum atramento vulgari, ſed auripigmento etiam et minio, ſeu rubrica, ſcribere licuit. *Vulgare* quidem *atramentum* fere noſtro modo praeparari ſolet ex chalcantho, gummi Arabico, galla, aliisque huius generis, ita, vt aqua affuſa, igni, aut ſoli, in vaſculo exponatur. Ad legem vero diuinam ſcribendam non niſi דיו h. e. *atramentum* quoddam peculiare vſurparunt; quod nomen etiam extat *Ierem. XXXVI, 18.* Neque enim, vti ex auctore *Maſſichtae Sopherim I*, oſtenditur, quoduis atramentum vſui ſacro inſeruiit; ſed cui neque carbo, nec nigredo ſutoria, nec gummi, nec vitriolum, nec aqua putris, admiſceretur. Nec male iudicat SCHICKARDVS, *in Bechinat Happeruſchim*, *p. 11*, vitriolum eam ob cauſſam prohibitum, quia illud corrodat membranas; carbones, quia facile diffluentur; gummi, quia vdo aere colliquatum literas madefactas per repercuſſionem ingeminet, lectoremque confundat. Sed primo, quod ad vocem קומוס attinet, quae *gummi* vulgo redditur, diſputant eruditi, quid per eam maxime intelligatur. MAIMONIDES *in Gittin*, *c. II*, *Miſchna III*, ait, eſſe ſpeciem pulueris, qui colorem nigrum inducat. Alii interpretes Talmudi vocem קומוס reddiderunt *gummi*, vel reſinam. Celeberrimus autem WAGENSEI-

LIVS

LIVS docet, esse succum corticis nigrae arboris, qualis e. g. ebenus sit. Deinde, quod ad קנקנתום, *vitriolum* pertinet; id quidem satis certum est, schedam *Sotae* non nisi eiusmodi atramento exarandam fuisse, quae gummi et vitriolo caruerit; quia schedam istam oportuit deleri: verum res magis dubia est, vtrum vitriolum etiam ab eo atramento abesse debuerit, quo scriberetur ספר תורה. Non solum supra citatus auctor, sed etiam generatim Iudaei, qui Palaestinam incoluerunt, improbarunt libros *Pentateuchi*, eiusmodi atramenti genere exaratos, quod אילחיבר vocabatur, quodque ex galla et vitriolo conficiebatur. Eorum etiam sententiam secutus est RICH. SIMONIVS *in Crit. V. T. L. I. p. 109.* Hos tamen refutauit MAIMONIDES, *in notis ad Sotam*, *c. II, Misch. IV*, atque illius ipsius atramenti, quod diximus, vsum licitum esse asseruit. Imo, idem MAIMONIDES, *in Hilcot Tphillin*, *c. I*, *§. 4*, singularem rationem, qua atramentum istud parandum sit, exposuit, docuitque, colligendam esse fuliginem olei vel picis, vel seui, vel talium, et subigendam exusto ligno cum exiguo mellis, atque depsendam, donec frustratim comminuatur; postea exsiccandam et reponendam, ac, si quis ea vti voluerit ad scribendum, aquis gallarum, aut similium, macerandam dissoluendamque esse. Speciatim vero fumum olei oliuae aptissimum atramento parando existimarunt, eumque vase vitreo tamdiu excepere, donec id fuliginem contraheret. Dehinc corrasam fuliginem et pauxillo olei imbutam subactamque ad solem exsiccarunt. Quae omnia loco supra citato copiosius exposuit laudatissimus WAGENSEILIVS noster. Conferantur etiam Talmudici in *Gemara Schabas*, *f. XXIII.* Sic Iudaeorum Magistri etiam inter se disceptarunt, an liceat Codicem sacrum etiam atramento cum *galla* mixto scribere: cuius *gallae* iam supra, *n. VI*, mentionem iniecimus. Plurimi *Rabbini*, et nominatim R. MOSES MIKKOZI, *in Sepher Mizuos Gadol Hilcos Sepher Thora*, atramentum e galla paratum ad scripturam sacram non admitti docet; propterea, quod huiusmodi atramentum perpetuo sit humidum, neque, vt illud peculiare, quod דיו dicitur, in se siccum atque durum. Sed et quaeri praeterea potest, vtrum Iudaeis neque aureis literis libros Legis diuinae licuerit describere? Certe, referente IOSEPHO, LXX Interpretes ab Eleazare, Pontifice, ad Ptolemaeum missi attulerunt membranas, αἷς ἐγγεγραμμένους εἶχον τοὺς νόμους χρυσοῖς γράμμασιν, h. e. *quae legem aureis literis inscriptam continuerunt.* Nec CARPZOVIVS, *in animaduersionibus ad Schickardi Ius Regium Hebraeorum*,

 ab

ab eorum ſententia adeo alienus videtur, qui exiſtimant, praeter nomina diuina in reliquis aureo colore vti licuiſſe. Verum id quidem fieri potuit extra *Synagogas*, ſi in priuatum vſum lex deſcriberetur, maxime ſi in aliam plane linguam transferretur. Alioqui neutiquam licebat ſcribere aureo colore: id quod *ex c. I Sopherim* §. *9*, *et 18* comprobatur; vbi etiam refertur, hanc ipſam ob cauſſam Alexandri M. *Pentateuchum* a Sapientibus improbatum et ab vſu remotum eſſe, quod omnia Dei nomina aureis characteribus in eo fuerint perſcripta. Et R. MAIMONIDES in *Hilcot Tphillin, c. I*, docet, ex Traditione Moſi in monte Sinai patefacta, a ſcribendo volumine ſacro, praeter דיו, *atramentum illud peculiare*, excludi omnes reliquos liquores, e. g. rubrum, viridem, et alios huius generis; nam ſi in libris, et phylacteriis, aut ſchedis liminaribus, vel vnica littera, alio, quam atramenti veri, colore, aut etiam auro, fuerit perſcripta, totam ſcripturam pro profana haberi. Propterea etiam RICHARDVS SIMONIVS, *Lib. I Hiſt. Crit. V. T. c. 23*, LEVSDENIVM reprehendit, qui in *praefatione*, quam Bibliis Hebraicis ab Amſtelodamenſibus Iudaeis A. CIↃIↃCLXVII editis praemiſit, quendam Iudaeorum Codicem eo nomine maxime collaudauit, quod aureis characteribus ſit exaratus.

X. Poſtquam hucusque oſtendimus, partim cui materiae inſcripſerint Iudaei; partim, qua ſcripſerint; ſequeretur, vt nunc etiam de priſcis Hebraeorum CHARACTERIBVS LITTERARVMQVE FORMA non nihil diceremus. Verum, cum hoc argumentum multis obſtructum ſit difficultatibus, multoque apparatu a Viris eruditis iam hac de re ſit diſputatum; eandem diſputationem in praeſens ingredi nolumus. Cui enim ignota eſt illa controuerſia, vtrum Samaritani, an Hebraei characteres, quibus adhuc hodie vtimur, ſint primigeniae illae litterae, a Deo ipſo in tabulis Decalogi, et a Moſe ac reliquis ſcriptoribus diuinis vſurpatae? Quamcunque vero quis ſententiam amplectatur, negare haud poterit, ſemper ornatui cuidam in formandis pingendisque litteris locum eſſe potuiſſe. Certe per ſe venerabiles apparent litterae quadratae, quibus Hebraeorum libri, cumprimis Synagogici, exarantur; quamuis in his omittantur puncta et accentus. Quae litterae quo ſimpliciores atque ſine affectato artificio elegantiores reperiuntur; eo propius ad primam vetuſtatem accedere exiſtimantur. Fieri tamen poſſe obſeruat RICHARD. SIMONIVS, *in Hiſt. Crit. V. T. L. I, c. 22*, vt hi ipſi characteres quadrati omni ſtudio ſcripti, ratione diuer-

ſarum,

ſarum nationum a ſe quodammodo differant atque figuris diſcernantur, ita, vt craſſiores ſint litterae Germanorum, quam Gallorum: Hiſpanorum vero character Hiſpanicus plane et omnino quadratus atque auguſtus; Gallus et Italicus rotundior magis, nec tam auguſtus. Cum vero generatim omnes litterae in lingua Hebraica aequali magnitudine in principiis vocum, nominum propriorum, ſectionum et librorum, ſint ſcribendae; vel exinde quoddam antiquitatis argumentum in diiudicandis libris MSCtis capiunt Critici. Et quanquam in ipſo *Textu* ſacro, ex Maſoretharum diſciplina, pingantur certis in locis nonnullae litterae, vel maiores ceteris, vel minores, vel etiam alia inſolentiori forma; (cuiusmodi litteras BVXTORFIVS, *in Commentario Maſorethico*, enumerauit, et, quae in iis myſteria conſtituerint Iudaei, ſimul expoſuit) non male tamen doctiſſimus IABLONSKI, *in praefatione ad Biblia Hebraea a ſe euulgata*, inter ſigna proborum, eorumque vetuſtorum Codicum Hebraeorum refert, ſicubi non ſolum *Keri* et *Cetib* abſint; ſed etiam parcior huiusmodi maiorum minorumue et inuerſarum litterarum vſus deprehendatur: quamquam has iam ante Talmudis tempora obtinuiſſe dicat. Iſta autem quadratarum litterarum figura, qua Iudaei etiamnum volumina Synagogica exarant, vocatur כתב מרובע h. e. *ſcriptura quadrata.* Saepe dicitur כתב אשורי. Cuius appellationis variae dantur rationes. Alii enim interpretantur *ſcripturam beatam*, ab אשר, *beatum reddere.* Alii reddunt *ſcripturam Aſſyriacam*; vel quia iſta, quae antehac ſacra nec niſi pauciſſimis nota fuerit, deinde in Aſſyria innotuerit, et ex parte communis facta ſit; vel quia Patres eam ſecum ex Aſſyria attulerint in Cananaeam. Plura de hoc nomine tradit BVXTORFIVS, *Diſſert. IV de litterarum Hebraicarum antiquitate.* Imo etiam appellatur כתב הקדש, *ſcriptura ſancta*, ab vſu ſancto, cui peculiariter deſtinatur. Vtrum vero, quod Cl. LEVSDENIVS, *in Philol. Hebr. Diſſert. XI*, tradit, haec ipſa ſcribendi ratio a Talmudiſtis etiam appelletur כתב עברי *ſcriptura Hebraea*, quia Hebraei veteres ea vſi fuerint, parum abeſt, quin dubitemus. Certe IO. BEN. CARPZOVIVS, *ad Schickardi Ius Regium Hebraeorum*, docet, in Rabbinorum Talmudicorumque ſcriptis כתב עברי *ſcripturam Hebraeam*, eam vocari, qua hodie Samaritani vtantur, quaeque olim fuerit ſcriptura Hebraeorum חול, ſiue *profana*: quam etiam nummi, a Simeone *Ethnarcha* cuſi, hodie exhibent; de quibus ex inſtituto egit HADR. RELANDVS. Haec autem *quadrata litterarum*

Hebraicarum figura tam neceſſaria ad deſcribendam legem habetur, vt, quemadmodum *ex Maſſichta Sopherim* oſtenditur, non liceat ſcribere, nec Hebraice, (*h. e. profanis litteris*) nec Syriace, nec Medice, nec Graece: imo vt et pauca illa, quae peregrini *idiomatis* in lege occurrant, vſitatis tamen characteribus ſint ſcribenda. Ab iſta quadrata, eaque ſtabili et graui, litterarum figura nonnihil recedunt feſtinantes et velut mutili characteres, quibus poſteriores Iudaeorum Magiſtri libros ſuos conſcripſerunt. Quae ſcribendi ratio dicitur משקיט. De qua voce non poſſum, quin afferam, quae obſeruauit ELIAS LEVITA, in *opuſculo Hebraico*, quod *cum interpretatione* PAVLI FAGII A. C. 1541 prodiit, et cui titulum fecit תשבי, quod in eo DCCXII voces (totidem enim תשבי in numero refert) explicauit. *Scripturam*, inquit, *paruam*, *i. e. eam*, *quae non eſt quadrata*, *vocant* משקיט. *Et ante multos annos indicatum mihi fuit*, *eſſe vocabulum Arabicum*, *et ſignificare macilentum et extenuatum. Sed poſtea iterum intellexi*, *non eſſe Arabicum*; *vnde interrogaui multos Iudaeos*, *Italos*, *Gallos*, *Graecos*, *et Arabes*, *qui omnes quidem ſic vocabant*, *ſed ignorabant eius interpretationem. Ceterum nos Germani vocamus* מעשיט, *ſed neſcimus*, *quid ſit. Inueni autem*, *quod eam vocent ſcripturam rotundam. Eſt porro et alia ſcriptura ab Arabibus profecta*, *quam vocant* כתיבה של חצי אותיות, *in qua ponunt Iod et Vau in medio Daleth*, *Reſch*, *et Beth*, *atque omnes litterae cohaerent inter ſe inuicem. Quae ſcriptura valde vſitata eſt apud Rabbinos.* Sed redeo ad *litteras quadratas*, easque *ſanctas*. Illud nempe volumina ad vſum *Synagogarum* parata vna cum *phylacteriis*, iisque membranis, quae *Mezuzoth* appellantur, peculiare habere deprehenduntur, vt in illis litterae quaedam quadratae extent, quae, praeter ſolitam figuram, APICES, aut CORONAMENTA, ſeu CORNVA quaedam gerant; vel ornatus ergo, vt quidam exiſtimant, vel, vt plures cenſent, ſingularis ἐμφάσεως ſublimiorisque ſenſus indicandi cauſſa. Cuiusmodi apicum ac corollarum figuras aeri inciſas exhibuit Cl. SVRENHVSIVS, *P. III. Miſchnae*, *p. 8.* Hi apices vulgo dicuntur תגין, item כתרים, i. e. *coronae.* A MAIMONIDE appellantur זיונין i. e. *armaturae*, ſeu *galericuli.* Et fieri potuit, vt etiam Seruator noſter, *Matth. V*, *et Lucae XVI*, huc reſpexerit, vbi dixit: εὐκοπώτερόν ἐστιν, οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν παρελθεῖν, ἢ τοῦ νόμου μίαν κεραίαν πεσεῖν. Κεραία enim eſt ἀπὸ τοῦ κέρας, i. e. *a cornu*, et in Gloſſis veteribus dicitur γράμματος ἄκρον, *apex*, *litterae faſtigium.* Quanquam vox κεραία apud PLVTARCHVM dici

dici videtur de ſiglis et notis, quibus veteres, celeriter ſcripturi, compendii cauſſa vſi ſunt. Ita enim is, in *Platonicis Quaeſtionibus*, *p. m.* 1011. vbi agit de vſu Praepoſitionum, ſcribit: Ὅρα δὲ μὴ κόμμασι καὶ θραύσμασιν ὀνομάτων ἐοίκασιν, ὥσπερ γραμμάτων σπαράγμασι καὶ ΚΕΡΑΙΑΙΣ οἱ σπεύδοντες γράφουσι. h. e. *Vide annon* (Praepoſitiones) *fruſtis potius fragmentisque nominum ſimiles ſint; ſicut litterarum portiunculis et apicibus ſcribunt, qui feſtinant?* Ceterum, perhibent Iudaeorum magiſtri, iſta *coronamenta* a Deo Moſi in monte Sinai data, eorumque depingendorum artem Moſem illic accepiſſe, cum ipſe Deum his coronulis litteras ornantem offendiſſet. Litterae vero, quibus in voluminibus Legis MSCtis haec coronamenta appinguntur, docente R. ALPHESIO, ſunt hae ſeptem: שעטנזגץ, quarum aliae tantum vnam, aliae vsque ad ſeptem corollas poſcant. R. IACOB BEN ASCHER autem, quem laudat CARPZOVIVS *ad Schickardum de Iure Regio Hebraeorum*, *in Arba Turim* ait, vbicunque harum litterarum aliqua occurrat, neceſſe eſſe, vt tribus exornetur coronulis; vna ad dextram, altera ad ſiniſtram, et tertia ſuperne. Differre parumper inter ſe Luſitanorum atque Germanorum Iudaeorum apices, qui in Legis MSCtis libris inueniuntur, obſeruauit SVRENHVSIVS *l. c.* Vbi enim Luſitani ſupra litteram habent tres apices cum tribus punctis ſuperius, in modum paruae coronae; ibi Germani tres tantum habent apices. Adhaec, vt illae ſeptem litterae שעטנזגץ ſingulae ſignandae ſunt tribus apicibus; ita hae quinque litterae בדיקה ſingulae vno apice ſunt ornandae, quoties in lege occurrunt. Plura affert RICH. SIMONIVS, *in Hiſtoria Critica V. T. L. I, c. XXI.* ex R. SEM. TOBIA, qui de illis coronis librum ſingularem compoſuit.

XI. Cum vero tam auguſta et tam elegans appareat Hebraeorum ſcriptura; quaeritur, an hanc etiam licuerit exornare PICTVRIS et IMAGINIBVS? Vbi, ſi tantum de ſacris et ad publicum vſum paratis voluminibus loquamur, facile intelligimus, Iudaeis iam diu perquam odioſam fuiſſe picturam, ſancto *Textui* immixtam. Equidem, quod ad Maſoram attinet, quae in circuitu legis ſanctae ſcribitur, haud raro deprehendimus, hanc in varias picturarum formas modorumque gyros contorqueri. Imo inuenimus, non ſolum aliquando nominum litteras vnciales ex Maſora et dictis ſacris artificioſe contexi; ſed aliis etiam variis picturis margines exornari. Sic LEVSDENIVS, *in Praefatione Bibliorum Hebr. Amſtelodamenſium*, primo loco meminit libri MSCti ſatis vetuſti, in

quo

quo maior et minor Masora reperiatur: maior quidem cum variis florum, vrsorum, canum, boum, et aliorum animalium, figuris. Sic Celeb. MICHAELIS, *in Dissertatione de Codicibus MSCtis Biblico-Hebraicis*, *n. VIIII*, refert, in aliquo MSCto libro Erfurtensi conspici varias picturas in margine appictas: modo siluam cum ceruis, leporibus, canibusque; modo imaginem leonis, cuius cauda multis comta sit flosculis, et quae alia sunt huius generis. Sic etiam REVCHLINVS quondam pretiosum S. Scripturae exemplar habuit, a Maximiliano I dono acceptum, in quo SCHICKARDVS, in praefatione *Bechinath Happeruschim*, testatur, se in librorum vestibulis obseruasse notas Masorethicas minutissimis litteris non per lineas, sed instar picturae, tam affabre conscriptas, vt eminus inspectas nonnisi leonum, vrsarum, boum ouiumque imagines crediderit. Et quid ad multa exempla prouocamus, cum ea nec apud hodiernos Iudaeos nobis deesse possint? Verum hoc ipsum haud praeter rationem RICHARDO SIMONIO videtur esse quoddam nouitatis indicium; cum vetusti, et maxime Hispanici Codices MSCti in totum huiusmodi figuris careant, atque Masora ibi simplex et nuda, nitida tamen, ad eorundem margines extet. Imo celeberrimus IABLONSKI, *in Praefatione Bibl. Hebr.* §. *37*, tradit, si codex daretur, cetera vetustus, sine omni Masora, eum perantiquum haberi posse: si daretur vetustus cum sola Masora parua, eum mediae velut aetatis esse: qui vtraque Masora sit instructus, antiquiorem esse, vbi haec natiua simplicitate et versibus rectis se commendet; recentiorem, quae variis imaginum figuris ornetur. Vnde nec exiguum vetustatis signum sustinet alter praestantissimus Codex MSCtus, quem itidem REVCHLINVS possedit, et qui A. C. MCV. manu Serachi, filii Iehudae Soteris, scriptus est: vbi non solum ipse Hebraeus *Textus* more antiquo, sed etiam vtraque Masora simplex et nuda exhiberi dicitur, ita, vt plane nullae ibi appareant animalium figurae, et scriptio ipsa satis simplex sit atque rudis. Id quod refert Cl. IO. HENR. MAIVS, *in vita Io. Reuchlini*, *seu Capnionis*, *p. 537*. At enimuero *Liber Estheris*, qui κατ' ἐξοχὴν *Megilla* dicitur, et qui peculiari volumini inscriptus die festo *Purim* Iudaeis publice praelegitur, singulari saepe ornatu describi solet, ita, vt elegantibus picturis et imaginibus aliquando exsplendescat. Cuiusmodi elegantissimum *Megillae* exemplar, idque nitidissime scriptum, et variis figuris coloribusque exornatum, Bibliothecae publicae huius Academiae in perpetuam sui nominis memoriam reliquit

liquit ingens quondam coetus eruditi decus, B. WAGENSEILIVS noſter. Aliud exemplar *Megillae*, quod ſingulari ritu et elegantia deſcriptum fuit, commemoratur a IO. BVXTORFIO, *de Punctorum antiquit. et auctor. P. I, c. 4.* Videatur de *Megilla* etiam GVIL. SCHICKARDVS, *in Orat. de Feſto Purim*, quae *T. VI Bibl. Crit.* inſerta eſt.

XII. Vt vero magis magisque appareat, quam accurati ac curioſi, imo et ſuperſtitioſi ſint Iudaei in Lege DEI deſcribenda: iam ad illam etiam DIMENSIONEM deuenimus, qua iſti omnem verbi diuini ſcripturam ſolent diſpertiri. Refero huc primum, quod haud quicquam ſacrum ipſis exſcribere liceat, niſi id AMVSSI, aut REGVLA, prius fuerit DELINEATVM: vt eo elegantius appareat, et a profanis ſchedis eo facilius diſtinguatur. De hac *lineatura* agit R. IACOB BEN ASCHER, *in Iore Deah Hilc. Sepher Thora*, oſtenditque, ad legem eleganter ſcribendam maxime requiri, vt antea ad amuſſim certae LINEAE ducantur, intra quarum ſpatia iuſto certoque ordine ſcribantur litterae; et quidem ex traditione Moſis de monte Sinai iſtiusmodi lineas duci oportere *calamo*; non ita quidem, vt non eodem fine etiam culter vſurpari poſſit; ſed ne et plumbum, et ſimilis materia, adhibeatur, quae colorem membranae inducat. Cuiusmodi *lineatura* Iudaeis שרטוט dicitur. Minimum, docente MAIMONIDE, nefas habetur, plures, quam tres voces, absque lineis ductis exarare. Et quamuis, quod SCHICKARDVS animaduertit, in quibusdam antiquis voluminibus obſeruetur, ſulcos ductos eſſe in tergo, vt eminentiae vergant antrorſum; refert tamen LEVSDENIVS, *in Philologo Hebraico, Diſſert. XXXIIII*, in quibusdam exemplaribus illos ſulcos in ea ipſa parte ductos ſpectari, in qua *Textus* ſit deſcriptus. Ante omnia vero dimetiuntur totam ſcripturam per certas COLVMNAS, ſeu AREOLAS. Scilicet cum Hebraei veteres, itidem vt Graeci Romanique, in aduerſa tantum membranae parte ſcripſerint, auerſa parte vacua relicta, ita vt, docente *Miſchna*, etiam ſcheda *Sotae* improbaretur, ſi qua in vtraque paginae facie ſcripta eſſet: hinc in eiusmodi ſacro volumine etiamnum ſcribendi initium quidem a prima membrana, velut a πρωτοκόλλῳ faciunt; non tamen per latitudinem, ſed longitudinem voluminis, ac quidem ſiniſtrorſum ſcribunt, ita vt longitudinem voluminis, ſeu ſingulas membranas, ex quibus volumen conſtruitur, in certas columnas, ſiue areas, diſtinguant, quas in *Diſputatione II, Fig. 1 et 2*, litteris, *l. m.* indicauimus. Harum columnarum

rum magnitudo ea potiſſimum requiritur, quae Lectoris viſui congruat, ita, vt in paruo exemplari non anguſtior ſit palmo; ſpeciatim, vt, tradente MAIMONIDE, non pauciores, quam XLVIII, nec plures, quam LX *lineas*, vt vulgo dicuntur, capiat. Cuiusmodi *linea* Rabbinis שטה, Graecis στίχος, Latinis recte *verſus*, appellatur. Verſus autem cuiusuis optimam menſuram idem MAIMONIDES per XXX litteras determinat, eoque ipſo ſimul columnarum latitudinem exactius circumſcribit. Quanquam alii exiſtiment, in his omnibus capacitatem potius membranae, craſſitiem ſcripturae, atque alia, quae ad decorum pertinent, attendi debere. Quid? quod carmina, cuiusmodi in Lege duo occurrunt, peculiari ratione ſunt ſcribenda, ita, vt ſaepe verſus verſu ſit longior, primoque ſtatim intuitu appareat, eſſe carmina: haud ſecus, ac apud Graecos Latinosque carmina aliter ſcribuntur, quam oratio proſa. Quam carminum ſcribendorum rationem ex *R.* MAIMONIDE *et ex R.* IACOB BEN ASCHER, SCHICKARDVS pariter atque CARPZOVIVS *l.c.* pluribus expoſuerunt. Cuius ſctiptionis ſpecimen quoddam ex MSCtis Codicibus Erfurtenſibus protulit Celeb. MICHAELIS, in Diſſertatione ſupra a nobis laudata. Ceterum, columnae iſtae, in quas diuiduntur membranae, ſunt vice paginarum, et, docente IO. BVXTORFIO, *in Inſtit. Epiſtolari Hebraica, p. 4,* voce *metaphorica* vocantur דלתות i. e. *ianuae, valuae;* quod figuram ianuae referant. Quod nomen etiam legitur Ieremiae c. XXXVI, 23. Qui diuini Vatis locus hinc ſatis commode explicari poteſt: *Factum igitur, cum legiſſet Iehudi tria folia, aut quatuor, vt laceraret illud ſcalpro librario, et proiiceret in ignem, qui in foro erat, donec totum volumen conſumeretur.* Quare miramur, Cl. Auctorem Epiſtolae ad illuſtr. Boineburgium de Bibliotheca Auguſta ex hac voce arguere voluiſſe, illum libellum, cuius apud Ieremiam fit mentio, non fuiſſe forma voluminis ſcriptum, ſed noſtra librorum forma, paginis ſiue foliis diſſectis diſtinctum; cum tamen ibi omnino מגלת־ספר, quaſi *liber volubilis* dicatur. Quoniam vero, quae de modo in voluminibus ſcribendi per VERSVS et per AREOLAS hucusque tradidimus, ſatis clara atque perſpicua ſunt; fatemur, nos plane non capere poſſe, quem inuſitatum ſcribendi modum ſibi finxerit MEIBOMIVS, in *Nouo Specimine Biblicarum Emendationum*, vnde neſcio quam transpoſitionem in Iobi *c. XXXI, v. 32*, contigiſſe, voluit oſtendere. Exiſtimat enim, ſed absque iuſta coniecturae ratione, librarium, in largis membranis, Iobi librum

brum ternis verſuum ordinibus exarauiſſe, quorum ſinguli a ſummo paginae ad imum legerentur, medium autem ordinem ceteris vno verſu longiorem ornatus gratia eum feciſſe, cui Hebraeorum *explicit* ſubſcriberet: alterum vero librarium, a cuius exemplo omnes poſteriores Codices ortum habeant, cauſſam decori illius ſcripturae ordinis non perſpexiſſe, ac putaſſe, eos verſus, qui medio et longiore ordine conſpicerentur, vltimum locum occupare debere: hincque eueniſſe, vt cum verſum 32 ſcripſiſſet, eadem obliqua linea perrexerit ad u. 35, et inde ad 39; ac tum demum redierit ad u. 33, ſicque ordines inuerterit. Quam inanem MEIBOMII coniecturam merito reprehendit Celeb. Theologus, IO. HENR. MAIVS, *in Diſſert. de Scriptura S. §. 6.*

XIII. Quum itaque in dimetienda tum membrana, cum etiam ſcriptura voluminum ſacrorum, tam ſeduli fuerint Iudaei, fieri vix potuit, quin etiam ſeruarint certam velut menſuram SPATIORVM. Et ſane deprehendimus, iſtos litteris, verbis, verſibus, ſectionibus ac marginibus, ſua ſpatia deſignaſſe. Nimirum profanus ille liber legis habebatur, vbi litterae litteris haererent, aut vbi litterae iuſto longius a ſe inuicem diſtarent. Hinc inter quamlibet litteram, fili, aut pili, ſpatium relinquendum requirebant. Porro vero, cum religioni duceretur, duas voces ita iungi, vt in vnam coaluiſſe viderentur; hinc integras voces ſpatium vnius litterae tenuioris patere voluerunt. Neque minus aequalia verſuum ſpatia conſtituerunt, ita, vt inter quasuis lineas litterae quadratae ſpatium intercederet. Praeterea nec orae, ſeu marginis, nullam habuerunt rationem. R. ALPHESIVS enim dixit, menſuram orae inferioris debere eſſe palmum; ſuperioris vero tres pollices: ſed inter paginas ſpatium duorum digitorum. Atque MAIMONIDES monuit, inſuper neceſſe eſſe, vt relinquatur ad extremitates membranae aliud ſpatium vnius digiti pro ſutura. Denique diuinam ſcripturam in varios libros, variasque ſectiones, diſpertiti ſunt, ſingulis dignoſcendis certa ſpatiorum menſura definita. Etenim, quamuis volumen ſacrum, quod publice legebatur in *Synagoga*, vnicum complecteretur *Pentateuchum*; cum docente R. MOSE, *in Tract. de Libro Legis*, volumen comprehendens Librum Legis, Prophetas et Hagiographa, ſanctitatem Libri legis non habebat: in vulgaribus tamen voluminibus haec coniungebantur, ea quidem lege, vt ſinguli libri certis ſpatiis a ſe inuicem diſtinguerentur.

P 2 Huc

Huc itaque pertinent ea, quae IOSEPHVS DE VOISIN, in *Obseruationibus ad Raimundi Pugionem fidei*, *p. 116*, *ex R.* MOSE, attulit. *Licet*, inquit Magister ille Iudaeorum doctissimus, *complecti Legem, Prophetas*, *et Hagiographa vno eodemque volumine. Inter singulos Prophetas tres lineae; inter vnumquemque e duodecim Prophetis tres itidem lineae. Si finis eorum in extremum paginae incidat, ibi finiantur.* Sed et libri ipsi in *Pentateucho* denuo distinguntur in *Paraschas*, h. e. sectiones, easque tum magnas, tum medias, tum minores. Magnis sectionibus, quae vtplurimum per ternas litteras פפפ, aliquando per ססס, non nunquam etiam per ipsam vocem פרשה denotantur, relinquunt spatium trium regularum, seu linearum. Sectio media dicitur פתוחה, h. e. *aperta*, et denotatur littera simplici פ. Sectio minor appellatur סתומה, *clausula*, et signatur littera simplici ס. Verosimile ait esse RICH. SIMONIVS, *in Hist. Crit. V. T. L. I, c. 23*, ab initio non nisi *apertam sectionem* vocatam esse, quoties, spatio inani relicto, a linea noua scribi coeptum sit; contra *sectionem clausam*, quoties spatio quodam relicto in eadem linea scriptio fuerit continuata. De quibus Sectionibus mediis atque minoribus ELIAS LEVITA, *in fragmentis tabularum*, interprete BVXTORFIO, ita scripsit: *Periodus, vel sectio aperta, duas habet formas: Prima est, quae in mediam lineam incidit, et constituit spatium plus minus nouem litterarum. Secunda est, quando in finem lineae incidit; tunc relinquitur spatium totius lineae, et noua sectio incipit a linea tertia. Sectio clausa est, quae relinquit spatium in media linea quasi trium litterarum, et postea lineam istam finit. Quando autem praecedens sectio absoluit lineam; tunc sequens sectio inchoatur circa medium lineae secundae.* Recte autem censet Cl. LEVSDENIVS, *Pentateuchum* olim caruisse distinctione capitum; ideo a Iudaeis, qui eum aliquo modo distinguere voluerint, excogitatam esse hanc Sectionum diuisionem: in hodiernis vero Iudaeorum MSCtis *Pentateuchis* nullas litteras ס aut פ, siue simplices, siue ternas exprimi; saltem diuersa spatiola obseruari. Longe plura de his spatiis, atque de distinctione Legis totiusque Scripturae Sacrae, congeri potuissent; sed cum haec alio spectent, nolumus his diutius immorari; neque de illa quorundam sententia hic plura dicemus, primis temporibus totam legem omni distinctionis nota caruisse ac vnum velut פסוק siue versum fuisse. Cui argumento illustrando non pauca suppeditant HOTTINGERVS, *in Thesauro Philol. L. I, c. 2, sect. V.* IOSEPHVS VOISIN, *in obseruationibus*

tionibus ad prooemium Pugionis fidei Raymundi, *p.* 97. IO. LEVSDENIVS, *in Philologo Hebraico*, *Differt. IV.* RICH. SIMONIVS, *in Histor. Crit. V. T. L. I*, *c.* 22. Ceterum, neque illud prorſus praetereundum eſt, quod iam ſupra, *n. XII*, innui, ex Iudaeorum traditione, legem diuinam in vna tantum voluminis parte, eaque, quae Lectoribus aduerſa eſt, ſcribi oportere; non vero ſimul in auerſa parte, ſiue tergo voluminis. Neque tamen alias inſolens fuit, antiquis Iudaeis, aliquando in vtraque parte voluminum ſcribere. Sic legimus in *Ezechiele*, *c. II*, *v.* 9: *Ecce manus miſſa ad me*, in qua erat מגלת־ספר (h. e. *volumen*, *ſiue inuolutus liber*,) *et expandit illum coram me*, *qui erat ſcriptus* פנים ואחור *intus et foris* h. e. ex vtraque parte, interna et externa. Haud ſecus *Apocalypſ. V*, *v* 1, dicitur βιβλίον γεγραμμένον ἔσωθεν καὶ ὄπισθεν, i. e. *Liber ſcriptus intus et in tergo.* Huiusmodi libri Graecis dicebantur ὀπισθόγραφα, de quibus iam *Diſput II*, *n. XIII*, egimus. Quia vero talia *Opiſthographa* plerumque habebantur pro ſcriptis longis; hinc bene GROTIVS ad locum ex *Ezechiele* modo citatum: *Prophetia erit longa*, *longam ſeriem continens malorum.*

XIIII. Quemadmodum vero Graeci Romanique veteres certas habuerunt notas, quas indicandi initii vel finis cauſſa libris aliquando appinxere, prout *in Diſputatione II*, indicauimus, cum de *Coronide*, *Menide*, et antiqua formula: *Liber explicit*, ageremus: ita nec Iudaeis ſuae defuerunt NOTAE, QVAS LIBRIS VEL PRAEFIXERVNT, VEL IN FINE ADIECERVNT. Inſtitutnm noſtrum minus permittit, vt omnes illas notas Maſorethicas hoc loco in medium proferamus; aut multis commemoremus, quemadmodum in clauſula quorundam librorum penultimi verſus fine punctis repetiti inueniantur, aut quemadmodum in fine Librorum *Exodi*, *Leuitici*, *Numerorum*, *Deuteronomii*, et *Ezechielis*, adiici ſoleat vox חזק, *eſto fortis*, qua Lectorum animi ad ſequentes libros impigre legendos excitentur; ſed illud ſaltem in praeſens animaduertendum ducimus, Iudaeis id maxime cum antiquis Graecis commune fuiſſe, vt, ſicut hi in fine στίχους ſuos, ita illi in fine omnium librorum numerum verſuum, et in fine *Pentateuchi* etiam numerum Sectionum indicarint, nullam aliam ob cauſſam, quam vt eo integrior codex diuinus ad poſteros propagaretur. Pertinet huc etiam illud, quod HIERONYMVS, *Epiſt CXXXVIII ad Marcellam* ſcripſit: *Scire debemus*, *apud Hebraeos in fine librorum vnum e tribus ſolere ſubnecti*, *vt aut Amen ſcribant*, *aut Sela*, *aut Salem*; *vt ſolemus nos completis*

tis opuſculis, ad diſtinctionem rei alterius ſequentis, medium interponere: Explicit, *aut* Feliciter, *aut aliquid iſtiusmodi.* Vti autem in antiquis Codicibus Graecis et Latinis rariſſime annotatur nomen auctoris, aut librarii, aut temporis, quo illi ſint exarati; ita idem accidit etiam vetuſtis MSCtis voluminibus Hebraeorum. Vnde Celeb. IABLONSKI *in laudata Praefatione*, §. *XXXV*, aſſerere nihil dubitauit, inſcriptiones temporis, quae verae ſint, eſſe recentes; quae vetuſtae, eas eſſe ſuppoſititias. Atque hic vir doctiſſimus ex nonnullis argumentis aut coniecturis concludit, conſuetudinem annum ſcriptionis Libris inſerendi apud Iudaeos initio Seculi XIII haud multo antiquiorem eſſe. Deprehendimus tamen, in illo codice REVCHLINI, cuius ſupra, *num. XI*, meminimus, iam anno MCV tempus ſcriptionis annotatum eſſe. Dum vero Scribae pariter ac *Punctatores* aliquando nomina ſua prodiderunt; alia ſaepe verba ac vota ſimul adiecerunt. Ita enim in clauſula primi Reuchliniani codicis, de quo itidem ſupra mentionem fecimus, referente Cl. MAIO, *in vita Reuchlini p. 530*, ſequentia leguntur, quae Latine reddita huc tranſcribere licebit: *Macte animo! Scriba nullo afficiatur damno, neque nunc, neque in ſeculum, donec aſinus per Scalam aſcendat. Ego Iehuda, Filius Salomonis, exaraui hunc S. Codicem, atque eo nomine debitas perſoluo laudes DEO, qui in luce habitat. Scripſi autem illum in vſus A-Ben Meir, quem velit ſinatque DEVS tranſire hereditate ad filios atque poſteros ipſius, ad finem vsque omnium generationum. Amen, Amen, Amen. Sela.* Nec diſſimilis eſt ſequens ſubſcriptio, quam in I. Codice MSCto Erfurtenſi inueniri et a diſpunctore adiectam eſſe teſtatur Celeb. MICHAELIS: *Hunc librum abſolui, punctis inſtruxi, etiam Maſoram adieci, die quinto ſectionis legis, per auxilium Domini Dei; viceſimo quarto die menſis Veadar, per auxilium terribilis et glorioſi, anno CIII ſecundum computum minorem liber hic exaratus fuit pro heredibus clariſſimi R. Schallum, ſecundum bene placitum Principis pacis, DEI noſtri, viui et aeterni; vt ſit in manu illorum perpetuus, et pro filiis ipſorum, poſt eos in generationes generationum illorum,* יצב *ſtabilis maneat ipſis in aeternum, donec adſcendat aſinus in ſcala quatuor pedibus, non autem duabus manibus. Amen. Amen. Amen. Sela.* Si quis alias ſubſcriptiones ludicras noſſe velit, quae a *Monachis* quondam fini Codicum MSCtorum Latinorum ſaepiſſime fuerint adiectae, ei adire licet Catalogum MSCtorum Bibliothecae

Lipſienſis

Lipſienſis Paullinae a B. FELLERO antehac euulgatum. De Graecis vero ſubſcriptionibus, MONTEFALCONII, viri celeberrimi, *Palaeographia Graeca* conſulenda eſt.

XV. Sed cum non facile tam longa membrana vna reperiatur, cui tota Lex diuina commode poſſit inſcribi; hinc neceſſe eſt, VT PLVRES INTER SE MEMBRANAE CONNECTANTVR. Itaque ſchedulas illas membraneas non quidem glutine aut ſericis aliisue filis, ſed ſolis neruis animalium mundorum, quorum nimirum cutis ad diuinam Legem ſcribendam idonea habetur, conſuunt; quos neruos a foeminis Iudaeis parari contorquerique decet. Imo, in compingendis *phylacteriis* ſi non ad manum ſunt huiusmodi nerui, molles ac tenues corrigias, ſeu ligamenta ex membranis vitulinis reſecta, vſurpant. Vtrum vero iisdem etiam in membranis Legis diuinae conſuendis vti liceat, haud deprehendimus. Sic vero conſuunt membranas, vt tam in ſuperiori, quam inferiori extremitate, aliquid ſpatii, quod non ſit conſutum, relinquant, ne membranae nimis adſtrictae adeo facile diſrumpantur. Denique in conſuendis membranis dant operam, ne nerui, quibus eaedem coniunguntur, in parte voluminis aduerſa, ſed auerſa, nectantur; quia ſutura iſta, cuius nodi non intus conſpiciuntur, ſed qua tota membranarum compages inſtar vnius membranae comparet, elegantior exiſtimatur; cum inprimis ipſa ſcriptura ſic eo minus laedatur, aut deformetur. Quanquam alii cenſent, etiam licere duas membranas ſibi inuicem imponere, atque ita eas duplicatas conſuere, quo intus non minus, quam extra, ſutura appareat. Imo, tam neceſſario membranas conſuendas eſſe opinantur, vt, ſi vel vnica membrana aſſuenda reſtet, volumen ad publicam lectionem ineptum iudicetur. Qua de re adeundus eſt SCHICKARDVS *de Iure Regio Hebraeorum*; *c.* 2, et CARPZOVIVS, in animaduerſionibus adiectis. Hinc haud aegre fides adhibenda eſt BVXTORFIO, *in Synagoga Iudaica c. XIIII*, referenti, eiusmodi volumen conſutum, vti in latitudine ſeſquiulnam, ita in longitudine vlnas quinquaginta, habere poſſe. Quis ergo non miretur vanam illam ac plane audacem coniecturam RICH. SIMONII, qui nulla plane ratione nixus *in Hiſt. Crit. V. T. Lib. I, c. 1*, aſſerere nihil dubitauit, Hebraica *Apographa* paruis olim voluminibus aut membranis, quarum vnaquaeque volumen fecerit, ſibi mutuo impoſitis, conſtitiſſe, atque inde forte contigiſſe, vt, ordine voluminum perturbato, ipſe quoque rerum ordo fuerit perturbatus. Certe,

quis

quis veteres Scriptores, et maxime ſacros, tam negligentes ſeruandi ordinis fuiſſe credat? Quis dubitet, iam antiquiſſimis temporibus, vel ipſo neceſſario vſu iubente, modum conſuendarum membranarum cognitum fuiſſe, quamuis non tam ſcrupuloſum atque ſuperſtitioſum, quem ſequentes Iudaei excogitarunt? Annon id ſatis magnum volumen fuit, quod iam tum diuino Vati, Zachariae, oſtendebatur, latitudine decem, et longitudine viginti vlnas excurrens? *Zach. V*, 2.

XVI. Progredimur nunc ad ea, quae magis ad externam Voluminum ſtructuram atque ornatum ſpectant. Nimirum, poſtquam membranas dicto modo conſuerunt, iis ab vtraque extremitate DVO TORNATA LIGNA, quae Romanorum more *vmbilicos* queas dicere, aptant neruisque alligant, vt non ſolum membranae circa illos cylindros voluantur, ſed vt ipſum etiam volumen, quod manibus contrectare nefas habetur, eo commodius tollere et ferre poſſint. Hos vmbilicos, vocant עץ חיים, *Lignum vitae;* atque vti eosdem aureis argenteisque laminis, ornatus cauſſa, aliquando obducunt, ita illis maxime commoda MANVBRIA addunt, itemque poma argentea, vel aurea, quae MAIMONIDES dixit רמונים, *malogranata. Vid.* CAMPEGIVS VITRINGA, *in Synagoga veteri*, *Lib. I*, *c. 10.* Qualia manubria, *Fig. 2 Tabul. Diſput. II*, exprimi curauimus. Megillae vero, ſiue libello Eſtheris, (cuius formam *Diſput. II*, *fig. 2*, exhibuimus) plerumque vnicus tantum bacillus, ſiue vmbilicus, annecti ſolet. Porro, volumen huiusmodi ſacrum inuoluitur certis FASCIIS, quae, referente BVXTORFIO, quatuor aut quinque vlnas longae, et palmum latae, eſſe ſolent. Quae faſciae cum donentur a pueruIis ſemeſtribus, quando primum in Synagogam deferuntur; hinc fit, vt in illis tum aliae figurae, tum inprimis infantis, eiusque parentis nomen et aetas, pulchre acu depicta conſpiciantur. Et quidni reliqua etiam externa ſacri voluminis ornamenta ipſius BVXTORFII verbis, ex *Synag. Iudaic. c. XIIII* deſcribam? *Vbi liber legis*, inquit, *faſciis eſt inuolutus*, *certum deinde habent* PALLIOLVM, (*quod* מפה *vocant*) *interdum bombycinum*, *vel heteromallum*, *interdum Attalicum*, *quo librum legis obducunt. Ab hoc palliolo*, *de catenula argentea*, *dependet* LAMINA ARGENTEA *ſatis magna*, *plures adhuc lamellas in ſe continens*, *quae a maiore eximi et ſeparari poſſunt. In minoribus lamellis ſculpta ſunt nomina feſtorum*, *et dierum*, *quibus liber Legis eſt vſurpandus; maiori vero laminae inſcriptum:* כתר תורה, *Corona Legis*,

Legis, *vel* קדש ליהוה, *Sanctitas Domini.* Imo ab huiusmodi Libro legis, qui in Synagogis vſurpatur, dependet quoque STYLVS ſiue index, aliquando argento et auro aut etiam adamante inſignis, atque ſaepius manum paruam repraeſentans: quo ſtylo ad legendum demonſtrandumque vti ſolent.

XVII. Adhaec Iudaei, qui tanto ſtudio ſcribi pararique volunt volumina Legis, non poſſunt non magna cura eadem recondere. Hinc in *Synagogis* habent ARCAM, in qua iſta volumina reponunt; et, ſi qua *Synagoga* arca deſtituatur, eadem aliunde inferenda ducunt, ne coetus neceſſe habeat egredi Synagogam. Huiusmodi arcae non ſolum intus pulcherrimo velo, ſed etiam exterius nonnunquam appictis in arcae ianua dictis Scripturae ſacrae, ornari ſolent. Atque in velo quidem vt plurimum aues acu pingi ait BVXTORFIVS; quandoquidem Iudaei ſibi perſuaſum habeant, in arca Foederis V. T. aues quoque depictas fuiſſe. Teſtatur LEVSDENIVS, *Diſſert. XXXIIII in Philol. Hebr.* Amſtelodami in Synagoga Iudaeorum tam amplam inueniri arcam, vt ſexaginta aut plura ibi volumina aſſeruentur. Talem arcam, quam ארון vocant, in eo loco collocant figuntque, vt Synagogam ingreſſi coram illa poſſint genua flectere; vt quae in eo latere eſſe debet, verſus quod precantur. In hac arca non ſolum ipſa volumina Legis, ſed tabulam etiam, ſiue pluteum, ſuper quem Libros legis collocant, aliaque ipſorum ornamenta, recondunt. Et, ſicuti haud ambigi ſolet, etiam olim in veteri Templo in arca Foederis *Decalogum*, compendium illud praeceptorum diuinorum, repoſitum fuiſſe; ita dubitant nonnulli, quo in loco ceteri libri, qui pleniorem voluntatis diuinae interpretationem complectuntur, tunc fuerint repoſiti. Sunt, qui in atrio templi; ſunt, qui in ſcriniolo Arcae Foederis inſtar appendicis adiecto, reliqua ſcripta ſacra recondita fuiſſe affirment. Nos illam controuerſiam noſtram non facimus, ſed B. Lectorem potius ad BVXTORFIVM, *in Hiſtoria Arcae Foederis*, *c. V.* ad COMPEGII VITRINGAE *Librum I*, *c. VIII*, *de Synagoga Iudaica*, ad HADR. RELANDI *Antiquitates Hebr. P. I*, *c. V*, *n. XXVI*, et ad D. IO. HENR. MAII Diſſertationem Selectiorem II *de libris Canonicis in Arca Foederis reconditis*, in praeſenti remittimus. Illud fortaſſe adhuc monendum, iuberi Iudaeos identidem euoluere volumina, vt aere ventilentur, ne, ſi diu conuoluta et recondita lateant, a putredine corrumpantur.

Qua de re videndus R. DE BARTENORA, loco supra *n. II.* excitato.

XVIII. Si cetera omnia superstitionum genera Iudaeis hac in re solennia commemorare velimus, futurum esset, vt et tempus et charta nos deficeret. Quapropter non nisi generatim ritus quosdam tum in parandis, tum in legendis voluminibus sacris, tum denique in iis abolendis, a Iudaeis obseruari solitos, paucis complectemur. Primum quidem, quod ad paranda atque construenda VOLVMINA SACRA attinet, quamuis pleraque, quae huc spectant, hactenus annotauerimus; placet tamen cumprimis viginti illas conditiones, quas eruditi passim ex MAIMONIDE repetunt, et, quibus neglectis, volumina sacro vsu indigna existimantur, velut in summario hic recensere: quamuis in eo minus dissentiamus a RICH. SIMONIO, *in Hist. Crit. V. T. L. I, c. 23*, negante, has leges tam antiquas esse, prout tradunt ipsi Iudaei. Nimirum volumen profanum habetur, *I. quod scribitur in pelle animalis immundi; II. quod scribitur in pelle animalis mundi non rite praeparata; III. quod scribitur in pelle non praeparata hoc nomine, vt inscriptioni libri legis sit inseruitura; IIII. quod scribitur ea parte, qua pellis scribi non debet; V. quod scribitur partim in membrana, partim in pergameno; VI. quod scribitur in corio, aut δυξέςω; VII. quod scribitur sine regula et amussi; VIII. quod non scribitur atramento perenni; VIIII. quod scribitur aliis linguis; X. quod scribitur ab Epicureo, aut similibus profanis; XI. in quo diuina nomina sine intentione scribantur; XII. si vel vna littera desit; XIII. si vel vna littera redundet; XIIII. si littera litterae adhaereat; XV. si longius littera a littera seiungatur, ita vt vox duplex esse videatur; XVI. vel si nimis prope admoueatur, ita vt duae voces tanquam vna appareant; XVII. si forma sectionum mutetur; XVIII. si forma Carminum mutetur; XVIIII. si reliqua scriptura instar carminis scribatur; XX. si schedae absque neruis animalis mundi consuantur.* Sed ad parandum volumen sacrum, idque legitimum, requirebatur etiam, vt ex sacratissimo volumine, quod a Leuitis in *Sanctuario* asseruabatur, diligentissime describeretur, et intra proximos dies XXX eiusdem ope examinaretur atque emendaretur, ea quidem ratione, vt, si qua pagina tria tantum errata contineret, emendatione digna haberetur; sin plura, reiiceretur. Deinde, quod ad ritum lectionis legis Mosaicae attinet, eundem luculenter descripsit BVX-

TORFIVS

TORFIVS, *l. c.* atque in hoc tria maxime officia obseruari solere indicauit: nempe 1. גלילה *munus euoluendi et conuoluendi.* 2. עץ חיים, *munus ligni vitae apprehendendi et tenendi;* 3. הגבהה, *munus voluminis tollendi et circumferendi. Haec munera auctione vendunt. Aedituus circuit suggestum et alta voce proclamat: Quis vult emere* גלילה*? Quis vult emere* עץ חיים, *lignum vitae? Quis* הגבהה, *eleuationem? Praecipuum ex his est munus* גלילה, *replicationis et complicationis, et carius ceteris venditur. Qui plus obtulerit, ea obtinet; et pecunia cedit in vsum pauperum, et Ecclesiae ac scholarum conseruationem. Emenda ea dicunt* בדמים, *pretio caro,* לחבב המצוה *propter amorem et honorem praecepti.* Taceo alios ritus, quos idem ibi recenset, quosque copiosissime exposuit Cl. CAMPEGIVS VITRINGA, *de Synagoga vetere, L. III, c. 7, et sequentibus.* Postremo obiter etiam obseruandum est, quid cum voluminibus reprobatis, vel nimio vsu attritis, faciant Iudaei. Scilicet, aut paruulos ex illis instituunt; aut eadem vasi testaceo includunt, et cum hominibus probis sepeliunt, quod גניזה, *occultationem* vocant; (sicut et attritis voluminum inuolucris mortuos inuoluunt) aut denique, si ab *Haeretico* conscripta nouerint, eadem comburunt. Quae SCHICKARDVS *de Iure Regio Hebr. c. II,* pluribus exposuit.

XVIIII. Quae restant capita, alii occasioni vberius deducenda reseruamus. Interim id in praesenti saltem monemus, aegre demonstrari posse, quo maxime tempore vsurpari coeperint CODICES more nostrae aetatis foliis in formam quadratam dissectis compacti. Equidem, haud dubium est, iam vetustissimis temporibus tabularum vsum in gente Hebraeorum innotuisse. Haud vacat iam de duabus tabulis *Decalogi* multa afferre, quas alii sapphirinas, alii marmoreas, alii ligneas, fuisse opinantur. Nec agemus nunc de loco illo Esaiano, c. XXX, 8: *Scribe super tabulam, et in libro exara illud, et erit in die nouissimo in testimonium, vsque in aeternum.* In quibus verbis, pro eo, quod Hebraice dicitur: על לוח אתם, septuaginta Interpretes transtulerunt ἐπὶ πυξίῳ, i. e. *in buxo;* quasi tabulae scriptoriae tunc fuerint e buxo confectae. Vbi HIERONYMVS statuit, DEVM praecepisse Prophetae, vt scriberet in tabulis, et his quidem potissimum buxeis: quod buxus sit arbor perpetua coma virens, cuius lignum ob firmissimam soliditatem putredini fere non sit obnoxium:

xium; vt in his ſempiterno tempore extarent diuinae praedictiones, quibus DEVS perpetuum et irreparabile excidium comminatus eſt Iudaeis ingratis. Sed neque licet nobis, quod inſtitueramus, iam excurrere ad deſcribendos *Hebraeorum pugillares*, quos verbo a πινακὶς corrupto פנקסאות *Rabbini* appellant. Cuiusmodi πινακίδιον Zacharias *Luc. I, v. 63*, vſurpaſſe legitur: de quo πινακιδίῳ *Zachariae* peculiaris Diſſertatio FRANC. BERINGII, in *Theſauro Theologico-philologico N. T.* extat. Nec adeo dicemus nunc de *aurea illa tabula, quam Helena*, Regina, in Templum intulerat, in qua lingua ſancta deſcripta erant verba illa, quibus adiurarunt vxorem adulterii ſuſpectam. De qua Helenae tabula plura tradunt B. WAGENSEILIVS, in *Sota*, c. II, p. 362. et ANDR. ACOLVTHVS, de *Aqua amara*, c. III, n. LXVIII. Id ὡς ἐν παρόδῳ monuiſſe ſufficiat, ex doctrina Magiſtrorum nonnullorum, haud licere aliquam Scripturae S. ſectionem ex ordine ſecundum latitudinem, hoc eſt, a dextra ſiniſtrorſum in vna linea, ſcribere; id quod librorum et ſchedarum ſacrarum vnice proprium habeatur: ſed in tabula, aut pugillaribus, ſi quod exprimendum DEI dictum fuerit, vnam vocem ſuper alteram, aut duas voces ſuper duas, deorſum exarari debere, vt per longitudinem vna columna perficiatur, et altera incipiat. Ceterum, ſi cui noſſe lubet *compacturam* codicum huiusmodi ſat antiquorum, ille adeat praeter alios Cl. TENZELII *Colloquia menſtrua, Menſe Decembri, A. C.* cIↃIↃCXCII, itemque Cl. MICHAELIS *Diſſertationem aliquoties a nobis laudatam*, §. IIII, vbi ait, Codicem quendam Erfurtenſem, eumque maximum, qui elegantiſſime ſcriptus ſit in regio, vt vocant, membranae folio, compactum eſſe craſſibus aſſeribus corio obductis, et vndique bullis ac laminis ferreis munitum, ſingulasque eius paginas vbique fere in tres columnas eſſe diſtinctas.

XX. Quod ad LIBRARIOS Iudaeorum attinet, id in praeſens duntaxat notamus, diſtinctos eſſe סופרים, *ſcribas*, a נקדנים, *Punctatoribus*. Qui libros deſcribunt ſine punctis et accentibus, appellantur *Scribae*; qui deinde adiiciunt accentus et puncta, dicuntur *Punctatores*; qui vtrumque praeſtant, vtroque titulo inſigniuntur. Denique etiam מפסיקים addi poſſunt, ſeu *accentuum auctores*, qui punctatis interdum, ſed rarius, Codicibus ſolos accentus leguntur adieciſſe: ita, vt tertia aliquando manus

manus vni codici manu exarato accesserit. De quibus plura tradunt summe Reuer. IABLONSKI, *in praefatione Bibliis Hebraicis praemissa, §. 36.* et V. Cl. MICHAELIS, *in Dissertatione de MSCtis Biblicis Erfurtensibus; §. IX.*

XXI. Satis, puto, ex superioribus intelligitur, quis et quam antiquus vsus fuerit VOLVMINVM in gente Hebraea. Quis igitur sibi non persuasum habeat, ab aliis quoque Gentibus in Oriente huius formae libros vsurpatos esse? Certe, praeter alios, SCHICKARDVS, in *Prooemio* Libri *de Serie Regum Persiae*, meminit istiusmodi vetusti VOLVMINIS MSCti, cuius descriptionem, quam Lectori harum rerum curioso non iniucundam fore arbitramur, ex ipso SCHICKARDO eo lubentius huc transferimus, quo magis hinc de forma et conditione aliorum etiam talium voluminum iudicari potest. *Scriptum est*, inquit, *hoc volumen in charta Turcica, multo, quam nostra, densiori et summe laeuigata, pedes XXXXV Wirtemb. longa, lata circiter vnum; quae in marginibus per totam longitudinem firmitatis ergo duplicatur, et superinducta papyro subflaui coloris ad oram fimbriatur quasi, sine tamen incisuris. Ceterum non est complicatus liber, sed in orbem vel cylindrum potius, more spirarum circumuolutus, vt solent orientales populi ab antiquo facere. Vnde vltro intelligitur, non esse Opisthographum, sed tantum altrinsecus inscriptum. Adhibuit Scriba praeter nigrum, etiam alios colores, non tam ornatus caussa, quam discretionis. Lineas quidem, et circulos omnes rubrica pinxit, personas vero varie: scilicet minores dominos atramento; eminentiores viros, colore rutilo notauit; eminentissimos, vt Christum nostrum, aut Mahumedum suum, viridi; qui censetur omnium praestantissimus apud hanc gentem in colorum varietate maxime luxuriantem. -- Ceterum hoc volumen non pictura tantum, sed et litteris more Turcico est adornatum.* Pertinet etiam huc volumen illud Aegyptiacum, quod ex oriente impetratum possedit NICOLAVS PEIRESKIVS, Senator Aquisextiensis Nam sic *L. V. de vita illius* scribit GASSENDVS: *Inter ceteros libros, vt minimum mole, ita pretio maximum, habuit quoddam volumen, quod ita dici a voluendo reuera potuit, repertum inter capsulam ad Mumiae cuiusdam pedes. Id vniuerse conscriptum erat hieroglyphicis litteris, constans ex germano papyro, ac facile sua vetustate superans bis millia annorum.* Voluminis parui Indiani, quod foliis arborum inscriptum, in

in Helmstadiensi Bibliotheca asseruatur, meminit TENZELIVS, *in Colloquiis Menstruis, A. 1692, mense Decembri.* Alia plura huiusmodi antiquitatis aliarumque gentium monimenta breuitatis caussa iam silentio praeterimus.

XXII. Haec sunt illa, quae de VOLVMINIBVS IVDAICIS in praesenti festinante labore colligere libuit; partim vt promissis satisfaciamus, atque ostendamus, quemadmodum horum forma cum antiquis Graecorum Romanorumque voluminibus conueniat; partim vt aliis, qui melioribus instructi sunt praesidiis, occasionem praebeamus hoc ipsum argumentum accuratius deducendi: quo tandem, quod hucusque in dignoscenda aetate Latinorum Graecorumque Codicum MSCtorum satis feliciter cessit, etiam dignoscendorum Hebraicorum Librorum ratio ad certa praecepta forsasse reduci possit.

EXPLICIT. DISPVT. III DE ORNAM. LIBROR. VET.

Ε Λ Ε Ν Χ Ο Σ

DISPVTATIONIS IIII

DE ORNAMENTIS LIBRORVM VETERVM,

SPECIATIM

DE CODICIBVS, SEV LIBRIS QVADRATIS.

SVMMARIVM.

I. *Prooemium.*

II. *De nomine codicum.*

III. *De aliis nominibus librorum quadratorum.*

IIII. *De varia materia codicum, et speciatim de codicibus membranaceis.*

V. *De codicibus rarius vsitatis, ac sigillatim de aereis et plumbeis libris.*

VI. *De eboreis, ligneis, ceratisque codicibus.*

VII. *De codicibus ex charta Aegyptiaca.*

VIII. *De codicibus ex charta corticea.*

VIIII. *De codicibus ex charta bombycina.*

X. *De codicibus ex recentiori lintea charta.*

XI. *De codicibus, qui ex membranis et chartis simul permistis compositi fuerunt.*

XII. *De codicum singulis tabulis, siue foliis, itemque de eorum paginis, barumque numerandarum ratione.*

XIII. *De duerniobus, ternionibus, et quaternionibus, codicum.*

XIIII. *De ratione scribendi in codicibus: vbi et de columnis paginarum.*

XV. *De magnitudine codicum veterum, eorumque quadrata figura.*

XVI. *De construendorum compingendorumque veterum codicum ratione.*

XVII. *De externis tabellis et integumentis veterum codicum, eorumque vario ornatu.*

XVIII. *De lamellis, loris et offendicibus codicum.*

XVIIII. *De frontibus et titulis codicum.*

XX. *De tempore, quo maxime in vsu fuerint codices?*

XXI. *De libellis plicatilibus.*

I. For-

Q. D. B. V.

I.

Formas librorum tres potiſſimum veteribus vſitatas fuiſſe, deprehendimus. Alii enim proprie dicebantur VOLVMINA; alii, CODICES; alii, LIBRI PLICATILES. Voluminum rationem iam alibi, in *altera Diſputatione de ornamentis librorum veterum*, expoſuimus; copioſeque oſtendimus, tum papyraceos, cum membranaceos libros, tunc velut in cylindri formam, et fere ad modum chartarum noſtrarum Geographicarum, conuolutos, ac, paginis ad paginas agglutinatis, in longam ſaepe ſeriem extenſos fuiſſe; hisque in extrema ora, vmbilicum, ſeu paruum bacillum, ad menſuram latitudinis, qua liber praeciſus erat, plerumque addi conſueuiſſe, eiusque bacilli capita, volumine conuoluto, ceu *cornua*, hinc et inde prominuiſſe. Cum iſtis vero Graecorum Romanorumque voluminibus quomodo IVDAEORVM VOLVMINA conuenerint, in *tertia Diſputatione* tradidimus. Sequitur, vt de CODICIBVS, qui quadrata fuere forma, in *praeſenti Diſputatione* potiſſimum agamus.

II. Quemadmodum vero haud ambiguum eſt, vetuſtiſſimos homines primum non niſi rudioribus et ſimplicibus tabulis vſos eſſe, in quibus aliquid perſcriberent; ita fieri facile potuit, vt deinceps iſtiusmodi tabulae, pro argumenti ratione, multiplicarentur, et vel pauciores, vel plures, inter ſeſe coniungerentur, ac ſenſim magis magisque ornarentur. Quodſi paucioribus minoribusque τετραδίοις, ſeu *tabellis*, libri continebantur; audierunt CODICILLI et PVGILLARES; Graece, πινακίδια, δελτάρια, πτυκτία, γραμματίδια, et ſic porro: quorum formam atque vſum ſuo tempore ex inſtituto deſcribemus. Sin plures, eaeque paullo maiores tabulae coniungerentur, vt maiora inde exiſterent corpora eiusdem formae, quae hodie noſtrorum librorum eſſe ſolet; CODICES praecipue dicebantur. Tabulae enim, aliae ſuper alias ſtructae compactaeque, vocabantur *codices et tabellae*, vt a *voluminibus* diſtinguerentur; qua ratione, praeter alios, ſic luculenter codices a voluminibus diſtinxit VLPIANVS, loco paullo poſt, *n. IV*, citando. CODEX veteribus proprie eſt plurium tabellarum contextus: quod teſtatur SENECA, vbi *L. de Breuitate vitae, c. XIII.* ita ſcribit: *Plurium tabularum contextus* CAVDEX *apud antiquos dicitur; vnde publicae tabulae* CODICES *dicuntur: et naues nunc quoque,*

que, quae ex antiqua consuetudine per Tiberim commeatus subuehunt, caudicariae vocantur. Eodem fere modo hoc nomen explicat ISIDORVS HISPALENSIS, *Orig. L. VI, c. 13. Codex,* inquit, *multorum librorum est.* (Voluit quasi dicere: codex multorum corticum, seu multarum tabellarnm est.) *Et dicitur codex, per translationem a corticibus arborum, seu vitium, quasi caudex: quod in se multitudinem librorum, quasi ramorum, contineat.* Et paullo post idem ISIDORVS scribit: *Liber est interior tunica corticis, quae ligno cohaeret, in qua antiqui scribebant.* Quam notionem ipse CICERO, *L. II de Natur. Deorum,* voci *libri* subiicit, *Obducuntur,* inquit, *libro aut cortice trunci, quo sint a frigoribus et caloribus tutiores.* Quamuis vero deinceps a consuetudine codices ex cortice et ligno arborum conficiendi recessissent; vetus tamen appellatio maxime apud scriptores aurei et argentei aeui remansit in iis maxime libris, qui ex quacunque materia compositi quadrangulam formam referebant. Alias constat, in Iure consultorum scholis, Iustinianeum constitutionum Imperatoriarum librum κατ' ἐξοχὴν *Codicem* appellari.

III. Huiusmodi codicem, seu plurium tabellarum contextum, significantius appellauit MARTIALIS *massam, quae tabella multiplici structa est. Libro* enim *XIV, Epigr. 192,* scribit:

Haec tibi multiplici quae structa est massa tabella,
Carmina Nasonis quinque decemque gerit.

Multiplicem pellem poetice codicem dixit idem Poeta, *L. XIV, Epigr. 184.*

Ilias et Priami regnis inimicus Vlysses,
Multiplici *pariter condita* pelle *latent.*

Frequentius *membranarum* nomine a veteribus intelligebantur libri forma quadrangula constructi. Sic IVVENALIS, *Satyr. VII, v. 23,* in sequentibus verbis *codicem membranaceum* intellexit:

Si qua aliunde putas rerum spectanda tuarum
Praesidia, atque ideo croceae membrana tabellae
Impletur; cetera.

Hinc et in lemmatibus Epigrammatum quorundam MARTIALIS, *L. XIV,* v. g. *Ouidius in membranis; Homerus in membranis; Cicero et Liuius in membranis,* accipiendi omnino sunt de membranaceis illorum scriptorum codicibus. Quod et animaduertit SALMASIVS, *L. de modo vsurarum, p. 409.* Itaque existimem, μεμ-

βράνας haud incommode posse exponi *codices membraneos formae quadrangulae*, vbi Paullus, in *Epistola II ad Timotheum, c. IIII, v. 13*, iussit sibi afferri τὸν φαιλόνην, καὶ τὰ βιβλία, μάλιστα μεμβράνας. Equidem non nescio, alias, diuersasque, vel ex ipsis Patribus diuis, afferri huius loci interpretationes, ita, vt per φαιλόνην intelligant *pallium*, aut certe quoddam vestimenti genus; ac per *membranas*, Iudaeorum ספר תורה seu *volumen legis*; et denique per τὰ βιβλία aliud genus librorum: dum praeter alios THEODORETVS ad istum Paulli locum de *membranis* ita scribit: Μεμβράνας τὰ εἰλητὰ κέκληκεν· οὕτω γὰρ Ῥωμαῖοι καλοῦσι τὰ δέρματα· ἐν εἰλητοῖς δὲ εἶχον πάλαι τὰς θείας γραφάς. οὕτω δὲ καὶ μέχρι τοῦ παρόντος ἔχουσιν οἱ Ἰουδαῖοι. h. e. *Membranas vocauit volumina: Sic enim pelles appellabant Romani. Diuinas autem scripturas olim habebant in voluminibus; atque ita etiam in praesentem diem habent Iudaei.* vid. SVICERI *Thesaurus Eccles. P. II, p. 341.* Eandem THEODORETI interpretationem sequitur OECVMENIVS, additque; βιβλία vocari eos libros, qui fortasse fuerint ἐν ἑτέρῳ σχήματι, *alius formae, quam istae membranae.* At enimuero, quia non solum iam CHRYSOSTOMVS animaduertit, alios per φαιλόνην (vel φελόνην) ibi intelligere τὸ γλωσσόκομον, ἔνθα τὰ βιβλία ἔκειτο, *thecam, in qua libri erant repositi*; sed etiam OECVMENIVS indicat, alios per φαιλόνην intelligere εἶδος βιβλίου, *genus libri*; adhaec quia HESYCHIVS, SVIDAS, et *auctor Etymologici magni*, docent, φαιλόνην etiam dici εἰλητάριον μεμβράϊνον, ἢ γλωσσόκομον, ἢ χιτώνιον, *volumen membranarum, capsulam siue inuolucrum, vel tuniculam:* nescio, cur non satis opportune per φαιλόνην hic intelligere possimus *volumen quoddam grandius, inuolucro suo circumdatum, cui fortasse Iudaeorum more lex diuina fuerit inscripta.* Huc enim et illud accedit, quod etiam Syrus interpres, et Arabs Erpenianus, φαιλόνην Paulli per thecam, vel vas et domum librorum, reddidere. Βιβλία vero exponerem de voluminibus, iisque papyraceis, ad morem Graecorum Romanorumque compositis; vtpote cum, docente SALMASIO; *L. de modo vsur. p. 413*, Graecorum βιβλία, et Romanorum *Libri*, proprie et κατ' ἐξοχὴν huius generis chartacea volumina notarint. Per μεμβράνας vero intelligerem *codices membranaceos quadratae formae*; in quibus non quidem ipsa lex diuina, more Iudaeorum, fuerit prescripta; sed qui, ipso sic censente THEOPHYLACTO, generatim ὠφελιμώτερά τινα περιεῖχον, alia quaedam vtilia continuerint. Cur enim non putemus, Paullum, dum iam Ro-

ma

ma ad Timotheum ſcriberet, Romanaque vteretur voce, huic ipſi voci etiam notionem tunc Romanis familiarem ſubieciſſe? Iam vero libros quadratae formae *κατ᾽ ἐξοχὴν* membranas; vel libros in membranis dici conſueuiſſe, modo indicauimus. Sed iſta nunc ſufficiant ad interpretationem huius loci ſacri; de quo plura diſſeruit HECTOR. GOTFR. MASIVS, theologus quondam Danicus, in *diſſ. de pallio Paulli.* Deinde vero codices etiam *συνεκδοχικῶς* dicebantur *tabulae;* quia ex pluribus tabulis inter ſe coniunctis conſtruebantur. Vnde aliquoties CICERO, in eadem *oratione pro Roſcio*, et alibi, dixit, *referre in codicem*, quod antea dixerat, *referre in tabulas.* Haud aliter codices a *quaternionibus*, ex quibus conſtabant, aut certe a forma quadrata, Graece dicebantur *τετράδες*. Ita EPIPHANIVS, Βιβλ. γ. κατὰ Ἁιρέσεων, meminit alicuius Diaconi, qui ſua ſcripta ex *ſchediis*, in quibus extemporaneas meditationes primum ſcripſerat, retulerit in *codices quadratos.* Ὁ *τὴν μεταγραφὴν*, inquit, *ἀπὸ τῶν σχεδαρίων ἐν τετράσι ποιησάμενος.* Hinc nos, diſcriminis ſignificandi cauſſa, codices hosce paſſim appellamus *libros quadratos.* Praeterea SALMASIVS, *l. c. p. 405*, tradit, huiusmodi maſſas multiplicium membranarum Graecis proprie dici conſueuiſſe *σωμάτια*, i. e. *corpora.* Et certe omnino deprehendimus, libros ſaepe *σώματα*, *σωμάτια*, et Latine *corpora*, appellari. Apud DIONYSIVM LONGINVM, *ſect. IX, n. 4*, legitur *σωμάτιον* Ἰλιάδος. Sic et HESYCHIVS Iliadem Ὁμήρȣ *σωμάτιον*, et vtrumque Poema, MARIVS VICTORINVS, *de Arte Grammat. duo corpuſcula* vocauit. CICERO, *L. V Epiſt. famil. ep. 21: A principio*, inquit, *coniurationis, vsque ad reditum noſtrum videtur mihi modicum quoddam corpus confici poſſe.* Etiam LIVIVS, *L. III, c. 34*, leges duodecim tabularum vocat *corpus omnis Romani iuris.* Quid vero nunc frequentius dicitur, quam *corpus iuris ciuilis?* Quamuis vero ſic manifeſtum ſit, libros appellari *σώματα* et *corpora;* haud tamen lubens aſſenſerim SALMASIO, ita eos appellatos eſſe a forma, hocque nomen *codicibus* fuiſſe proprium. Potius crediderim, libros *corporis* nomen a multiplici argumento, et a plurium opuſculorum in vnum corpus coniunctione, primum inueniſſe. Sic PLINIVS, *L. II, Epiſt. 10*, ſuaſit, verſus, qui ſparſim in vulgus exierant, *in corpus retrahendos*, h. e. in vnum librum et *σύστημα* colligendos. Et luculentius SVETONIVS, *c. VI de Illuſtr. Grammat.* hac de re loquitur. *Aurelius Opilius*, inquit, *compoſuit variae eruditionis ali-*

quot volumina, ex quibus nouem vnius corporis. Interim tamen, cum codices, quorum tabellae ex vtraque parte ſcribebantur, ſpiſſiora opera poſſent capere, quam volumina, quae non erant ἐπισθόγραφα· hinc facile vſu venit, vt libri amplioris et multiplicis argumenti, qui σώματα et *corpora* dicebantur, frequentius in codicibus, poſtquam hi inuenti erant, quam in voluminibus, exararentur. Quod denique ad alia codicum nomina attinet, huc ea omnia pertinent, quibus et ſingulae tabulae olim appellabantur; vtpote quarum nomina, per figuratam orationem, etiam deinde ad codices ſignificandos ſunt translata, ita, vt exempli cauſſa et hi δέλτοι, πυξία, πυκτίδες, πτυκτία, σανίδες, dicerentur. Cuiusmodi nomina ex parte iam explicauit BERNHARDVS MONTEFALCON. *L. I Palaeograph. Graecae, c. 4.*

IIII. Quarumcunque vero materiarum tabulae ſcribendi cauſſa ita coniungi poterant, vt aliae ſuper alias ſtruerentur, eae libros dederunt, qui *codices* appellarentur. Hinc enim non tantum *codices lignei*, ſed etiam *eborei, plumbei, membranei*, et *chartacei*, aliique, apud ſcriptores leguntur. Quemadmodum enim ex quauis materia, quae volui in cylindrum et ſcribi poterat, volumina tunc conficiebantur; ita etiam, de quacunque materia plures tabulae ad ſcribendum idoneae concinnari contexique poterant, ex ea materia libri, qui *codices* proprie dicuntur, compingebantur. Vtriusque formae opera, generali nomine dicebantur *libri*, vti *Diſp. II, n. 2. et 3*, oſtendimus. Hinc VLPIANVS, *L. 52 π. de Legatis III.* ait: LIBRORVM *appellatione continentur omnia* VOLVMINA, *ſiue in charta, ſiue in membrana ſint, ſiue in quauis alia materia: ſed et ſi in philyra, aut in tilia, vt non nulli conficiunt, aut in alio corio; idem erit dicendum. Quod ſi in* CODICIBVS *ſint* MEMBRANEIS, *vel* CHARTACEIS, *vel etiam* EBOREIS, *vel* ALTERIVS MATERIAE, *vel in* CERATIS CODICILLIS; *an debeantur, videamus?* Paſſim videmus, huiusmodi antiquitatis monimenta a Scriptoribus annotari. At omnium frequentiſſime codices olim ex *membranis*, ſiue *pergamenis*, compoſitos eſſe patet; vbi quidem membranarum apte praeparandarum vſus innotuerat. Hinc merito, vel ob frequentiorem vſum, VLPIANVS primo loco in codicibus poſuit *membraneos*. Huius generis codicem MARTIALIS, vti diximus, *L. XIIII Epigr. 184*, vocauit *multiplicem pellem*; ob tabellas plures, ſeu *folia*, in quae membrana ex pelle parata paginatim

natim plicabatur, atque consuebatur. Praeter alia loca, huc etiam referre possumus eiusdem Poetae Epigramma in *Virgilium in membrana*, quod extat *L. XIV*, *n. 186.*

Quam breuis immensum cepit membrana Maronem?
Ipsius vultum prima tabella gerit.

Intelligimus hinc, membraneos istos libros distinctas habuisse tabellas, siue *folia*, haud secus ac nostri libri, easque tabellas ex ordine suo numeratas esse. Ceterum, hoc loco non ea repetimus, quae in *I et III Dispp.* de discrimine corii et membranae, item de tenuibus, de candidis, de luteis, purpureisque membranis, iam annotauimus. Neque nunc de vetustate membranaceorum codicum, horumque durabili vsu, disquirimus. MABILLONIVS, hac de re agens, *c. III Supplem. de re diplom.* prouocauit ad Virgilium Bibliothecae Vaticanae, qui in membranaceo codice scriptus videatur saeculum a Christo nato quartum antecessisse; idem commemorauit alium codicem Regiae Bibliothecae, paullo inferioris aetatis; neque non eiusdem Bibliothecae Prudentium, qui ad parem aetatem accedat. In bibliotheca Medicea exstat Virgilii codex in membrana maiusculis litteris perscriptus, qui ab ALDO MANVTIO, in *Orthographia*, saepius appellatus Virgilius Carpensis; quia prius asseruatus fuit a Rudolpho Pio, Cardinale Carpensi. Hunc codicem, iam a Macario senatore sibi dono datum, Romae anno salutari CCCCXCIIII, XI Kal. Maii, teste subscriptione coaeua, ipse legit, distinxit, et emendauit, TVRCIVS RVFIVS APRONIANVS ASTERIVS, V. C. Consul, ita quidem, vt ipse codex vtique antiquiore adhuc manu, et, HOLSTENIO quidem iudice, circa Valentis, vel Theodosii, tempora fuerit scriptus. De quo Codice copiosius egit HENR. NORIS, in *Cenotaphiis Pisanis*, *Dissert. IIII*, *cap. 1.* Quam venerandae antiquitatis sit codex membranaceus Dioscoridis in Augustissima Bibliotheca Vindobonensi, vel exinde intelligitur, quod is, referente LAMBECIO, in sexto folio exhibet imaginem Iulianae Aniciae, diademate Regio ornatae, quae sub initium imperii Iustiniani M. decessit, et in cuius gratiam idem Codex vtique scriptus fuisse videtur. Silentio praeterimus multo plures alios codices membranaceos, in vtraque foliorum singulorum parte scriptos et forma quadrangula ad instar nostrorum librorum compactos, quos iam saeculo quinto, sexto et septimo post Christum natum exaratos adhuc in celebrioribus Bibliothecis

bliothecis supereſſe conſtat. De cuiusmodi libris breuiter MONTEFALCONIVS, *T. III Autiquit. Libr. V, cap. 5, p. 351: Libri quarti*, inquit, *quintique saeculi, qui ſuperſunt, in membranis ſunt ſcripti: talis Virgilius Vaticanus, Terentius Florentinus, quaedam folia Bibliorum in bibliotheca Colbertina, et libri quidam in Regia.* Atque adeo, et teſtimoniis veterum ſcriptorum, et exemplo Codicum, certo indicio ex vetuſtis temporibus ſuperſtitum, ſatis liquet, iam Iuſtiniani Magni, Imperatoris, aeuo, librorum artifices non ſolum membranas ita praeparare nouiſſe, vt hae ex vtraque pagina, aduerſa et auerſa, ſcribi potuerint; ſed etiam praeter volumina, Codicibus hodiernae formae vſos eſſe: quamuis id nimis confidenter negauerit Illuſtr. LVDEWIGIVS, in *vita Iuſtiniani M.* p. 20. 29. 30. 310.

V. Sed libet etiam non nihil de codicibus extraordinariis, aut rarius vſitatis, dicere. Si ſingulae tabulae, in quibus olim aliquando res conſignarunt, multiplicari et coniungi potuerunt; mirum non eſt, etiam ex pretioſiori materia integros libros, adeoque, tum ad magnificentiam, tum perennitatem, exempli cauſſa, *aureos, argenteos, aereosque codices*, confici potuiſſe, ſicubi plures huius generis tabulae, in quibus identidem res conſignatas fuiſſe legimus, coniungerentur. Exemplum *aurei codicis* afferrem e PLVTARCHI *Lib. V Sympoſ. Quaeſt. 11*, vbi haec ſcripta extant: Ἐκεῖ τοίνυν εὑρήσετε γεγραμμένον ὡς ἐν τῷ Σικυωνίῳ θησαυρῷ χρυσοῦν ἀνέκειτο βιβλίον Ἀριστομάχης ἀναθήματα τῆς ποιητρίας. i. e. *Ibi ergo legetis, in Sicyonio theſauro repoſitum libellum aureum dedicatum ab Ariſtomacha poetria.* Sed vereor ne, χρυσοῦν βιβλίον etiam *aureus, isque volubilis*, adeoque diuerſus a quadrato codice, libellus exponi poſſit. *Aerei codicis* indicium quoddam ſuppeditat nobis GRVTERVS, *in Syntagmate Inſcriptionum p.* CIↃXXXII, *n. 6*, vbi refert, fuiſſe Patauii, inter Pinelliana cimelia, lamellas aereas duas, vtrinque ſcalptas, charactere quadrato informi: ex foraminum indicio licuiſſe ſuſpicari, plures paginas fuiſſe in libri morem compactas. SERTORIVS VRSATVS, *in monumentis Patauinis, p. 329*, earundem tabellarum Pinellianarum mentionem facit, easque putat fuiſſe ex iis libris, qui apud librarios in legionibus habebantur; ſed et illas *aureas* fuiſſe ſcribit, incertum, an memoria lapſus? Neque ſatis liquet, qua materia conſtiterint *duodecim tabulae* legum Romanarum; et vtrum illae, more codicis cuiusdam compactae, et in publico propoſitae fuerint; an ſigulae ſeorſum roſtris affixae pependerint?

VALERIVS PIERIVS tradidit, iſtas tabulas legum Romanarum primum *roboreas* fuiſſe, deinde *aereas*, tandem *eboreas*. Qua de re quid *in Epiſt. ad Reineſium*, inter *Reineſianas* pag. 671, annotarit CHRISTOPH. ADAM. RVPERTVS, huius academiae Altorfinae olim ornamentum, non poſſum, quin huc transferam. *Quernas*, inquit, *legum tabulas in hiſtoria Anci Marci diligenter notauit Dionyſius Halicarnaſſ. Libr. III: aeri poſtea inſcriptas leges XII Tabularum non ſolum idem Libr. X; ſed et Liuius Libr. VI, inpr. ex emendatione Car. Sigonii, et Diodorus Siculus Lib. XII et XXVI. Eboreas nunquam et nusquam legi niſi apud Pomponium, cuius tamen verba vitii mihi ſuſpecta: non, quod Scaligero accedere velim, qui Comment. in Guilandinum, lectionem veterem mutat, quod eboris materia inepta ſcribendo ſit, nec diuturna; vt quae flaueſcat vetuſtate. Iam pridem huic ſatisfactum eſt a Salmaſio, in notis ad Vopiſci Tacitum, p. 416, et a Voſſio Libr. I. de Arte Grammat. cap. 38. Sed et quod ibidem vult Scaliger, neque tam beatos, neque adeo tam delicatos eo tempore fuiſſe Romanos, vt in eburneis tabulis leges proponerent, ad deſtruendam vulgatam lectionem prorſus inualidum mihi videtur. Breuiter: neque roboreas, neque eboreas, apud Pomponium probare poſſum; neutrum enim de XII Tabulis ab vllo hiſtoricorum traditum eſt. Quod ſcribit Scaliger, ſolum omnium veterum Dionyſium aereas prodidiſſe, in eo vir diuinus immenſam illam memoriam ſuam non aduocauit; nam praeter Dionyſium iam et alios adduximus. Contra roboreas fuiſſe XII Tabulas, nulla vnquam dixit hiſtoria. Porphyrionis verba: Aereis tabulis* antiqui non ſunt vſi ſed *roboreis*. His incidebant leges; vnde adhuc Athenis legum tabulae *axones* vocantur; *quae Scaligero haud dubie in animo fuerant, nihil nos morantur. Poſſunt intelligi de Athenienſium legibus, et Romanorum antiquiſſimis inciſis Anci Marci tempore; de XII Tabulis non poſſunt, quas aereas fuiſſe, non ſine ratione prodidit in has etiam minutias attentiſſimus Dionyſius, nec is ſolum, ſed et alii. De eboreis idem ſentio non habere locum propter monumentorum et Antiquitatum omnium conſtans ſilentium. Quod Cuiacius Pomponium ad ſaeculi ſui conſuetudinem reſpexiſſe ait, id mihi nondum perſuaſit. Tempore ſiquidem Pomponii licet eboreis codicibus, de quibus Vlpianus, inſcribi potuerint, publicae tamen et pro roſtris eboreae non fuerunt; ſed aereae etiam tunc conſpiciebantur pro roſtris, ac diu poſt. Cyprianus, Libr. II. Epiſt. 2:* Inciſae ſint leges licet XII Tabularum, et publico aere praefixo iura praeſcripta; inter

ter leges ipſas delinquitur; inter iura peccatur. Innocentia nec illi, vbi defenditur, reſeruatur. Saeuit interim diſcordantium rabies, et inter togas pace rupta forum litibus mugit inſanum. *An tantus ICtus ignorare potuit, quod omnes quotidie videbant, vel aliam Tabularum materiam litteris conſignare, quam quae erat ab antiquo in ſuum vsque aeuum publica. Omnino pro roboreis illis Scaligeri, et eboreis Cuiacii, damnatis ab omni hiſtoria, malim in Pomponio* AEREAS. Hactenus RVPERTVS. Ceterum XII illas legum Romanarum tabulas non ſingulas ſeorſum, ſed coniunctas, et in Codicem compactas, propoſitas fuiſſe, quodammodo coniicias ex his CICERONIS verbis, *de Oratore L. I, c. 44: Bibliothecas omnium Philoſophorum vnus videtur XII tabularum libellus vbertate ſuperare.* Quod *plumbum* iam attinet, non repeto, quae diuinioribus litteris produntur. Etiam PAVSANIAS, *L. IX, c. 31*, haec de Boeotis, qui circa Heliconem domicilia habuerunt, refert: Καί μοι μόλιβδον ἐδείκνυσαν, ἔνθα ἡ πηγὴ, τὰ πολλὰ ὑπὸ τȣ̃ χρόνȣ λελυμασμένα· γέγραπται γὰρ αὐτῷ τὰ ἔργα. h. e. *Monſtrarunt mihi et plumbum iuxta fontem, in quo ſcripta erant Heſiodi opera, magna ex parte vetuſtate vitiata.* Etiam SVIDAS memorat εἰς ἐλασμȣ̀ς μολύβδων γράφοντας, *eos, qui plumbi laminis inſcripſerunt.* Haud ambiguum eſt, iſtiusmodi plumbeas laminas in codicis formam aliquando fuiſſe compactas. CODICES PLVMBEOS ſub terra inuentos in ſepulcris Neapoli, et vnum ſibi monſtraſſe Hadrianum Guilielmum, narrat GEORGIVS FABRICIVS, in *Anquit. Rom.* et ex eo GVIL. NICOLS, *L. I de litteris inuentis, p. 21.* BERNARDVS MONTEFALCONIVS inter codices ſaeculi III, *L. II, cap. 8, p. 181*, huiusmodi vetuſtum quoddam monimentum deſcribit, eiusdemque ibi figuram exhibet. *Dum Romae agerem*, inquit, *incidi in librum plumbeum, inſculptum literis et figuris Baſilidianorum; emtumque obtuli Seren. Principi Cardinali de Bouillion; ita tamen, vt depicta omnia penes me remanerent. Eſt is libellus longitudine quatuor circiter pollicum; latitudine duorum et dimidii; operculis vero duobus plumbeis totus compingitur; ſex folia item plumbea ſunt, ab vtraque facie inciſa literis, aut figuris: duae partes operculi aſſumento plumbeo, clauis item plumbeis aſſerto et firmato, iunguntur. Virgula plumbea foliis a tergo per annulum plumbeum ipſis haerentem inſerta, ipſa folia retinet, ne dimoueantur. Denique omnia plumbum. In ſingulis paginis Baſilidianorum figurae comparent. In quatuor primis tantum verba quaedam ſub figuris poſita inciſa ſunt. Prima et ſecunda pa-*

gella Hetruſcis litteris exaratur; tertia et quarta, Graecis. Ex vtrisque tamen, tam Hetruſcis, quam Graecis, tantundem notitiae expiſceris, adeo ſunt obſcura omnia et tenebris oppleta. Similem fere libellum, ſeptem laminis plumbeis conſtantem, ac in ſarcophago aliquo inuentum, literisque et ſignis ignotis inſculptum, exhibet, *Tab. LX*, *Muſeum Kircherianum*, a Philippo Bonanni auctius editum.

VI. VLPIANVS, loco citato meminit etiam CODICVM EBOREORVM. Equidem IOSEPH. IVST. SCALIGER, in *Animaduerſ. ad Guilandinum de Papyro*, *p. 16*, in iſto VLPIANI loco, aut *pugillares eburneos* intelligit; aut conſtanter legendum cenſet, *roboreis*, non *eboreis*; quia, ſi, *eboreis codicibus*, legatur, nulla *ligneorum codicum* fieret mentio; quam praetermittere non debuerit VLPIANVS, cum omnes codicum materias recenſere conatus ſit. At enim vero, annon ille *ligneos codices* vna comprehendere potuit cum diceret, *codices* eſſe poſſe vel membraneos, vel *chartaceos*, vel etiam *eboreos*, vel ALTERIVS MATERIAE? Deinde, ſi ipſe conconceſſit SCALIGER, aliquando in vſu fuiſſe *pugillares eburneos*, tanquam minores libellos; an incredibile ſit, non nunquam etiam ſplendoris cauſſa ex ebore ſectili parari potuiſſe maiores tabulas, quae coniunctae compactaeque conſtituerint Codicem, ſeu librum maiorem quadratae formae? Quanquam largiamur, iſtiusmodi antiquitatis reliquias adhuc rariſſime reperiri. Reperiuntur tamen *Diptycha eburnea*, quorum non pauca deſcripſit MONTEFALCONIVS, ſub finem *Tomi III ſupplement. Antiquit.* itemque *pugillarium eborneorum* crebrior adhuc in ſcriptis veterum occurrit mentio. Vtrum vero LIBRI ELEPHANTINI, in quibus diu Senatus Conſulta, quae ad Principes pertinuerunt, ſcribi ſolita eſſe, refert FLAV. VOPISCVS, *in vita Taciti*, *cap. VIII*, etiam conſtiterint ex eboreis tabellis; an forte ex *omentis elephantinis*, in quibus itidem ſcribi conſueuiſſe ait ISIDORVS, *orig. L. VI*, *c. 12*; id quidem non ſatis liquet. Aliquando tamen *elephantinum* idem dici, quod *eboreum*, viri eruditi iam dudum obſeruarunt. Cum vero IOSEPHVS SCALIGER opinatus fuerit, ebur ineptam materiam ſcribendo fuiſſe, neque credibile eſſe, veteres in ebore ſcripſiſſe; recte haec eius ſententia confutata atque correcta eſt a SALMASIO, *in comment. ad Vopiſcum*, *l. c.* Quid enim clarius illo MARTIALIS epigrammate in *Apophoretis*, *n. V*, cuius lemma: *Eborei pugillares:*

Languidu ne tristes obscurent lumina cerae;
Nigra tibi niueum littera pingat ebur.

Ex quo disticho simul coniicere licet, etiam candidum ebur atramento perscribi consueuisse. Quo facit et illud, quod apud PLAVTVM, *in Mostellaria, Act. I, sc. 3, v. 102*, legimus. Ibi enim lena puellae naturali forma praeditae, tamen cerussam ad oblinendas malas postulanti: *Vna* inquit, *opera ebur atramento candefacere postules.* Eboreis codicibus sine dubio antiquiores fuere CODICES LIGNEI. Si enim, quod alio tempore ostendimus, rudior aetas, ante chartae et membranarum vsum, in dolatis ex ligno codicillis iam literas scripsit; quid mirum, eam et plures huiusmodi tabellas in codicis formam coniungere atque compingere coepisse? Quid enim facilius, quam singulis, binis, aut ternis tabulis, pro rei vsu, addidisse plures? Neque ab hoc modo codicum ex ligneis tabellis conficiendorum prorsus recesserunt, vbi iam aliae materiae suppetebant. Si vera sunt, quae HERMANNVS HVGO, *in libro de prima origine scribendi, p. 92*, ex RODERICI SANCTII *tertia Parte Historiae Hispanicae* refert, ex huiusmodi ligneis assulis, seu tabellis, liber Hebraicis et Latinis characteribus scriptus prope Toletum inuentus est, temporibus Regis cuiusdam Hispaniae, Ferdinandi. Et BARONIVS, *in Martyrologio Romano, ad A. 485*, codicem Euangelii diui Matthaei in huiusmodi ligneis schedulis perscripti inuentum dicit in monimento diui Barnabae; *librique* huius tabellas *thyinis lignis* fuisse compositas. *Thya* vero est arbor quaedam odorifera. At, ob faciliorem commodioremque scribendi vsum, tabellae huiusmodi ligneae deinceps cera obducebantur. Nam, etsi et aliae materiae ad scribendum aptae, aliquando cera illinerentur; certum tamen est, frequentissime tabellas ligneas cera obduci vulgo consueuisse. Hinc OVIDIVS, *L. I Amor. Eleg. 12*, canit:

Ite hinc difficiles, funebria ligna, tabellae;
Tuque negaturis cera referta notis.

Et A. GELLIVS, *Noct. Atticar. L. XVII, c. 9*, scribit: *Legebamus id quoque in vetere historia rerum Punicarum, virum indidem quempiam illustrem epistolam scriptam super rebus arcanis hoc modo abscondisse: pugillaria noua, nondum etiam cera illita accepisse; literas in lignum incidisse; postea tabulas, vti solitum est, cera conleuisse: easque tanquam non scriptas, cui futurum id praedixerat, misisse; eum deinde coram derasisse, literasque incolumes ligno incisas legisse.* Neque vero codicilli tantum pugillaresque exigui, sed et CODICES,

CES, hoc eſt, maioris formae libri, CERATI parabantur. Erant, exempli cauſſa, apud veteres *tabulae accepti et expenſi.* Sic dicebatur *codex e tabulis ceratis* compoſitus, in quem veteres ex aduerſariis ſuis ordine et accurate referebant, quaecunque aut acceperant, aut expenderant. Ita ipſe CICERO, *in oratione pro Q. Roſcio*, ſtatim ſub initium, CODICEM *accepti* et *expenſi* vocat, quas *tabellas accepti* et *expenſi* modo dixerat. Et in *VI Orat. in Verrem* ait, Verrem in *extrema cera codicis* huiusmodi, nomen infimum in flagitioſa litura feciſſe. Atque mihi perſuaſum habeo, apud CICERONEM nomen CODICIS non facile de alio librorum genere vſurpatum reperiri, quam de libro ex tabulis ceratis conſtante, cui inſcribebantur rationes. Huius generis tabellae vocantur aliquando *grandis codex*, apud IVVENALEM, *Satyr. VII, v. 110.* Imo huc et illud ſpectat, quod apud MARTIALEM, *L. VIII, Epigr. 44,* legimus:

Centum explicentur paginae Calendarum.

Hinc et a SENECA, *Epiſt. LXXXVII, magnus Calendarii liber* vocatur, in quo nempe perſcribebantur vſurae, in Calendas ſingulas petendae et exſoluendae. Oſtendit QVINCTILIANVS, ceratorum Codicum tabulas aliquando fuiſſe perquam latas; hinc, inter alia, eloquentiae cultori ita praecepit, *L. X Inſtit. Orat. c. 3: Ne latas quidem vltra modum eſſe ceras velim, expertus, iuuenem ſtudioſum alioqui praelongos habuiſſe ſermones; quia illos numero verſuum* (quos noſtri *lineas* hodie vocant) *metiebatur: idque vitium, quod frequenti admonitione corrigi non potuerat, mutatis codicibus eſſe ſublatum.* Imo idem QVINCTILIANVS paullo ante indicarat, veteres celerius in cera; quam in membranis, ſcribere potuiſſe: *Illa quoque minora*, inquit, *non ſunt transeunda: ſcribi optime in ceris, in quibus facillima eſt ratio delendi; niſi forte viſus infirmior membranarum potius vſum exiget: quae vt iuuant aciem, ita crebra relatione, quoad intinguntur calami, morantur manum, et cogitationis impetum frangunt. Relinquendae autem in vtrolibet genere tabellae, in quibus libera adiiciendi ſit excurſio.* Alioquin et ex membranis obductis aliquando tabulas deletitias et Palimpſeſtos paratos fuiſſe, iam aliunde conſtat. Et huc pertinet, quod Doctiſſimus HEMSTERHVISIVS, *in notis Iul. ad Pollucis Onomaſticum*, obſeruauit, Cyprios quondam pelles obleuiſſe cera, in eaque litteras exaraſſe: ſic ſaltem in illorum ludis fuiſſe receptum. Ludi magiſtrum enim, teſte HESYCHIO, ab iis διφθεράλοιφον appellatum eſſe, non

alia de caussa, quam quod illam scribendi consuetudinem vsurparint: imo huc ex eodem Grammatico referendum, quod stilus a Cypriis vocatus sit ἀλειπτήριον, ἀπὸ τῦ ἀλείφειν, vel ἀλείπειν, quia in obducta pellibus cera literas effingeret. Conf. MARTIALIS *L. XIV, Epigr. 7.*

VII. Deuenimus ad CODICES CHARTACEOS, quos itidem commemorauit VLPIANVS. Vbi quidem CODICES PAPYRACEOS primario intelligi putamus; sed nunc chartae nomen haud incommode etiam ad CODICES CORTICEOS, et ad CODICES BOMBYCINOS, referri potest. Quomodo charta e papyro Aegyptiaca quondam fuerit confecta, iam in *II Disput. n. IV*, exposuimus. Ex huiusmodi charta libros volubiles, siue *volumina*, parari consueuisse, satis certum est: de libris quadratis, siue *codicibus* videatur dubitari posse? CASSIODORVS enim, *L. XI, c. 38*, hanc Aegyptiacam chartam ita describit, vt doceat, *illam in se reuolutam colligi.* Hinc et ISAACVS VOSSIVS, in *Commentar. ad Catullum, p. 3: Quadrati libri*, inquit, *non fiebant e papyro, sed e multis membranis, vtrinque scripturam admittentibus.* Adhaec etiam LEO ALLATIVS, *in Animaduers. ad monumenta Etrusca, n. LXIII*, scribit: *Papyrus neque notas typis conceptas aduersa parte reddit; neque plicatur in plagulas, vt Sinensium charta; sed in volumen conuoluitur.* Ac certe ipsi fatemur, longe frequentius ex Aegyptiaca papyro, volumina, quam codices, concinnari consueuisse: propterea quod illa charta, facile et fere in immensum extendi conuoluique poterat; et quia non omnis illa charta in facie auersa bene ferebat scripturam: cum tamen alioqui codices fere semper essent ὀπισθόγραφοι, quorum paginae ex vtraque facie perscriberentur. Nihilominus tamen, si voluerunt veteres ex huiusmodi charta etiam parare codices, fieri et illud potuit; quamuis non vbique adeo commode, vti in aliis materiis, quae in tabellas secari, et ex vtraque parte litterarum monimenta capere potuere. Neque praeterea omnis illa charta, densior inprimis, plane inepta erat, quo minus ex aduersa pariter et auersa parte aliquando scriberetur. Videantur ea, quae in altera disputatione, *n. XIII*, iam de *Opisthographis* congessimus. Atque adeo huc referre licebit, quod VLPIANVS dixit, libros etiam esse in *codicibus chartaceis.* Huiusmodi vetusta monimenta, quae adhuc supersunt, commemorat MABILLONIVS, *c. III Supplem. de re diplom.* dummodo ne chartam papyraceam cum corticea identidem confuderit. *Non desunt,* inquit,

inquit, *antiquissimi libri, quibus chartae Aegyptiacae, vt ita dicam, durabilitas adstruatur. Et ne longius exempla petam, exstat in Bibliotheca regia veterrimus codex in philyra scriptus, Auiti, Episcopi Viennensis, homilias continens. Vidimus et alios duos eiusdem materiae codices, ex Bibliotheca Patauiana et Phimarconiana, quosdam S. Augusti Sermones continentes, qui ambo annos centum supra mille peritorum iudicio attingunt. Eiusdem generis est insignis ac vetustissimus codex Ambrosianae Bibliothecae, mutilus quidem, sed multis chartae Aegyptiacae foliis constans, quae quasdam particulas Iudaicae Iosephi historiae continent.* Eiusdem chartae papyraceae genere constare librum Euangeliorum D. Marci, Venetiis; sed eum tum vetustate, tum situ et humidis sedibus, pene totum deformatum esse, refert BERNARDVS MONTEFALCONIVS, in *Diario Italico, p. 55.* Atque IDEM *T. III. Supplem. Antiquit. Libr. VIIII, cap. 3, 4, seqq.* auctoritate PLINII, aliorumque veterum scriptorum, docet, papyrum Aegyptiacam iam ante aeuum Alexandri Magni in vsu fuisse; deinde et ipse narrat, e quinto circiter saeculo, in Caenobio San-Germanensi superesse epistolas S. Augustini, in codice papyri Aegyptiacae foliis constante, optimeque adhuc conseruato; in bibliotheca S. Martini Turonensis asseruari reliquias quasdam veteris codicis itidem in charta papyrea concinnati, et, quantum e Graeco charactere diiudicari potuerit, manu Graeca, septimo circiter saeculo exarati. Denique tradit, chartam bombycinam saeculo nono, vel cum tardissime, initio decimi, adinuentam in caussa fuisse, cur charta papyrea Aegyptiaca in Graecia sensim desierit; et vbi chartae ex detritis pannis linteisque frequentior vsus inualuerit, eandem Aegyptiacam chartam in occidente pedetentim esse abrogatam. Mihi huiuscemodi Aegyptiacae chartae, eiusque satis candidae et bene conseruatae, Codicem, qui *donationes* Ecclesiae Rauennatensi factas conplectitur, et, quod ex nominibus Archiepiscorum Rauennatensium patet, demum ineunte saeculo nono scriptus est, suspicere licuit Monachii, in bibliotheca Serenissimi PR. ELECTORIS Bauariae. Quaedam etiam huius generis fragmenta, inter plurima alia rarissimae antiquitatis cimelia, extant apud illustres EBNEROS AB ESCHENBACH, Grauissimos S. R. I. Liberae Reipublicae Norimbergensis Senatores. Ceterum, rarissime hodie integros veterum codices ex papyro Aegyptiaca compositos inueniri, mirum non est, cum iam EVSTATHII tempore, qui circa annum a Christo nato CIↃCLX floruit, ars confi-

ciendae iſtius papyri in deſuetudinem veniſſe videatur; quod viri eruditi ex eius *παρεκβολαῖς ad Homeri Odyſſeam Φ vſ. 390.* iam obſeruarunt. Ibi enim haec legimus: *Ἐγίνοντο γάρ φασιν ἀπὸ βύβλων Αἰγυπτίων, ὡς οἷα παπύρων ὑδροχαρῶν, καθὰ εἰ τότε μεθώδευον, ὑποκείμενα τοῖς γραφεῦσι χαρτάρια, ὁποῖα ἴσως καὶ τὰ ὕστερον ἰδιωτικῶς λεγόμενα ξυλοχαρτάρια, ὧν ἡ τέχνη ἄρτι ἀπήλειπται.* Atque hinc et MABILLONIVS, *L. I, cap. 8, de Re Diplom.* docet, papyraceae huius chartae vſum etiam in diplomatibus tantum perueniſſe ad ſaeculum vsque vndecimum apud Europaeos; adhuc vero perſeuerare in America, et forſan etiam in non nullis orientis partibus.

VIII. Hac occaſione diſquiri poteſt, an veteres etiam habuerint CODICES CORTICEOS, et quaenam fuerit *charta corticea?* Non loquor iam de exteriore aut duriore cortice arborum, cui veteres etiam iam ante inuentum membranarum papyrique Aegyptiacae vſum inſcripſerunt; cuiusmodi corticis rudioris vſus quando deſierit, hominum memoriam fugit, nullis fere, aut certe pauciſſimis, eius ſcripturae reliquiis conſeruatis. Sed loquor de alia charta corticea, ab iis forte inuenta, qui in aliis regionibus, vbi papyrus non naſcebatur, Aegyptios in charta paranda ſunt imitati. Vt vero facilius intelligi poſſit, quomodo inter ſe conuenerint, vel diſcreparint, *papyrus Aegyptiaca*, et *charta corticea e philyra tenui parata;* vtriusque generis naturam, ſtructuramque pro virili parte exponam. Equidem illa *charta corticea*, de qua loqui inſtitui, dum adhuc viridior ſucculentiorque, adeoque et volubilior, fuit, non raro voluminibus conficiendis adhibita eſt. Id quod *diſp. II. de ornamentis librorum veterum cap. III* iam oſtendi. Nihilominus tamen, haud ſecus ac Papyrus Aegyptiaca, etiam codicibus perſcribendis compingendisque inſeruire potuit. Illius chartae corticeae vſus iam VLPIANI tempore, hoc eſt, ſaeculo II. poſt Chriſtum natum, quanquam tunc adhuc rarior, fuiſſe videtur. Huc refero *legem 52 π. de legatis III*, quam ſupra n. III, excitaui. Ibi enim VLPIANVS: LIBRORVM, inquit, *appellatione continentur omnia volumina, ſiue in membrana ſint, ſiue in quauis alia materia. Sed et ſi in* PHILYRA, *aut* TILIA, *vt* NONNVLLI *conficiunt, aut in alio* CORIO (h. e. in aliis tenuioribus membranulis fruticum arborumue) *idem erit dicendum.* Iam in illa ipſa *diſp. II*, quam modo nominaui, capite quidem III, ad VLPIANI locum explicandum, auctoritate PLINII ſenioris docui, *philyram*, et *tiliam*, non

ſolum

ſolum arborem, huius nominis, ſed etiam generatim arboris tenues membranas inter lignum et extimum corticem latitantes, denotare, ita quidem, vt ſtricte loquendo *philyra* tenuiſſimi corticis nomen ſit; *tilia* aliquanto craſſioris. Recte autem dixit VLPIANVS, *nonnullos* ſaltem conficere eiusmodi libros; quia eo aeuo fortaſſe artificium parandae chartae corticeae nondum vulgo innotuerat; aut quia ſane eiusdem chartae nunquam tam frequens vſus, quam papyri Aegyptiacae, aut membranarum, inualuit. Neſcio annon huc etiam referri poſſit, quod HERODIANVS, *Libr. I Hiſtor. cap. 52* narrat de Commodo Imperatore: *Ἔλαβε γραμματεῖον τϐτων δὴ τῶν ἐκ φιλύρας εἰς λεπτότητα ἠσκημένων, ἐπαλλήλῳ τε ἀνακλάσει ἀμφοτέρωθεν ἐπτυγμένων*, i. e. *ſumſit libellum, quales de philyra tenuiſſimi*, atque in vtramque partem replicabiles fiunt. Certe SCHEIDIVS in Iudice Herodiani, libellum iſtum plicatilem interpretatur fuiſſe libellum de philyra, ſeu tilia, h. e. membrana tenui inter corticem et lignum tiliae. Luculentius librorum corticeorum indicium facere videtur MARTIANVS CAPELLA, *Libr. I de nuptiis philologiae, p. m. 44. Cernere erat*, inquit, *qui libri, quantaque volumina, quot linguarum opera ex ore virginis defluebant. Alios ex* PAPYRO, *quae cedro perlita fuerat. Alii* CARBASINIS *voluminibus complicati libri; ex* OVILLIS *multi quoque* TERGORIBVS. RARI *vero in* PHILYRAE CORTICE *notati.* Quibus verbis CAPELLA *libros in philyrae cortice notatos* euidenter diſtinguit a *libris papyraceis*, itemque *membranaceis;* quanquam idem innuat, iſtorum corticeorum vſum non niſi rariorem fuiſſe. Quantum vero ex iſtiusmodi antiquitatis reliquiis, quas mihi oculis meis diligentius intueri datum fuit, coniicere poſſum, eodem prorſus modo, atque artificio, quo Aegyptiaca charta olim parata fuit, etiam chartam iſtam corticeam confectam eſſe, crediderim; quamuis diuerſa vtriusque eſſet materia. Charta enim Aegyptiaca parabatur, et quaſi contexebatur, ex caule fruticis Aegyptiaci, qui *biblos*, aut *papyrus*, dicebatur, ac plurimum naſcebatur in paluſtribus Aegypti, aut quieſcentibus Nili aquis. Ipſum artificium conficiendae iſtius chartae papyraceae exponit PLINIVS *Libr. XIII Hiſt. Nat. Cap. 11. et 12.* cuius verba iam alibi copioſius illuſtrauimus. At enimuero *chartam corticeam* ex arborum certarum et ad eam rem idonearum interiore eoque tenuiore cortice praepararunt. Et quid ni credamus, ſaepius vſurpatam fuiſſe *φίλυραν*, quae SVIDAE ita deſcribitur: *φίλυρα εἶδος δένδρϐ ἔχον φλοιὸν βύβλῳ παπύρϐ ὅμοιον;* h. e.

h. e. *Philyra est arboris species, quae librum (corticem) habet, byblo papyri similem.* Flexibilis enim est Philyra; quia, auctore THEOPHRASTO, *L. I de Plantis*, γλισχρὸν ὑγρότητα, *viscosam humiditatem*, habet. Cui et Latinorum vox *tilia* respondet; quamvis haud nesciam, istarum vocum notiones aliquando etiam a se inuicem distingui. Etsi autem forte philyra frequentius materiam huiusmodi chartae dedit; facile tamen inducor, vt credam, etiam aliarum quarundam arborum membranulas ad chartae vsum apparari potuisse. Huc pertinet, quod legimus, aliquando etiam scriptum esse in *cortice vilmio.* Quis vero qualisque ille cortex fuerit, et annon forte hoc nomen in Codice MS. inquinate scriptum sit, definire non possum. Nempe BERNH. PEZIVS, admodum reuerendus et doctissimus Pater ordinis Benedictini apud Mellicenses, in praef. *T. I Thesauri Anecdotorum, pag. XIII*, meminit *Historiae MS. Karoli Magni et fundationis Monasterii Campidonensis* A. 832 compositae; cuius auctor subscribitur *Gotfridus Kerren, natione de ciuitate Marsilia, in Cancellaria Karoli M. minimus scribarum.* In calce huius opusculi librarius saeculi decimi sexti haec verba annotauit: *Exemplar fuit scriptum Campidonae pro libraria, super* CORTICE VILMIO, caduco in multis *passibus vetustate prae nimia.* Vtcunque est, ex philyra, vel eius generis alia arbore, tenuiores membranulas, sed eas latissimas, quae inter lignum et extimum corticem latitarunt, veteres illi instrumento quodam subtili separarunt, et ex duobus philyrinis corticibus ita singulas paginas compegerunt, vt vnum corticem cum alio transuersim conglutinarent; quale quid MABILLONIVS obseruari ostendit in Codice, quasdam Augustini epistolas sermonesque complectente, qui ab illustr. Domina de Phimarcone asseruetur. Aliquando autem non tam latas philyras, quae singulae *folium* quoddam constituerent, ex arborum corticibus separarunt; sed plures omnino pelliculas inde disciderunt; quas vero, opinor, prorsus ad modum papyri Aegyptiacae conficiendae, in tabula aliqua disposuerunt, atque glutine certo conglutinarunt, ita quidem, vt primo ex recta fibrarum tiliacearum serie velut stamen quoddam chartae constitueretur, et deinde, aliis fibris philyrinis transuersa serie et decussatim iniectis, velut subtemen stamini imponeretur: ille vero contextus, ob rectas transuersasque fibras philyrinas sibi mutuo superincumbentes, veluti cratis figuram haberet. Atque adeo Aegyptiaca pariter ac corticea charta in hoc a tela fuit diuersa, quod in tela fila implicentur,

tur, et mutuo nexu, veluti nodo, constringantur; in charta vero vtrauis stamen super subtemen extenderetur: philyris enim rectis philyrae superimponebantur transuersae, prout de charta Aegyptiaca, SALMASIVS, *in notis ad Vopiscum*, et LEO ALLATIVS in *Animaduers. ad Monim. Hetrusc. n. LXVI*, iam animaduerterunt. Et cur non existimemus, ipsas illas plures fibras Philyrae sic in tabula dispositas, ad instar papyri Aegyptiacae, etiam praelis compressas, sole siccatas, malleo tenuatas, et iterum glutino obductas, iterumque constrictas plagulas erugatas, malleoque extensas, fuisse? Fateor equidem, quae iam de chartae corticeae conficiendae modo tradidi, me non meminisse ab aliis ex instituto obseruata vsquam legere. Imo MABILLONIVS, alioquin harum rerum perquam curiosus *de re Diplom. L. I, c. 8*, agnouit quidem aliquod discrimen inter Aegyptiacam et corticeam chartam; sed illam chartam Aegyptiacam modo longe operosiori prae hac confectam fuisse putauit. Taceo alios quosdam recentiores Scriptores, qui plerumque sibi persuasum habent, omnes codices corticeos non nisi ex subtilioribus quibusdam tabulis ligneis constitisse, nec a vetustissimo crassioris corticis vsu, nisi subtilitate, diuersos fuisse. Interim tamen postquam mihi contigit, quasdam huiusmodi antiquitatis reliquias accuratius contemplari, quarum structuram atque conditionem cum quibusdam veterum scriptorum locis contuli; haec ipsa sententia, quam modo exposui, longe verisimilior mihi visa est, credoque, ex reuirescentium aptarum arborum libris adhuc illo, quem dixi, modo chartam quandam corticeam illi vetustae non prorsus dissimilem parari posse, dummodo et idoneum glutini genus, atque illi, quod PLINIVS indicat, haud adeo dispar adhibeatur. Hanc ipsam chartam innuit PANCIROLLVS, in *Thesauro Variarum Lectionum*, *L. I, c. 28*, qui haec commemorat: *Langobardi tenues tilias e tabula abrasas, glutineque compactas, pro charta habuerunt: quarum paginae quaedam vetustissimae eorum characteribus scriptae apud me extant.* Fortasse eiusdem generis chartam intellexit ANGELVS ROCCHA, in *Biblioth. Vatican. p. 379*, qui, vbi de charta Aegyptiaca egerat, haec subiicit: *Huius generis materiam, siue praetenues cortices arborum scriptas, artificio tamen quodam, opinor, praeparatas ad characteres suscipiendos ac retinendos, non semel vidi in Biblotheca Vaticana. Vidi etiam aliam corticem scriptam, sed rudiorem, atque ita, vt arboris cortex esse omnino dignoscatur: quam Aldus Manutius penes se diligenter asseruat.* Neque dubito, quin

 huc

huc etiam pertineat illud chartae genus, quod OLAVS WORMIVS *in Museo suo*, seu *Historia rerum rariorum*, *p. 385*, his verbis descripsit: *Aliam a charta Aegyptiaca verae Papyri speciem ex arundine, vt putatur, confectam, Lugduno Batauorum ad me transmisit filius, Wilhelmus Worm. Folium longum est pollices septem, latum quatuor, colore non plane candido, sed ad flauum inclinante, crassiusculum, et nescio quo glutine obductum; vbi enim charta complicatur, rimulas contrahit leuiusculas.* Quae descriptio apprime conuenit in peruetustum huius rei monimentum, quod beneuole mecum communicarunt Generosissimi SCHEVRLTI DE DEFERSDORF, quibus ideo grati animi studium lubens meritoque profiteor. Est vero hoc magnae vetustatis fragmentum, pagina quaedam septem fere digitos, siue duodecimas partes Pedis, adhuc alta; paullulum vltra pedem Norimbergensem longa, ceterum ex omni parte manca; cui, per modum *literarum*, vti hodie vocantur, *patentium*, ex vna tantum facie codicilli Latine inscripti fuerunt; in quibus centum solidos pauperibus et Ecclesiarum totidem in luminaria dioecefeos Salonitanae legatos esse legimus: cuius scripturae veteris Italo-Gothicae, ante mille et ducentos fere annos vsitatae, residuos characteres alio tempore exhibituri sumus. Haec ipsa charta, haud secus ac Wormiana, est crassiuscula, colore fere flauo et obsolescente, et nescio quo glutine obducta; ex temporis iniuria hinc inde iam laesa, et disrumpi ac in pelliculas solui coepta, ita, vt facili opera in stamen suum et subtemen, ex quibus composita est, h. e. in duas potissimum partes, alteram aduersam literis signatam, alteram auersam, et literis vacuam dissolui posse videatur. Istorum vero corticum fibras, ope glutinosae cuiusdam materiae compositas, non tantum quasi singulas contemplari licet; sed vbi etiam ex vetustate iam dissoluitur charta; in ea superficie, quae scripturam refert, striae istae atque fibrae dissoluuntur secundum altitudinem; in altera vero superficie, quae vacua est literis, fibrae secundum longitudinem dissoluuntur. Ex his, opinor, quomodocunque intelligi potest, quaenam fuerit charta corticea; cuiusmodi chartae reliquias, quamuis identidem scriptores quidam commemorent, haud tamen adhuc deprehendi, qui eius chartae structuram satis luculenter describant; saepius vero obseruo, qui corticeam chartam cum Aegyptiaca confundant. In huiusmodi cortice videntur etiam exarata fuisse tria illa fragmenta vel sacri codicis, vel alterius alicuius materiae Theologicae, quae NESSELIVS, *in*

P. V.

P. V. *Catalogi Biblioth. Caesar. MSCtorum*, *p. 105*, exhibet. Neque dubito, quin alia duo monimenta antiqua, eodem aeuo, eodemque prorſus charactere Gothico, exarata, chartis corticeis contineantur: quamquam ii, qui horum meminere, ea ipſa, modo in cortice, modo in papyro Aegyptiaca, ſcripta eſſe, dixerint. Alterum appellatur charta plenariae ſecuritatis, edita Rauennae ſub Iuſtiniano, A. C. 564; quam chartam ad ipſum archetypum bibliothecae Regiae typis aeneis inciſam repraeſentauit, deſcripſitque MABILLONIVS, in *Supplem. de re Diplom. p. 55. 56. 73.* Alterum eſt inſtrumentum venditionis fundorum et aedificii in agro Ariminenſi, itidem ſcriptum Rauennae, ſed annis octo poſt, ſcilicet ſub Iuſtino iuniore, Imp. A. C. 572, quod extat Romae, apud Iuſtum Fontaninum, virum litterarum laude illuſtrem. Cuius chartae longitudo dicitur aequare palmos Romanos architectonicos XII, latitudo autem ſesquipalmum. Eiusdem chartae ſpecimen quoddam exhibet PHILIPPVS A TVRRE, *in diſſ. apologetica de annis imperii Elagabali*, p. 141. Non vero in illa ſolum *charta plenariae ſecuritatis*, ſed etiam in *inſtrumento* Fontaniniano, itemque in alia *charta Rauennate* a LAMBECIO primum vulgata, et a MABILLONIO *Libr. V. de re diplom.* expoſita, haud ſecus ac in noſtro fragmento, eſt prorſus idem character, nempe Gothico-Italicus, qualis in Italia et inprimis Rauennae, Gothorum ſede, vbi omnes illae priſci aeui reliquiae ſunt ſcriptae, eo tempore obtinuit. Conf. IVSTVS FONTANINVS, in *Vindiciis antiquorum Diplomatum, aduerſus Germonium p. 99.* Alia quaedam exempla affert MONTEFALCONIVS, *in Palaeogr. Gr. L. I, c. 2*, et nominatim commemorat *Codicem corticeum San-Germanenſem*, vbi chartae quidem reſiduae viſuntur; verum literae, auulſa illa priori ſuperficie et pellicula, pariter de medio ſunt ſublatae. Fatetur autem ipſe MONTEFALCONIVS, non ita facile ſemper eſſe huiusmodi chartas internoſcere, ac deſignare, quae papyrea quae corticea ſit. Id quod haud inuiti largimur: nam, etſi papyracea et corticea charta ex diuerſis plane materiis conſtarent; eodem tamen modo atque artificio vtraeque aliquandiu praeparabantur. Iam vero facile fieri poteſt, vt temporum vetuſtas habitum coloremque rerum quodammodo commutet, et plurimis materiis, neſcio quam communem obſoleſcentis naturae notam inducat, vnde poſtea paullo difficilius dignoſci queant. Hinc et MABILLONIVS, *L. I, c. 8, de re Diplom.* iam animaduertit, pleroſque recentiorum corticem confundere cum

Papyro Aegyptiaca; in ea classe esse BRISSONIVM, DVBLETVM, CHIFFLETIVM, BROLIVM, et alios bene multos. At et ipse MABILLONIVS, quamuis ostendat, vtrumque genus chartae ex diuersa materia confectum fuisse; corticeam chartam ex ligni membrana tenuiori; papyraceam ex pelliculis herbae Aegyptiacae: attamen ipse in sequentibus saepius de iisdem codicibus corticis et papyri nomen promiscue adhibet, et lectorem quodammodo dubium facit; neque signa quaedam externi habitus commonstrat, vnde vtriusque chartae discrimen diiudicari possit; multo minus tum MABILLONIVS, tum MONTEFALCONIVS, aliquid de ratione et modo conficiendae chartae corticeae afferunt; nisi quod MABILLONIVS existimet, sed praeter verisimilitudinem, chartam papyraceam ex frutice Aegyptiaco modo longe operosiori, quam corticeam ex ligno, confectam fuisse. Posthaec vero, nempe *T. III supplem. Antiquitatis, p. 213*, discrimen *chartae Aegyptiacae*, et *corticeae*, rectius agnouit, distinctiusque explicauit MONTEFALCONIVS. *Caue sis*, inquit, *ne papyrum Aegytiacam cum aliis ad scribendum vsurpatis foliis confundas, quae folia papyro non absimilia sunt, et a multo iam tempore corticea charta vocantur. Cum enim commeatus illi e charta papyrea ad oram Mediterraneam solum appellerent; qui a Mediterraneo mari longo spatio distabant, saepe hanc chartam papyream ad votum non habebant, et alia consimilia folia experiri cogebantur, atque aliquando in illis pelliculis* (conglutinatis) *scribebant, quae in arboribus inter lignum et corticem habentur, vocanturque liber; hinc autem libris nomen impositum a multis creditur. - - Huiusmodi est ingens volumen in museo Cl. Viri Antonii Capelli, Venetiis, in quo documentum iuridicum annis abhinc octingentis exaratum, in ciuitate, cui nomen Reate. Huiusmodi etiam codex huius Coenobii San-Germanensis, cuius scriptura pene deleta est. Haec autem folia vt plurimum crassiora densioraque sunt papyro Aegyptiaca.*

VIIII. Sequitur, vt non nihil de CODICIBVS BOMBYCINIS dicamus. Hi erant illi codices, quorum charta fere ad instar nostrae chartae recentioris, confecta est ex gossypio; et apud medii aeui scriptores dicebatur aliquando charta *cottunea*, vel *cuttunea*, item *bombycea*, seu *bambacyna*, et corrupte, in aliquo codice MSCto Graeco, (apud LAMBECIVM, *T. V Biblioth. Vindob.*) βιβάκινος. Etsi vero βόμβυξ apud antiquiores scriptores saepe pro serico sumitur, posteriore tamen aeuo frequentius pro

gossypio

gossypio, vel lanugine Xyli, accipi consueuit, perinde atque βαμβαξ, de quo frutice disserit PLINIVS *Libr. XVIIII Hist. Nat. cap. I. Superior pars Aegypti*, inquit, *in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui gossypium vocant, plures Xylon: et ideo lina inde facta, Xylina. Paruus est, similemque barbatae nucis defert fructum, cuius ex interiore bombyce lanugo netur; nec vlla sunt eis in candore mollitieue praeferenda. Vestes inde sacerdotibus Aegypti gratissimae.* Inuenimus, hanc chartam inde aliquando etiam ξυλοχαρτίον dici; quanquam id nomen etiam chartae Aegyptiacae datum fuerit. MONTEFALCONIVS *T. III. Antiquit. p. 216*, obseruauit, eandem alicubi etiam appellari *chartam Damascenam*, incertum, an, quia huiusmodi charta Damasci adinuenta fuerit? An vero, quia in ista vrbe quaedam huiusmodi chartarum officina extiterit? An demum, quia ex oriente hic chartarum conficiendarum modus per Damascenos ad Graecos peruenerit? De huius chartae genere satis diligenter egit MONTEFALCONIVS in *Palaeographia Graeca, L. I, c. 2, p. 17, sq.* vbi luculenter comprobauit, eam chartam ab annis hinc sexcentis in vsu vulgari fuisse. Imo, sibi non deesse alia argumenta et indicia ait, quae ipsam antiquiorem suadeant, indicentque, iam nono a Christo nato saeculo, vel cum tardissime, initio decimi, in charta bombycina scriptum esse; praecipue vero, postquam Aegyptia et corticea charta sensim exoleuerint, decimo tertio et sequentibus saeculis, vsum scribendi in charta bombycina frequentius obtinuisse. Chartae huius bombycinae et recentioris linteae discrimen euidentius docet LEO ALLATIVS in *Animaduers. ad monimenta Etrusc. n. LXXII. Chartam antehac*, inquit, *in Italia et Graecia confecere ex tela bombycina, et bombyce ipsa; ideoque eorum chartae, antiquiores videlicet, crassiores, minus asperae et durae, quam quae ex lino fiunt, conspiciuntur, et cum dulciores sint, sunt etiam blattis et tineis obnoxiores; nec memini, me in infinita pene copia librorum, nisi in recentissimis, chartam ex linteis, sed semper ex bombycinis, offendisse, qui vsus adhuc perdurat in Graecia.* MONTEFALCONIVS *l. c.* commemorat, inter codices illos bombycinos, quos ipse inspexerit, qui antiquiorem et claram aetatis notam ab amanuensi additam habeat, esse *codicem Regium* numero 2889, qui descriptus sit A. 1095. Non opus esse puto, vt pluribus exemplis, quae passim adhuc obuia sunt, comprobem, ex bombycina charta etiam libros quadratos compositos fuisse; memini tamen, me in Paullina Bibliotheca in-

clutae Academiae Lipſienſis, praeter alios libros, Homeri, itemque Pindari carmina, a Scholiaſtis nondum editis illuſtrata, et in huius generis chartis olim deſcripta, haud ſemel euoluiſſe, contemplatumque eſſe. Poſſideo *Aetii Amideni libros quatuor priores rei medicae, et Hippocratis Aphoriſmos*, cum commentario, in *Codice bombycino* formae maioris ordinis octaui, ſcriptos, prout vterque *Catalogus bibliothecae Vffenbachianae* habet. Sed cuius charta bombycina noſtrae linteae nimis ſimilis videtur. Illud vnum addo, MONTEFALCONIVM *l. c.* annotaſſe, aliquot editiones Aldi Manutii Venetiis emiſſas in charta bombycina eſſe; cum haec charta e Graecia vicina ad Venetos manauerit.

X. De codicibus, ex CHARTA LINTEA, quae recentior eſt, compoſitis, non eſt, quod hoc loco multa commemoremus, cum vetuſtiorum potius codicum rationem nunc habeamus. Interim, quamuis haud conſtet, quo potiſſimum tempore, et a quo homine, primum inuenta ſit haec noſtra charta, quae ex contritis ac maceratis veterum linteorum reliquiis conficitur; id tamen ſatis euidenter ALLATIVS, MABILLONIVS, aliique, demonſtrarunt, nullos facile codices ex hac ipſa charta compactos ad aetatem ſexcentorum annorum pertingere. MONTEFALCONIVS etiam, *T. III. Supplem. Antiquit. p. 117*, fatetur, etſi magna diligentia per Italiam atque Galliam bibliothecas luſtrauerit, itemque Archiua, quantum licuerit, ſe tamen nec librum vnquam, nec folium quodpiam ex detritis pannis linteisque, inueniſſe, quod S. Ludouici aetatem praeceſſerit. Etiam LEO ALLATIVS, in *Animaduerſionibus ad Antiquit. Etruſcas Inghiramii*, §. *LII et ſeqq.* multus in eo eſt, vt probet, non magnam eſſe chartae linteae antiquitatem. Vetuſtiſſimum de hac charta teſtimonium HADRIANVS VALESIVS, *in notis ad Panegyricum Berengarii Auguſti*, et IO. MABILLONIVS, *de re diplomat.* e PETRI MAVRICII, Venerabilis Abbatis Cluniacenſis (qui anno 1157 mortuus eſt) *tractatu contra Iudaeos*, repetierunt: vbi is memorat, libros ſuo tempore lectos, qui *ex raſuris veterum pannorum confecti* erant. Quia vero non ſatis liquet, vtrum Petrus Venerabilis pannos xylinos bombycinosque, an iam lineos, intellexerit; (meminit enim *panniculorum bombycinorum* iam IVVENALIS *Satyr. VI, v. 259*,) dubitari adhuc poteſt, an omnino chartae linteae praeparandae artificium ad Petri illius venerabilis locum ſit referendum? GEORGIVS PASCHIVS, *cap. VII Inuentorum Nou-antiqu.* annotauit, eſſe quosdam, qui noſtrae

chartae

chartae ex linteolis contritis conficiendae artem, demum A. C. CIↃ IↃ L, Basileae inuentam esse affirment. At enimuero, si hi generatim modum praeparandae linteae chartae intellexerint, haud parum falsi fuerunt, Neque enim solum, quod PASCHIVS monet, hunc errorem iam BOHVSLAVS BALBINVS, *in Miscellan. Historicis regni Bohemiae, cap. 22*, refutauit, eo quod non paucos in charta nostra scriptos codices ante Annum CIↃCCCXL Bibliothecae ostendant; sed MABILLONIVS etiam, *de re diplom. c. VIII*, affirmat, sibi visam esse Ioinuellei Epistolam ad Sanctum Ludouicum Regem Galliae in charta nostra vulgari exaratam. Iam vero aliunde constat, Ludouicum hunc demum anno CIↃCCLXX, ex vita discessisse. Quid, quod LAMBECIVS, *T. V Biblioth. Vindob. p. 34*, memorat codicem manu exaratum Theologicum Graecum, eumque chartaceum et perantiquum, quem A. C. CIↃXCV scriptum esse, ex adiecta librarii nota ostendit. Verum puto, illum codicem esse bombycinum; qualem et MONTEFALCONIVS refert. Neque enim adhuc animaduerti, LAMBECIVM chartae bombycinae et recentioris linteae discrimen in recensendis codicibus simul annotare solere. Vtcunque est, facile largimur, ante saeculi decimi tertii exitum, chartae nostrae vsum in conscribendis codicibus vix inualuisse; neque negamus, artem ipsam huius chartae praeparandae, temporis successu, sua incrementa, aut certe magis expeditas rationes, cepisse. Placet huc transferre, quomodo ANGELVS ROCCHA a CAMERINO, p. 382, in *Bibliotheca Vaticana*, A. C. CIↃIↃXCI Romae euulgata, (qui liber non tam obuius alias esse solet,) chartae recentioris conficiendae modum sua aetate vsitatum descripserit. *Fit charta nostra*, inquit, *ex telis et linteolis in frusta secatis, et in mortario ligneo, interiori tamen atque inferiori parte mortarii ferro cooperta, ferreoque pistillo contritis; quae quidem prius quindecim dierum spatio in aqua marcescunt; deinde dum teruntur, perpulchro sane artificio, lauantur, atque ita, vt fluxibilitate et albedine lacteum repraesentent colorem. Postquam vero huius generis massa quatuor ac viginti horarum interuallo contrita in materiam subtilem ac fluidam redacta est, illa eadem super forma, siue, vt aiunt, modulo filis aeneis secundum latitudinem, longitudinem et profunditatem, folii, quod faciundum curatur, confecto, extenditur, deinde ipsum chartae folium ad aerem exsiccatur. Vbi vero exsiccatum est, in aquam, in qua excocta sunt pellium bouillarum residua, siue nerui, immittitur,*

et

et ſtatim inde, ex aqua ſcilicet illa, h. e. glutino, extrahitur, et ad aerem iterum exſiccatur, exſiccatumque ſuper tabula lapidea, fruſto marmoris fricatur et expolitur. Conferatur cum hac deſcriptione conficiendae recentioris chartae, ea, quam ante ROCCHAM, FRANC. MAR. GRAPALDVS, *in Onomaſtico ſuo L. II, c. 9*, expoſuit, quae in non nullis ab antecedente recedit. *Apud nos hodie*, inquit, *charta e linteis cannabinisque pannis veteribus et attritis producitur; ſecti in fruſtula aqua diſperſa dies II macerantur, et in pila aquaria pilis ferratis minutim contuſi, addita calce, in alteram transferuntur, exemtos deinde in aquaria tina cum poſuerint, formis aquam pannis alternatim ingeſtis praelo calcantur, aedificioque ad id patulo prius ſiccata; mox glutino, facto ex pellium quisquiliis, ſiue ramentis, quae coriarii et membranarii reponunt ad hunc vſum feruefactis intincta; rurſus ſiccata, et vitro laeuigata, aptiſſima redduntur* ad tolerandos calamos, et atramentum non transmittendum. In hoc Parmenſes chartae ſibi principatum vindicarunt, cum in candore prae ceteris Fabrianae commendentur. Fiunt autem plura chartarum genera. Regalis, quae Regia, inter macrocola magnitudine reliquas apud nos antecellit: vnde nomen ſortitur, olim Claudiana appellata. At Bononiae Regia maior eſt Imperialis, libris templorum ad muſicam per horas officiales idonea, quae olim Hieratica. Vtrum adhuc hodie idem prorſus modus conficiendae chartae linteae retineatur; id nos quidem necdum ſatis exploratum habemus. Id vero optem, vt characteres et ſigna chartulariorum, inprimis coaeuorum, quibus ſingulae plagulae notari ſolent, ſtudioſius indagentur, atque annotentur. Non enim ſolum LEO ALLATIVS, *ad Antiquitates Etruſcas, n. LXXVII*, variis exemplis comprobauit, quantum huiusmodi inſignium conſideratio identidem fecerit ad fraudes ſuppoſitorum ſcriptorum etiam in ipſis iudiciis forenſibus detegendas; ſed ex iisdem ſignis etiam veriſimiliter hariolari liceret, vbi, et quando, et a quibus typographis, impreſſi fuerint libri nonnulli, qui ſub incunabula typographiae nullum vel typographi, vel loci, nomen annotatum referunt.

XI. Sed neque illud praetermittendum eſt, reperiri aliquando codices ex varia materia, et potiſſimum ex membranis, et ex charta Aegyptiaca, vel corticea, vel etiam recentiori, ſimul compactos. Cuius generis codices duos ſuperſtites commemorat MABILLONIVS, *L. I de re diplom. c. VIII.* Alter extitit in Petauii, Senatoris Pariſienſis, Bibliotheca; qui varios Auguſtini ſermones com-

complectens nouem quaternionibus constare, et ita compactus esse dicitur, vt papyraceis plagulis membraneae sint intermistae, ita, vt primus quaternio intra bina, vt aiunt, folia membranea contineat vnum papyraceum; secundus quinque papyracea; tertius quatuor intra duo folia itidem membranea; quartus septem papyracea geminis membraneis inclusa, et sic in reliquis. Taceo nunc alterum eiusdem fere conditionis codicem, cuius compacturam itidem MABILLONIVS descripsit. Sed et memini, a NESSELIO aliquoties annotari, etiam in Augustissima Bibliotheca Vindobonensi codices partim ex membrana, patrtim ex charta, compactos, reperiri; vti videre licet, in *Catal. Part. IIII, n. CCLXXXVI; Part. V, n. XXXX, et alibi.* Monet vero MABILLONIVS, de altero codice, ex commistis chartis membranisque constructo, id obseruasse Petrum Buissonium, corticis scripturam longe saniorem esse membranea; et hinc putat, hanc rationem impulisse non nullos, vt ad scripturae firmitatem membranis cortices praetulerint; sed corticibus conseruandis ac sustentandis supposuerint membranas. Obseruauit hunc morem etiam MONTEFALCONIVS *Tom. III Antiquit. p. 352, et T. III Supplem. pag. 206.* Quo posteriore loco ait: *Demum eo ventum est, vt chartae papyraceae cum pergamenis, aut vitulinis, miscerentur, in quibus additis vitulinis chartis scriptura continuabatur; itaque post quatuor, quinque, sex, vel etiam aliquando septem, folia papyrea, duae vitulinae chartae apponebantur. Illud vero quisque videre possit in papyreo Coenobii San-Germanensis libro, qui partem epistolarum S. Augustini complectitur.* Quid? quod eadem ratio membranarum chartis miscendarum aliquando etiam sub initium inuentae typographiae in libris impressis obtinuit. Exempli loco esse potest *Durandi Rationale officiorum diuinorum*, quod iam A. CIↃCCCCLVIIII, Moguntiae a Iohanne Fausto, et Petro Gernsheim, meris membraneis impressum possidemus. At illustris VAL. FERD. a GVDENVS, in *Recensione Codicum impressorum Bibliothecae Moguntinae, Syllogae variorum Diplomatariorum adiecta, pag. 401*, annotauit, eiusdem libri exemplar ibi extare *pergameno et chartae mixtim impressum.*

XII. Singulae partes, ex quibus constabat codex cuiuscunque materiae, dicebantur plerumque *tabulae*, vel *tabellae;* quae alias etiam dicuntur *folia.* Hinc MARTIALIS, *L. XIV, Epigr. 192,* de Ouidii Metamorphosi in membranis, h. e. in codice membraneo, scripsit:

Haec tibi, multiplici, quae structa est massa, tabella,
Carmina Nasonis quinque decemque gerit.

Ac idem Poeta *primam tabellam* vocat, quod alias vulgo dicitur *primum folium*, quando de Virgilio in membraneo codice sic scribit, *L. XIV, Epigr. 136*:

Quam breuis immensum cepit Membrana Maronem!
Ipsius vultus prima tabella gerit.

Hinc non solum pugillares, sed etiam ipsi integri codices ex variis tabellis compacti, *tabulae* vocabantur. Ergo et CICERO, in *oratione pro Q. Roscio*, et alibi, quem librum *codicem accepti et expensi* dixerat, eundem et *tabulas accepti et expensi* apellauit. Necesse vero erat, vt, ad nostrorum codicum exemplum, aliquam τετράδος, seu quadratae figurae, speciem haberent. Vnde *Veteres Glossae verborum iuris*, quas CAROL. LABBAEVS euulgauit, monent, testamentum cuicunque materiae inscriptum, si sit quadrata forma, appellari *tabulam*. Ἰστέον, ὅτι τὸ μὲν ἐν σχήματι τετράδος ἐξ οἵας δήποτε συντιθέμενον καὶ δεχόμενον τὴν διαθήκην, Ταβέλλα λέγεται· τὰ δὲ ἐξειλήματα χάρτε, αὐτὸ τοῦτο χάρτης καλεῖται. Illae codicum tabulae, siue *folia*, Graece dicebantur πτυχαὶ, vti in EVRIPIDIS *Iphigenia, v. 98 et 760*, legimus: ἐν δέλτε πτυχαῖς γράφειν. Item πτυχία, et πτύχες, ἀπὸ τοῦ πτύσσειν, a *plicando*, quia ex membranarum chartarumque complicatione codicum tabulae plerumque existunt; haud secus ac πτύχες etiam in scutis dicuntur coria alia super alia complicata. Inde, vti suo tempore ostendemus, δίπτυχοι, τρίπτυχοι, πολύπτυχοι, pugillares dicebantur, qui ex duabus, vel tribus, vel pluribus tabellis, constabant. Sed et illa ipsa nomina, πτύχες, πυκτίδες, πτυχία, haud secus ac *tabularum* nomen Latinum, συνεκδοχικῶς aliquando de ipsis integris, iisque compactis codicibus dicebantur. Illae autem ipsae tabulae, siue *folia* codicum, ab Atticis quoque dicebantur θύραι, aut θυρίδες, quasi *ianuae;* quia tabellae e dorso libri, ceu ianuae e cardinibus, suspendi solebant. Hoc testatur HESYCHIVS: Θυρίδας Ἀττικοὶ τὰς τῶν γραμμάτων πτυχὰς λέγουσι. Vnde γραμματεῖον δίθυρον idem erat, ac δίπτυχον, h. e. *libellus constans duabus tabellis.* Non tam dixere τρίθυρον, et sic porro; cum tamen dicerent τρίπτυχον, πολύπτυχον, h. e. libellus constans tribus aut pluribus tabellis. Hoc testatur POLLVX, *L. IV, c. 2*; quem ipsum adire licet. De nomine aut θυρίδων et διθύρων plura afferuntur in *T. IX Biblioth. select.* a IO. CLERICO *Gallice*

lice scriptae, *p. 187.* Istae codicum tabulae Graecis medii aeui dicuntur saepius φύλλα, vti nobis Germanis *die Blätter.* Imo et ISIDORVS HISPALENSIS Latine dixit *folia*, *Libro VI orig. c. 14:* FOLIA, inquit, *librorum appellata*, *siue ex similitudine foliorum arborum; seu, quia ex follibus fiunt*, *id est*, *ex pellibus*, *quae de occisis pecudibus detrahi solent*, *cuius partes dicuntur* PAGINAE; *eo quod sibi inuicem compingantur.* Nimirum quaeuis *tabella* duas habebat *paginas*, aduersam et auersam; ita, vt exempli caussa libellus δίθυρος, siue δίπτυχος, constans duabus tabulis, siue foliis, referret quatuor paginas. In tabellis ceratis aliquando istae paginae absolute appellatae sunt *cerae.* Vnde *prima cera*, *altera cera*, *vltima cera;* dicebantur, prima, secunda, vltima pagina tabularum ceratarum. Numerarunt autem antiqui, atque aliquando, prout nos solemus, fortasse numeris designarunt, paginas codicillorum codicumque. Hinc PLINIVS, *Libr. IV*, *Epistol. 11: Ego*, inquit, *non paginas tantum*, *sed etiam versus syllabasque numerabo.* Libri acceptorum et expensorum ordinarie codices ex tabellis compacti fuere: at de his scribit MARTIALIS, *L. VIII*, *Epigr. 44*: *Centum explicentur paginae Calendarum.* Idem iam alibi ex antiqua inscriptione, quam PIGNORIVS, *in Symbolis epistolicis*, affert, annotauimus, vbi haec legebantur: COMMENTARIVM. COTTIDIANVM. MVNICIPI. CAERITVM. INDE. PAGINA. XXVII. KAPITE. VII. Graeci paginas proprie appellarunt σελίδας. Sic in *Antholog. Gr. L. III*, *c. 26*, *Epigr. 74*, legimus: Μνῆμα σὸν, ὦ Θεόδωρε πανατρεκὲς ὐδ᾽ ἐνὶ τύμβῳ· ἀλλ᾽ ἐν βιβλιακῶν μυριάσι σελίδων. h. e. *Monumentum tuum*, *o Diodore*, *reuera neque in tumulo est*, *sed in librorum mille paginis.*

XIII. A paginis et tabulis differebant *duerniones*, *terniones*, *quaterniones*, *quinterniones*, siue *duerni*, *terni*, *quaterni*, et cetera. Quae nomina potissimum medio aeuo vsurpari coeperunt; sed et post inuentam Typographiam saepius in libris, typorum subsidio exscriptis, annotata leguntur. Nimirum tabulae, ex quibus componebantur codices, non semper erant singulae, neque sigillatim consuebantur, ac connectebantur; nisi vbi illud in codicibus aeneis, eboreis, ligneisque fieri necesse fuit; sed in membranaceis chartaceisque codicibus, propter firmitatem maiorem, plures chartae membranaeue, et aliquando quidem binae, vel ternae, vel quaternae, aut amplius, prius sibi inuicem inserebantur, ac sic consertae, vbi opus erat ad aperiendum, dissecabantur, et demum

consuebantur, compingebanturque. Frequentius commemorantur *quaterniones*. Ego existimarem, sic olim dictas fuisse binas tabellas duplicatas, sibi inuicem insertas, quae ad modum nostrarum plagularum, si quando in ordinem quartum compaginantur, quatuor tabellas, siue *folia*, et octo paginas, exhibuerint; adeoque quaterniones non fuisse, nisi quatuor folia simul iuncta (*ein Hafft von vier Blättern.*) Atque ita etiam CAROLO FRESNEO, *in Glossario Graeco*, *τετρὰς*, *τετράδιον*, *τετραδίσκιον*, *quaternio*, dicuntur *quaterna folia simul iuncta*. Constat enim nomen *τετράδων*, et *τετραδίων*, non solum singulis tabellis codicum, aut etiam ipsis integris codicibus, datum fuisse; (prout et integri libri posteriori aeuo *quaterniones* dicti sunt,) sed etiam de consertis pluribus foliis vsurpatum esse. Huc pertinet locus ex NILI MONACHI *libro de octo vitiis*, in *citato Glossario* allatus, vbi ille desidem lectorem descripsit, qui paullulum legat, et saepe respiciat reuoluatque finem libri, ac *folia*, quae legenda restent, numeret, et *quaterniones* quasi ad calculum vocet. Πάλιν, inquit, *ἀναστρέψας ἀνέγνω μικρὸν, καὶ ἀναπτύσσων, τὰ τέλη τῶν λόγων περιεργάζεται, ἀριθμεῖ τὰ φύλλα, καὶ τετράδας ἐπιψηφίζει.* Sed deprehendo, a MONTEFALCONIO, et aliis quibusdam, eam rem paullo aliter explicari. Illi enim, *in Palaeographia Graeca*, *L. I, c. 4*, *Quaterniones librorum* dicuntur constare quatuor foliis duplicatis, ac sibi inuicem insertis, quae adeo octo folia, sexdecimque paginas, efficiant. Vtcunque est, in scriptoribus medii aeui crebrior fit mentio *quaternionum*, quae partes erant, ex quibus compingebantur codices. Argumento inter alia est locus, quem CAROLVS FRESNEVS, in *Glossario Lat. ex* GREGOR. TVRONIENSI attulit: *Transmittimus librum canonum, in quo erat quaternio nouus annexus; habens canones quasi Apostolicos.* IO. TZETZES, *Chiliad. IX, v. 284, seqq.* commemorat, se ἐξήγησιν Homeri, Augustae iussu, scripturum, primum perscripsisse *τετραδίσκια τῶν σμικροτάτων*, *minimos quaterniones*, vno quoque non amplius capiente, quam octo et octoginta versus cum margine; et pro singulis accepisse *duodecim aureos ex albo auro*; deinde vero ab administro Augustae monitum in *quaternionibus maximis* scripsisse. Ita nimirum iam tum viri docti operam suam in libris scribendis addixisse aliis videntur, vt pro singulis *quaternionibus* certam pecuniae summam acciperent; vti hodie aliquando Bibliopolae quibusdam scriptoribus, pro plagularum numero, certum pretium constituunt. Dantur porro etiam exempla *ternionum*, et *quinquennionum*. MA-

BILLO-

BILLONIVS, *de re diplom. L. I, c. 8*, deſcribit codicem quendam, Auguſtini non nullos tractatus complectentem, eumque ait adhuc conſtare ſeptem *quinquennionibus*; quemlibet *quinquennionem* continere vnum folium membraneum, et quatuor papyraceos, ſeu corticeos, membraneo incluſos; habere vero omnino tria et ſexaginta folia; quindecim videlicet membranea; corticea vero quadraginta et octo. MONTEFALCONIVS, *l. c.* memorat, *terniones* quoque non nunquam in codicibus Graecis obſeruari, et in Chronico quodam Bibliothecae Regiae, *terniones* et *quaterniones*, τρισσὰ et τετρασσὰ vocari: in quibusdam autem codicibus eosdem quaterniones literis numeralibus annotari; vnde intelligi queat, quot quaterniones, imo et folia, in mutilis codicibus deficiant. Sic et EVSEBIVS *de vita Conſtantini Imp. Libr. IIII, cap. 37.* ſcribit, ſe ad hunc imperatorem miſiſſe ἐν πολυτελῶς ἠσκημένοις τεύχεσι τρισσὰ καὶ τετρασσὰ, h. e. *terniones et quaterniones in codicibus* magnifice exornatis. Eadem ratione aliquandiu ab initio Typographiae inuentae, non ſolum codicum chartae et membranae, in *duerniones*, aut *terniones*, aut *quaterniones*, aut *quinquenniones*, vti et hodie, diſtruebantur; ſed etiam horum numeri, in calce libri, plerumque indicabantur. Ita, exempli cauſſa, Lud. Caelii Rhodigini Lectionibus antiquis in Aedibus Aldi anno CIↃ IↃ XVI in forma maiori excuſis, in fine libri, haec verba adiecta leguntur: *Omnes ſunt quaterniones, praeter DD et FF duerniones, et B quinternionem.* Complectitur vero in iſto libro quiuis *quaternio* octo folia; *duernio*, quatuor; et *quinternio*; decem. Neque alia ratio fuit librorum minoris formae. Sic enim, exempli cauſſa, in Orthographia ab Aldo Manutio edita, ſinguli *quaterniones* octo *folia*, et haec ſexdecim paginas, exhibent. Sed mitto haec, quae vulgaria ſunt, quanquam non prorſus ab hoc argumento aliena.

XIIII. Iſtae tabulae, ſiue *folia* Codicum, ex vtraque pagina perſcribebantur, ſecus ac in voluminibus perſcribendis fieri conſueuerat. Haec enim ordinarie non erant *opiſthographa*; h. e. haud vtrinque, et a facie et a tergo, deſcribebantur; vnde et facile in magnam molem excreſcebant, prout iam alibi demonſtrauimus. Codices contra, quorum tabellae, ſiue *folia*, ex vtraque parte ſcribebantur; ſi quidem ſuccincte compingerentur, ampliſſima ſaepe ingeniorum opera capiebant, quibus capiendis vix plura volumina ſuffeciſſent. Hac ratione quoddam MARTIALIS epigramma recte

interpretatus est SALMASIVS, in *Commentar. ad Vopiscum*, *in vita Firmi*. Poeta enim de *Liuio in membranis* scripsit:

Pellibus exiguis arctatur Liuius ingens,
Quem mea vix totum Bibliotheca capit.

Innuere enim voluit MARTIALIS, Liuii historiam in tabulis membranaceis perscriptam in exiguo Bibliothecae spatio arctari posse; quam in chartae voluminibus scriptam vix tota sua Bibliotheca, siue librorum scrinium, caperet. Conferatur IS. VOSSIVS, *in Comment. ad Catullum*, *p. 3*. Quamuis vero tabulae codicum ex vtraque parte, in aduersa pariter atque auersa pagina, perscriberentur; non tamen id in omnibus pari ratione obseruatum animaduertitur. Ordinarium et vulgare est, vt adhuc hodie in codicibus per latitudinem cuiusuis tabellae, a sinistra dextrorsum scribatur, adeo, vt vulgo versus quiuis (qui hodie vulgo dicitur *linea*,) a sinistra ora paginae coeptus, in dextra eius ora desinat, nisi quod circumcirca margo quidam vacuus relinquatur, quod et antiquis solenne fuisse, antehac ostendimus; vel scriptura in latiore charta in columnas, siue areas quasdam, diuidatur. Idem obseruatur in antiquissimis Codicibus Graecis Latinisque. In multis singuli versus per totam paginae latitudinem extenduntur. In quibusdam paginae in duas columnas diuiduntur: neque id solum, quando aliquis codex duabus diuersis linguis exaratus est; quemadmodum NESSELIVS,* *in Parte I Catalogi Biblioth. Vindob. n. CXXXVII*, describit Codicem manu scriptum Theologicum, membranaceum, eumque antiquissimum, qui *Dialogos Gregorii Magni* continet; cuius vnaquaeque pagina diuisa est in duas columnas, quarum prima, siue dextra, memoratorum Dialogorum translationem Graecam a Zacharia Papa compositam; altera autem columna, siue sinistra, ipsum Gregorii Magni textum Latinum, antiquis et lectu difficillimis literis Goticis, siue Toletanis, exaratum complectitur. Sed etiam codices vetusti vna tantum lingua perscripti duas saepe referunt columnas. Ita eidem NESSELIO, *Part. V Catal. Biblioth. Vindob. n. VI*, memoratur Codex manu scriptus Historicus Graecus, isque membranaceus et peruetustus, forma maiore, ac magna ex parte aureis literis magnificentissime atque elegantissime exaratus, et *Magni Menologii Graecorum Mensem octobrem* complexus, cuius itidem singulae paginae in binas columnas diuisae dicuntur. Taceo longe plures huius generis codices passim annotatos. Non mihi tamen temperare possum, quo minus hac occasione mentionem

faciam

faciam *Pandectarum Florentinarum*, celeberrimi illius et venerandae antiquitatis Codicis; qui, amplissimo BRENCMANO referente, candidissimis tenuissimisque membranis inscriptus, et in duo volumina distinctus est; quorum alterum libros XXVIIII, alterum XXI reliquos, continet. Haec autem volumina formae sunt prope quadratae, ita, vt altitudo duobus tantum digitis latitudinem superet. Praeterea haec *volumina* certis quibusdam *quaternionibus*; vel *quinternionibus*, constant. De quibus ita ANT. AVGVSTINVS, *Libr. I Emendat. cap. I: Solent librarii, vt facilius conglutinent libros, collectiones quasdam chartarum facere, quas nouo verbo Quinterniones, aut Quaterniones, Graeci πεντάδια, appellant. His variis modis Pandectarum scriptores vsos animaduerti, denis saepe et octonis chartis; quaternis nonnunquam et senis, collectionem illam componentes, prout librorum diuisio patiebatur.* Hos autem *quaterniones*, initio singulorum, infra ad oram paginae interiorem, numeris Romanis signarunt, ne scilicet, ligato nondum codice, facile confunderentur membranae; paginas vero non signarunt numeris, vti hodie. Ceterum, quaelibet pagina *in duas columnas* diuiditur; quae singulae *versus quadraginta quinque* continent. Denique singuli versus, siue *lineae*, exemplaris Florentini, complectuntur litteras circiter triginta. Insuper singularum paginarum intercolumnium, vt et margines, item versus singuli, circino distributi descriptique fuere. Sunt enim ibi lineae certo instrumento ad regendam scripturam ductae, quasi sulci quidam litteris in ordinem ferendis exarati, impressique: quemadmodum istae, quae desuper ductae, margines et intercolumnium determinant, quasi carceres et meta, quibus scriptura vtrinque continetur. Scriptura ipsa huius Codicis est maiuscula et continua, eodemque ad *καλλιγραφίαν* referenda: nulla ibi sunt aut perquam rara dictionum interualla, multo minus interpunctiones *commatum* aut *colorum* sine vlla vel clausularum vel vocum, distinctione, nisi rarissimis punctis. Etiam ipsae litterae prisco more sunt singulae seorsum, nulla iunctura, nullaque connexione, sed velut insulatim, positae. Verum haec de *Pandectis Florentinis* iam sufficiant, quae laudatissimus BRENCMANVS vberius exponit. Redimus a columnas. MONTEFALCONIVS, *in Paleograph. Graec. L. I c. 4* obseruat, in paucissimis codicibus *triplicem columnam* inueniri; vt in antiquissimo codice Ambrosiano, partem Bibliorum complectente; de quo Auctor egit, *in Diario suo Italico, p. 11.* Pertinet huc *Codex Dionis*

Cassii

Cassii Vaticanus 1288, a Leunclauio primum editus, qui librorum eius LXXVIII et LXXVIIII reliquias continet, et membranaceus est, grandioribusque litteris scriptus; illumque FVLVIVS VRSINVS, cuius fuit, tantae quidem antiquitatis esse censuit, vt sibi fere ipso Dionis aeuo exaratus videretur. Ex *columnis tribus* singulae ipsius paginae constant; quae vero orae illius propiores sunt, iniuria hominum dimidiatae fuere, sic, vt asterisci, qui in editione Leunclauii passim occurrunt, non verbum, vel vnam atque alteram lineam in codice deficere, sed vt plurimum duas saltem columnas integras in eo desiderari, significent. Quam narrationem debemus VIGNOLIO, eruditissimo Italorum, cum viueret, in *diss. II apologetica de anno primo Imperii Seueri Alexandri Aug. pag 92.* Sine dubio etiam IO. TZETZES, *Chiliad. IX, v. 291*, in sequentibus verbis significare voluit, se *in magno quodam quaternione* singulas paginas *per ternas columnas* scripsisse:

Λαβὼν δέ τι τετράδιον μέγιςον ἐγεγράφειν
Τριπαγισμοῖς ἐν ςιχισμοῖς.

Aliunde vero constat, Graecos eam scribendi rationem, quae, vti in hac charta, complet totam paginam, ita, vt singuli versus per totam quadratae paginae latitudinem, excepto margine, extensi, quadratum agmen vel laterem repraesentent, dixisse γραφὴν σπειρηδὸν καὶ πλινθηδὸν σχηματιζομένην; paginas vero duarum triumue columnarum vocasse διπάγια καὶ τριπάγια. Id certe indicat EVSTATHIVS, ad *Iliad. Φ pag. 1305, edit. Rom.* ὅτι δὲ καὶ ἡ ἐν βίβλοις γραφὴ ὕτως ἐτάττετο σπειρηδὸν, καὶ πλινθηδὸν σχηματιζομένη, ἀλλὰ καὶ πυργηδὸν κατὰ βάθος ὅθεν ἐξεύρηνται, καὶ τὰ κοινῶς διπάγια λεγόμενα, καὶ τριπάγια, ἑτέρωθέν ἐςι γνῶναι i. e. *Quod vero aliquando etiam scriptura in libris disponebatur, non solum in formam corbis superiore parte amplae et paullatim in angustum desinentis; sed et in formam quadrati laterculi; sed et turris instar per altitudinem; vnde etiam quae vulgo bipaginae, vel tripaginae (siue paginae duarum triumue columnarum) dictae, inuentae sunt, aliunde cognosci potest.* De variis scripturae formis, adeas, si lubeat, virum Celeb. I. A. FABRICIVM, *Libr. I. Biblioth. Graec. cap. 27.* Saepe autem accidisse, vt versus diuersarum *columnarum*, siue σελίδων, per ignorantiam, aut oscitantiam librariorum, fuerint confusi, multisque scriptorum locis hinc corrumpendis dederint occasionem, viri eruditi dudum obseruarunt, et sigillatim exemplo quodam probauit HVETIVS *de rebus suis, pag. 145.* De forma scripturae hoc vnum addo,

quod

quod Theodoſius, teſte NICEPHORO, *L. XIV, c. 3*, pulcherrime ſcripta habuit Euangelia, eaque aureis literis diſtincta, quorum paginae *crucis formam* retulerunt. Neque vero puto, ipſas paginas membranaceas, quam potius verſus in paginis ſcriptos, crucis formam repraeſentaſſe; quale quid in Optatiani Porphyrii Panegyrico, quem is Conſtantino Auguſto dedicauit, aut Rabani Mauri opere de cruce, obſeruare licet. At illud adhuc paucis memorare liceat, veteres aliquando, inprimis in minoribus libris, codicillisque, etiam transuerſis verſibus animi ſui ſenſa ſcripſiſſe; vti GRVTERVS et VRSATVS in aereis illis tabellis Pinellianis, quas ſupra deſcripſi, obſeruarunt. Neque de alio, niſi hoc ſcribendi modo, commode intelligere licet verſiculos ſequentes, quos a Baldrico Burgulienſi quondam in codicillos ſuos compoſitos, MABILLONIVS affert, *in Supplement. de re Diplomat: c. XI.*

In latum verſus vix octo pagina veſtra;
In longum vero vix capit hexametrum.
Attamen in vobis pariter ſunt octo tabellae;
Quae dant bis geminas paginulasque decem.
Cera namque carent altrinſecus exteriores;
Sic faciunt octo quattuor atque decem.
Sic bis ſex capiunt, capiunt et carmina centum;
Id quoque multiplices paginulae faciunt.

XV. Venimus ad deſcribendam codicum veterum magnitudinem. Haec non fuit vnius moduli; ſed plerumque rationi materiae, quae ſcribenda erat, accommodata. ISIDORVS HISPALENSIS, *Origin. L. VI, c. 13: Quaedam*, inquit, *nomina librorum apud gentiles certis modulis conficiebantur: breuiore forma, carmina atque epiſtolae; at vero hiſtoriae maiore modulo ſcribebantur.* Habuerunt ergo et *paruos codices*, quos etiam inde *codicillos* vocarunt; habuerunt *mediocres*; ita ſupra, *n. XIII*, ex MABILLONIO deſcripſimus codicem ex corticeis membraneisque tabellis compoſitum, cuius ſingulae tabellae in altum pollicibus XVI, in latum X, fuere. Habuerunt etiam *codices grandes*, quorum iam ſupra mentionem fecimus. Neque exiguae molis librum innuit Poeta IVVENALIS, dum Hiſtoriarum ſcriptores, *Satyr. VII, v. 98, ſeqq.* ita alloquitur:

Vester porro labor fecundior, historiarum
Scriptores: petitur plus temporis, atque olei plus;
Namque oblita modi millesima pagina surgit
Omnibus, et crescit multa damnosa papyro:
Sic ingens rerum numerus iubet, atque operum lex.

Haud sane dubium est, magnae quoque molis fuisse *laterculum maius*, cuius figuram, *Tab. II, n. 2*, ex *Notitia dignitatum vtriusque imperii, cum commentar.* GVID. PANCIROLLI, *p. 61 et 146*, itemque ex WOLFG. LAZII *Commentar. Reipubl. Rom. L. II, c. 4*, exhibemus. Dicebatur quippe *laterculum maius* codex maior (erat enim praeterea *laterculum minus* eiusdem fere generis codex) in quem nomina omnium, qui dignitates tam ciuiles, quam militares, administrabant, eorumque insignia et stipendia, itemque acta et mandata Principum, referebantur; vnde et alias vocabatur *commentarium Principis*. Qui codex curae Primicerii notariorum erat commissus: a quo pariter ac eius scribis, qui honoris caussa *Tribuni notarii* dicti sunt, tractabatur; vnde et isti notarii ab hoc codice *laterculenses* appellati putantur. Ipse vero codex iste, quod ex TERTVLLIANO probatur, iam Antoninorum Imperatorum aetate nomen *laterculi* habuit; haud equidem a *latendo*, quod LAZIVS putauit; quia in eo codice *latuerint* arcana Principum; sed potius, quod iam PANCIROLLVS auctoritate CEDRENI inductus recte animaduertit, *a latere*; i. e. lapide cocto, et in aliquam formam quadratam parato. *Later* vero, tradente ISIDORO, *L. XIX, c. 10*, *a lata forma* dicitur. Cui πλίνθος et πλινθίον respondet. Quia ergo hic codex ex quadratis tabulis constabat, et quandam *quadrati lateris* figuram referebat; κατ' ἐξοχὴν appellabatur *laterculum*; (vti nobis diuinus codex βιβλία audit,) cum alioquin omnes codices quadrati a forma sua potuissent πλίνθινοι, siue *latercula* appellari. De forma vero et magnitudine codicum illud adhuc est obseruandum, viros eruditos inter externa antiquitatis codicum cognoscendae indicia habere solere, si codices ad amussim quadratam formam habeant, ita, vt longitudo latitudinem non facile excedat. Ac forte huc etiam sua aetate respexit ALCVINVS, qui *Poemate VII*, scripsit:

Plurima hic Praesul patrauit signa stupendus;
Quae nunc in chartis scribuntur rite quadratis.

Cuius-

Cuiusmodi quadra figura aiunt fere vetustissimos quosque esse codices, qui adhuc supersunt. Huç pertinet Virgilius, maiusculis literis scriptus in *quarto quadrato*, teste LVCA HOLSTEINIO, omnium codicum Mediceae Bibliothecae antiquissimus, mille ducentorum annorum, circa Valentis aut Theodosii tempora scriptus. In quo catalogo codicum rarissimorum Bibliothecae Mediceae, (quem V. Cl. MICH. LILIENTHALIVS inter *Selecta sua Historica et litteraria* euulgauit,) etiam Liuii, Taciti, aliorumque antiquissimi codices in *quarto quadrato*, vt aiunt, memorantur. Talis etiam est vetustissimus *codex Dioscoridanus*, antea a nobis laudatus; quem LAMBECIVS eius magnitudinis esse dicit, quae vocatur *in folio*; sed forma fere quadrata, CCCCXCI *folia*, siue tabulas, comprehendens. Sic et MONTEFALCONIVS, *l. c. p. 187*, refert, codicem Colbertinum, qui particulas quasdam Graecas Script. S. continet, et quo ille nullum alium codicem, ex iis, qui supersint, vetustiorem esse opinatur, esse forma penitus quadra. Neque tamen illud adeo perpetuum est, quin aliquantum ab illa accuratiore forma quadrata non nunquam recesserint vetusti codices. Ita idem LAMBECIVS, *T. II Bibl. Vind. p. 799*, scribit, codicem membranaceum Latinum, qui quendam Rufini commentarium continet, esse in *quarto oblongo*, ante mille ducentos annos litteris maiusculis, et absque singularum vocum distinctione exaratus. Ac saepius laudatus MONTEFALCONIVS, *L. III Palaeogr. Gr. c. 5*, tradit, inter praestantissimos codices iure numerandum esse illum *Iesuitarum Collegii Ludouici Magni* codicem, qui *Graecas vitas et Epitomas Prophetarum* complectatur; hunc vero in tenuissimis et ex parte pellucidis membranis, saeculo circiter ineunte octauo, scriptum, forma esse non vulgari; propterea quod, cum caeteri eiusdem circiter aetatis, aut quadri prorsus sint, aut latitudinem longitudine parum excedant; hic vero sic *oblongus* existat, vt eius superficies duo pene quadra complectatur.

XVI. Multa nunc praeterimus, quae ad internum codicum ornatum pertinuerunt, ne ea hoc loco repetere necesse habeamus, quae iam antehac de ornamentis librorum veterum generatim sunt exposita. Potius de constructione et compactione codicum non nihil nobis nunc differendum est. Equidem fieri potuit, vt veteres aliquando scriberent in membranis chartisque, ante-

quam eae consutae conglutinataeque essent; aliquando vero in codicibus iam consutis compactisque. Illud ostendere videntur verba VLPIANI, *L. 52 §. 5. Digest. de Legatis, III.* Sed et in codicibus iam compactis scripsisse veteres, argumento sunt haud paucae imagines vetustae. Ita videmus, apud NESSELIVM, in *Catal. Bibl. Vindob. P. IIII, p. 38*, antiquam imaginem Aristotelis; apud MONTEFALCONIVM, in *Palaeogr. Gr. L. I, c. 3* imaginem Dionysii Halicarnassensis; et inprimis apud LAMBECIVM, *Lib. II Bibl. Vindob. c. 7. p. 586*, imaginem Dioscoridis; quae omnes habitum scribentium in codicibus iam compactis referunt. Dioscoridis Icon, quam *Tab. II, Fig. 7*, aeri incisam exhibemus, reperitur in venerandae antiquitatis Codice Graeco, qui in Augustissima Bibliotheca Vindobonensi extat, ante annos mille ducentos literis in membrana exaratus, elegantibusque picturis ornatus. Ex qua Dioscoridis imagine simul veterum scribendi modum super genua animaduertere licet, de quo iam in altera disputatione egimus, et cuius praeter alios, etiam ipse HOMERVS mentionem facit, qui ab initio *Batrachom. v. 3*, ita scribit:

Ἣν (ἀοιδὴν) νέον ἐν δέλτοισιν ἐμοῖς ἐπὶ γούνασι θῆκα,

h. e. *Quot carmen nuper in tabulis meis super genua posui.* A quo more scribendi dicebantur γραμματοκύφωνες, qui summisso propensoque capite codicem supra genu tenentes scribebant, atque a multo scribendi vsu velut incuruabantur; quia scribebant ἐγκείμενοι, incumbentes: vti HIPPOCRATES de Democrito in *Epistola ad Demagetum* scribit. Vnde per contumeliam non tantum Aeschines a DEMOSTHENE, *in oratione pro Ctesiphonte;* sed et generatim *scribae humiles*, aliquando sic appellabantur, vti *Hermogenis interpres* ait γραμματοκύφων οἱονεὶ νοτάριος; conf. HENR. STEPHANVS, *in Thes. Gr. Ling.* et GVIL. BVDAEVS, *in comment. Gr. Linguae.* Iam quod ad compacturam veterum librorum attinet; vbi membranae, vel aliae ad scribendum aptae materiae, in tabularum formam, aut in τετράδια, fuere distributae; tum et consui compingique consueuerunt. MONTEFALCONIVS, *L. I Palaeogr. Gr. c. 4, p. 26*, de compactura codicum Graecorum haec breuiter tradit. *Libros*, inquit, *Graeci a multis retro saeculis ad hodiernum pene modum compingebant; distributa in terniones, vel quaterniones, folia assuebant; pelle vitulina, siue alia plerumque*

den-

densiore totum operiebant; partem supernam et infernam, qua latior liber est, tabella lignea corio agglutinata muniebant, quo firmius consisterent: plerumque, pelliceae tunicae loco, sericis librum operiebant. Haud diuersa codicum construendorum ratio Romanis vsitata fuisse videtur. VLPIANVS, *l. 52, §. 5, π. de Legatis, III*, vbi agit de libris perscriptis, meminit etiam *membranarum nondum consutarum*. Ergo *consuebantur* codices vinculis filisque quorumuis materiae connectendae aptioribus. De plumbeo libello supra, *n. V*, intelleximus, eius tabellis a tergo haerere annulum plumbeum, et per hunc annulum virgulam plumbeam inseri, quae retineat tabellas, ne dimoueantur. At eboreorum ceratorumque codicum ac codicillorum tabellas deprehendimus aliquando *taeniolis membraneis* coniunctas fuisse. Sic ALEXANDER WILTHEMIVS, *in Append. ad Diptychon Leodiense, p. 16 et 17*, vetustum *pentaptychon eboreum* describit, vbi apparuere *trium taeniarum membranearum*, quibus tabellae sibi quondam haesere, vestigia. Dimitterem has minutias, nisi ex VLPIANO paucis monendum videretur, veteres etiam libros suos, postquam eos iam perscripserant, malleo percussisse atque complanasse. Is enim, *L. 52, §. 5, Digest. de Legatis, III: Non male*, inquit, *quaeritur, si libri legati sint, an non contineantur nec dum perscripti? Et non puto contineri; non magis, quam vestis appellatione nondum detexta continetur. Sed perscripti libri nondum malleati, vel ornati, continebuntur; proinde et nondum conglutinati vel emendati, continebuntur.* Hinc simul intelligimus, etiam glutino munitos fuisse libros, vt firmius aptiusque cohaererent. Glutini vsum in libris tractandis veteribus cognitum fuisse, etiam argumento est, quod CICERO, *L. XVI, Epist. 6, ad Atticum* scripsit. *Nouum* inquit, *prooemium exaraui, et tibi misi. Tu illud desecabis, et hoc agglutinabis.* Itaque folia, quibus ea, qae deinceps minus probabant, antea inscripserant, dissecabant aliquando aliaque agglutinabant. Vt vero quodammodo appareat, quomodo vetustissimi hominum, qui, teste PLINIO, *L. XIII, c. 11*, in *foliis* stirpium scriptitasse dicuntur, etiam ista folia instar codicis coniungere potuerint; hic ea conferri possunt, quae HIERON. OSORIVS, *L. II de rebus Emanuelis, Lusit. Reg.* de Indorum scribendi ratione, et de ipsorum foliorum apta colligatione, prodidit.

XVII. Quod ad externum habitum ornatumque codicum attinet; iſtiusmodi conſutis conglutinatisque tabulis, ſiue foliis, aliquando vulgari vſu, fere ad modum vulgarium pugillarium, integumenti loco, non aliae tabulae, niſi eiusdem materiae, ex qua totus conſtabat codex, extrinſecus additae fuerunt, in quibus tamen externis tabulis ordinarie non ſcribebatur. Hoc ſimplici modo conſtructi codices peruetuſti paſſim adhuc in Bibliothecis eximiis reperiuntur; niſi, quod tabulae illae externae aliquando etiam ex fragmentis aliorum codicum membranaceorum, eorumque multo vetuſtiorum, et antehac perſcriptorum, fuerunt aſſumtae: in cuiusmodi tabulis deinceps curioſi homines identidem, meliores etiam res olim conſignatas fuiſſe, quam in ipſis, quibus poſtea adiectae ſunt, codicibus, deprehenderunt. Sequiore aeuo iſtiusmodi tabellae exteriores librorum dictae eſſe videntur alae; pro quo vocabulo *alapas* exhibet AGNELLVS, Abbas Rauennas, in *vitis Pontificum Rauennatium.* Hic enim, *P. I, pag. 133*, in vita Petri narrat, hunc *alapas* Euangeliorum ex auro optimo et gemmis lucidiſſimis feciſſe, et effigiem illius itidem factam fuiſſe. Ibi annotat BACCHIVIVS, editor Agnelli, per *alapas* iſto loco intelligi tabulas exteriores, quibus Euangeliorum liber compactus fuerit; addens, barbarum illud *alaparum* nomen Gloſſariorum ſcriptoribus ignotum eſſe. Sed recte ſuſpicantur auctores *Actorum eruditorum Lipſienſium*, *A. 1710, menſe Auguſto, pag, 335*, vbi recenſent opus Agnelli, manum librarii iſthoc loco aberraſſe, et pro, *alas*, oſcitanter ſcripſiſſe *alapas: Alarum* certe vocabulo commode inſigniri poſſe duas illas tabulas, quibus libri compingantur; haud ſecus, ac CAROLVS DU FRESNE, in *Gloſſario*, probauit, etiam latera templi *alas* vocata eſſe. HESYCHIVS auctor eſt, Graecis librorum operimentum dictum eſſe φέλλος. φέλλος, inquit, τὸ τῶν βιβλίων ἔξωθεν σκέπασμα, h. e. *externum librorum munimentum*, ſeu *operimentum.* SVIDAS eadem habet; ſed in Baſilienſi editione, quae mihi praeſto eſt, legitur φελλάς. Alioqui φέλλος proprie dicitur *ſuber*, aut generatim arboris *cortex.* Quanquam non nulli putent, ex hac voce Graeca etiam Latinorum *pellem* deſcendere. Lignea codicum operimenta non ſunt recentia. ALLATIVS, *in Animaduerſ. ad mon. Etruſc.* ex MATTHAEI PARISIENSIS libro *de geſtis Abbatum S. Albani* obſeruauit, aliquando in medio ciuitatis antiquae Verolamii, in diruendis palatii cuiusdam fundamentis, inuentum eſſe

esse codicem vetustae formae vetustarumque literarum, quarum epigrammata et tituli aureis literis fulserint redimiti; *asseres quernos*, ligamina serica, pristinum decorem in magna parte retinuisse. Aliquando nimirum codices etiam splendoris et magnificentiae caussa, construebantur, eorumque extimae cumprimis tabulae variis modis ornabantur. Si enim iam ab antiquis volumina tam egregie ornata fuisse cognoscimus; cur non similem operam mox in codicibus ornandis positam fuisse, credamus? Magnificis ornamentis exsplendescebant inprimis ii libri, qui in vsum Principum parabantur; aut qui, Christianorum tempore, Euangelia et diuina oracula capiebant. Adeat, qui volet, *Notitiam dignitatum vtriusque Imperii*, a PANCIROLLO commentariis illustratam, quae, huius commentatoris iudicio, sub principatu Theodosii iunioris primum scripta est; vnde et nos, *Tab. I, figuras* 1, 2 et 3, exhibuimus; ibi enim passim annotatum legimus, in insignibus antiquis magistratuum Romanorum, qui sub Imperatoribus fuerunt, saepius codices conspici, pro cuiusuis dignitate, modo corio rubro et luteo, modo corio viridi, modo purpura, modo argento, modo auro, tectos; itemque saepe fasciis aureis cinctos, et aureis virgulis in rhombum aliisque figuris, exornatos; imo et Principum imaginibus mediae tabulae externae insculptis exsplendescentes. De quarum imaginum veritate et antiquitate PANCIROLLVS, in commentariis suis, eorumque praefatione, ipse testatur. Neque putemus, talia tantum in insignibus fingi: etiam vetustissimus codex Dioscoridanus Bibliothecae Vindobonensis, iam supra a nobis laudatus, testis est; in cuius sexto folio, prout apud LAMBECIVM, *T. II*, *p. 571*, videre est, repraesentatur foemina diademate regio, vestituque Imperatricis Constantinopolitanae, quam Lambecius ex adiecto nomine *Iulianae*, ostendit esse Iulianam Aniciam, quae in principio imperii Iustiniani Magni decessisse dicitur. Haec sinistra manu tenet *codicem compactum*, *eumque rhomboide exornatum*. Quid ni et aliae figurae imaginesque iam tum in externis codicum tabulis effingi potuerunt? Compacturam et formam celebratissimi codicis Florentini Pandectarum, (quod ipsum *autographum*, auspiciis Iustiniani congestum, existimatur;) ita descripsit MABILLONIVS, *T. I Itineris Italici: Pandectarum duos egregios codices cum Magliabeco examinauimus in palatio magni Ducis. Haec volumina formae sunt prope quadratae, ita, vt altitudo duobus tantum digitis latitudinem*

superet.

ſuperet. Operculum ex ligno villoſum ſericum rubei coloris, atque emblemata ex argento in medio et in quatuor angulis ornant. Characteres ſunt quadrati et mediocris formae; quaelibet pagella in duas diuiditur columnas, quae ſingulae verſus quadraginta quinque continent. Prima ſingulorum verſuum vocabula paſſim minio ſunt deſcripta. De ſerico codicum integumento MONTEFALCONIVS, *p. 18*, affert illud ex Typico Irenes Ducaenae Auguſtae: Τρία τυπικὰ γεγόνασι σωματῶα παρ᾽ ἡμῶν, ἀπὸ βλαττίων ἐνδεδυμένα. i. e. *Tria typica membranacea blattiis*, (ſeu pannis ſericis, aut purpureis) *operta, a nobis adornata ſunt.* Aliquando et *eburneis tabulis* circumdabantur codices. Huc pertinet, quod CAROLVS FRESNEVS, ſub voce *membrana*, ex antiquo *Chronico Fontanellenſi* affert: *Quatuor Euangelia in membrano purpureo ex auro ſcribere iuſſit Romana litera; lectionarium etiam in membrano purpereo argenteis ſcriptum literis, ornatumque tabulis eburneis.* Quia vero mirificum priſcis Chriſtianis ſtudium fuit, vt codices ſacri in frontibus auro argentoque et gemmis ſplenderent; hinc notant ALEXANDER WILTHEMIVS, *in App. ad Diptychon Leodienſe, p. 13*, eos ad hunc cultum addidiſſe ſubinde collecta vndique priſca artificia, hoc eſt, ſculpturas gemmeas, et eboreas, et id genus alia, quae ornatui eſſe poſſent; adeoque Romanorum quoque Diptychorum tabulas eburneas affabre ſculptas exornandis Codicibus Euangeliorum affixas identidem adhuc reperiri. Aliquot exempla ſacrorum Codicum integumento aureo et pretioſis gemnis lapidibusque magnificentiſſime ornatorum annotauit THVLEMARIVS, *de Aurea bulla, p. 12 et 13.* Conf. Viri Celeb. IO. ANDR. SCHMIDII Diſſertatio *de cultu Euangeliorum, p. 101. ſeqq.* Quid multa? Huiusmodi Codices ſua aetate mirifice exornatos deſcripſit Diuus HIERONYMVS, *de cuſtodia Virginitatis ad Euſtochium: Inficiuntur*, inquit, *membranae colore purpureo; aurum liqueſcit in literas, gemmis codices veſtiuntur, et nudus ante fores emoritur Chriſtus.* Sunt tamen, qui ornatum diuinorum Codicum non excuſent tantum, ſed etiam commendent; vti CASSIODORVS, *L. de Inſtitut. diuin. Script. c. XXX*, et RVPERTVS ABBAS, *L. III de diu. offic. c. 23.* Vnum adhuc eſt, quod huic loco adiiciendum putamus: nimirum, habuiſſe veteres aliquando etiam inuolucra externa, quibus codices iam compactos ornatoſque circumdarent, ne quotidiano vſu nimis

cito

cito detererentur, inprimis codices molis paullo maioris; haud secus, ac volumina vetusta interdum etiam quibusdam tegumentis, ceu stolis, vestita et inuoluta fuisse, ostendimus. Huiusmodi inuolucrum haud incommode etiam φελόνης dici potuit; aut itidem σιττύβη; quia HESYCHIO σιττύβαι generatim dicuntur δερματίναι στολαί. Medio aeuo vocabantur ista inuolucra *camisiae librorum*, item et *manutergia*, vti in CAROLI FRESNEI *Glossario Latino* videre licet. Huiusmodi externo, eoque pelliceo, inuolucro, per cuius foramina traduci potuerunt lora, obductum exhibetur *Laterculum maius*, quod supra, *n. XV*, descripsimus, et cuius formam, *Tab. I, fig. 2*, aeri incidendam curauimus.

XVIII. Vtrum iam antiquiores etiam certis *lamellis* et ἐλάσμασι, item et *bullis ex orichalco cuproque*, externas codicum tabulas munierint, ornarintque; haud satis certum est: successu tamen temporis, ad perennitatem, his velut munimentis adornarunt libros suos; sicuti splendoris ergo eos auro argentoque obduxerunt. Tale quid iam ostendunt vetustorum codicum imagines; quales sunt inprimis icones Euangelistarum, codices signis huiusmodi notatos ferentium; quas ex perantiquis membraneis libris Bibliothecae Vindobonensis protulit NESSELIVS, *P. I, n. 154, et 239.* Similes bullae, aut certe gemmae eminentes, conspiciuntur etiam in eo codice, quem PANCIROLLVS, *in comment. ad Notitiam dign. vtriusque imperii, p. 62*, testatur fuisse in insignibus Magistri scriniorum; cuius figuram exinde, *Tab. I, n. 3*, exhibuimus. LORVM certe, quo constringi potuit codex, in eadem figura satis est conspicuum. Talium lororum iam antiquioribus temporibus fuit vsus in codicibus constringendis. Sic Dioscorides scribit in codice, ex quo lorum dependet; cuius imago, *Tab. II, fig. 7*, a nobis exhibita, reperitur in vetustissimo codice membranaceo ante mille et ducentos circiter annos scripto, testibus viris illustribus LAMBECIO et NESSELIO, *in Catalog. Biblioth. Vindob.* Ac, si iam CATVLLVS, *Epigr. XXII*, commemorat LORA RVBRA, quibus quondam constrinxere *volumina*; cur non putemus, pro librariorum, aut possessorum, lubitu, eorum quoque ligamentorum, quibus codices constringebantur, variam materiam, variumque colorem, esse potuisse? Huiusmodi lora, aut certe aliae partes, quae ad constringendos codices pertinebant, etiam dicebantur

tur OFFENDICES. *Offendices*, inquit ISIDORVS, in *Glossario*, sunt *nodi, quibus libri signantur.* IANVS RVTGERSIVS, *L. IV Var. Lect. c. 13*, putat, σφάλμα haerere in his ISIDORI verbis, ideoque legendum esse, *offendices; nodi, quibus libri ligantur.* At ego priscam illam lectionem omnino retinendam esse censeo. Etenim, *signare libros*, notat *claudere libros;* eo quod, vbi epistolae codicillique signabantur, id indicium erat, eos clausos esse; haud secus, ac e contrario *resignare*, ἀποσφραγίζεσθαι, μεταφορικῶς aliquando generatim significauit, *aperire*, *dissoluere*. Atque sic etiam illum HORATII versiculum, *Libr. I, Epistol. 13, v. 2*, recte interpretari possumus;

Augusto reddes signata volumina, Vinni.

i. e. volumina conuoluta, constricta et clausa: vbi alias multa tricantur interpretes. Eadem ratione explico et illa MARTIALIS verba, *L. I, Epigr. LXVII:*

Secreta quaere carmina et rudes curas;
Quas nouit vnus, scrinioque signatas [clausas]
Custodit ipse virginis pater chartae.

Quid? si dicamus, ligulas etiam fibulasque librorum, (quae nobis dicuntur *die Clausuren oder Gesperre*,) veteribus dictas fuisse *sigilla*, et Graece σφραγῖδας, prout vulgo appellabantur δεσμόι. Certe in antiquis *Glossis Labbaeanis* σφραγὶς etiam generatim redditur σύνδεμα, *vinculum*, *lorum*. GISB. CVPERVS, *in Harpocr. pag. 96*, hunc versiculum e LVCIANO, *de Podagra:* ἀλλ' οὐκ ἔπεστι κισσίνη σφραγὶς κόμαις, sic interpretatur: sed non adest hederaceum sigillum comis; quia ex hedera, non secus ac ex signo impressores, Bacchantes noscerentur. Verum, ego malim κισσίνην σφραγῖδα reddere, hederaceum vinculum, siue sertum. Vnde dispiciendum est, an σφραγῖδες, siue *sigilla voluminis*, quae in diui Iohannis Apocalypsi commemorantur, etiam fuerint vincula, et lora? Ceterum, de nomine *offendicum* alioquin ait SEXT. POMPON. FESTVS, *de verb. signif.* eas esse *in loris apicis, quibus apex retineatur; quae ab offendendo dicantur; nam, cum ad mentum peruentum sit, offendere mentum.*

mentum. Ergo κατ᾽ ἀναλογίαν *offendices* librorum proprie esse potuerunt velut *vnculi* aut *hamuli* in extremitate lororum, quibus libri constringebantur. Et hoc ipsum *hamulorum* nomen in describenda librorum compactura inferiore aeuo vsurpatum, inuenimus apud CAROLVM FRESNEVM, qui sub voce *Ligatores*, hunc locum affert: *Libri omnes ad Decanum et capitulum pertinentes, ligentur, tegantur, et hamulis suis claudantur.* Quanquam hamuli etiam dici potuerunt *fibulae* aureae argenteaeque, aut alius aptae materiae, quae, librorum claudendorum caussa, non tantum, more adhuc recentiori, iis tabularum externarum partibus addebantur, quibus codices, dum nobis aduersi sunt, aperiuntur; (cuiusmodi fibulis insignes codices conspiciuntur in armario, quod *Tab. I, n. 1*, ex *Notitia vtriusque imperii* delineandum curauimus) sed etiam aliquando et in superioribus atque inferioribus oris tabellarum externarum figebantur; id quod declarant icones codicum, *Tab. II, n. 5 et 6*, delineatae; quarum alteram figuram, gemmarum ornamenta prae se ferentem, deprompsimus ex *Tab. VIII Appendicis Glossarii Latini* CAROLI FRESNEI DUCHESNII; alteram petiimus ex NESSELII *Catalogo Biblioth. Vindob. P. I, p. 232.* Vtraeque vero ex peruetustis codicibus delineatae fuerunt.

per praeventionem dam

XVIIII. FRONTES librorum haud raro dici inuenimus. In *voluminibus* sunt circumcisae extremitates chartae, vel membranae conuolutae; quae extremitates, si volumina in bibliothecis collocabantur, aduersae et expositae erant adspectui hominum, vti ex *fig. 4, Tab. II*, intelligere licet. Quaenam vero in *codicibus* dicantur *frontes*, dubium fere est. ISAACVS VOSSIVS, *ad Catullum, p. 2*, scribit: *Si pari ratione libris quadratis, ac voluminibus in rutulum conuolutis, frontes assignare velimus, sicque appellare partes, quae circumciduntur; vtique non duas, sed tres frontes, habebunt: cum totidem partibus charta, seu pergamenum, incidatur.* At enimuero, si *frontes* per *metaphoram* alias generatim dicuntur rerum quarundam *anteriores partes*, quae primo adspectui patent; tunc potius olim ipsas tabellas externas codicum, qua late patent, dictas fuisse *frontes*, existimamus; siquidem vetusto tempore libri quadrati in bibliothecis scriniisque non hodierno more disponebantur; nec ita collocabantur, vt tabularum suarum struicem inuicem comprimerent; sed ita potius, vt alterutram tabularum ex-

ternarum obuerterent adſpectui hominum; ptout inter alia patet ex *figura 1 Tab. I.* Hinc ex iis partibus tabularum maxime gemmis alioque ornatu exſplenduerunt codices: hinc et eaedem partes titulos et nomina librorum aliquando prae ſe tulerunt. Imo, ob hanc ipſam codicum collocandorum rationem, magis veteribus, quam nobis, opus fuit loris, offendicibus et fibulis, quibus conſtringerentur codices, ne indecore hiarent. Sed de codicum voluminumque in bibliothecis diſponendorum antiqua ratione alia occaſione agemus; vbi et inſignem figuram in lapide exciſo repertam, et *Tab. II, n. 4*, nunc repraeſentatam, explicaturi ſumus. De *titulis* codicum bene multa differenda haberemus, niſi vereremur, ne nunc lectorem ſatietas harum rerum caperet. In his enim ornandis aliquando praecipuam operam poſuere veteres librarii. Interim, cui libet, videre licet elegantem titulum Dioſcoridis, itemque *libri Graeci IIII* Euangeliorum, apud LAMBECIVM, *Biblioth. Vindob. T. II. p. 800.* Alia huiusmodi exempla ſcientes prudentesque iam praeterimus.

XX. Inuentor primus codicum concinnandorum fere fruſtra quaeri videtur; vti inuentores plurimarum rerum aliarum. ISAACVS VOSSIVS, *in Comment. ad Catullum, p. 51. Primus*, inquit, *qui libros quadratos, ſiue codices membraneos, facere inſtituit; is, vt puto, fuit Attalus Rex, cuius demum aetate innotuit facilior ratio emundandi pelles ab vtraque parte; cum antea non niſi ab vna parte conſcriberentur, quemadmodum fit in voluminibus.* Equidem, haud aegre credimus, iſtam commodiorem membranae praeparandae rationem referri poſſe ad tempora Attali, ſiue Eumenis, Pergami Regis; ſiquidem Pergameni ſuos Reges nuncupaſſe Attalos dicuntur. Atque idem forte intellexit VARRO apud PLINIVM, *L. XIII Hiſtor. Natur. c. 11.* vbi ait: *Mox aemulatione circa bibliothecas Regum Ptolemaei et Eumenis, ſupprimente chartas Ptolemaeo, idem Varro membranas Pergami tradidit repertas.* Ad quae verba bene animaduertit DALECHAMPIVS, Aelianum Hieronymumque ad Chromatium tradidiſſe, eam contentionem *fuiſſe* inter Ptolemaeum et Attalum; ſed in hac re nihil diſſenſionis eſſe, cum, vt ſuos omnes Reges Ptolemaeos Aegyptus vocauit, ita et *ſuos* Attalos Pergameni cunctos nuncupauerint. De eadem re *e Codice Reg. MS. 2431*, περὶ χαρτίων, CAR. DU FRESNE, in *Gloſſario Graeco*

ſub

ſub voce βεμβράνος quaedam affert: ὁ πτολεμαῖος ἔχων Αρίσαρχον γραμματικὸν συμβελευόμενον αὐτῷ, ἀπέσειλε πρῶτος χάρτην εἰς Ῥώμην καὶ ἐξεύρησε αὐτήν. Φθονήσας δὲ Αρισάρχῳ κράτων ὁ γραμματικὸς, ὑπάρχων μετὰ Ἀττάλε τῷ περγαμηνῷ, ἐκ δέρματος ἔκαμε βεμβράνας, καὶ ἐποίησε τὸν Ἄτταλον ἀποσεῖλαι αὐτὰς εἰς Ῥώμην. Ὅθεν εἰς μνήμην τῷ ἀποσείλαντος μέχρι τῷ νῦν περγαμηνὸν βεμβράναν καλῶσι. Quod etiam innuit TZETZES, *Chil. XII, v. 349.* Ὁ τῷ Ἀττάλῳ γραμματικὸς ἐφεῦρεν τὰς χάρτας τὰς μεμβραΐνας, hoc eſt. *Attali Grammaticus* (Crates) *inuenit chartas membranaceas.* At vero, quamuis iſtud membranarum aptius praeparandarum inſtitutum deinde occaſionem potuerit praebere codicibus membraneis frequentius concinnandis; dubium tamen eſt, annon antehac etiam ex aliis materiis, quamuis rarius, compoſitae fuerint ſtruices tabularum, adeoque et codices; et an iam Attalus iſte ſua aetate coeperit membranaceos codices inſtituere? Illud negari non poteſt, ante Chriſtum natum Graecis Romanisque nondum in vulgari frequentique vſu fuiſſe codices; niſi forte ex tabellis ceratis, et palimpſeſtis, maximeque in aduerſariis, et calendariis, ſiue libris acceptorum et expenſorum. Imo, ipſe SENECA, *L. de Breu. vit. c. XIII,* innuit, ſua adhuc aetate fere publicos inprimis libros, publicasque tabulas, ad codicum formam fuiſſe concinnatas. *Plurium,* inquit, *tabularum contextus caudex apud antiquos dicitur; vnde* PVBLICAE TABVLAE CODICES *dicuntur.* Poſtea vero codicum vſus ſenſim adeo inualuit, vt, quae ingeniorum monimenta a ſaeculo quincto et ſequentibus, exarata literis, ad nos transmiſit antiquitas, ea maxime quadrata forma conſpiciantur. De codicum poſterioris aeui compactura, quae obſeruarit V. CL. BVRC. GOTTH. STRVVIVS, videre licet in eiusdem *Act. literar. P. I, p. 43.* Conferatur etiam TH. BARTHOLINVS, *in Diſſert. IV de Libris legendis, p. 127.*

XXI. Quod poſtremo attinet ad LIBROS PLICATILES; horum forma, nec ad *volumina*, nec prorſus ad *libros quadratos*, referri poterat; dum quidem, voluminum inſtar, charta vel membrana longiori conſtabant; haud tamen conuoluebantur ſicut volumina: ſed ad formam paginarum complicabantur, ita, vt complicati quodammodo codices qua-

dratos referrent; extenſi vero euolutis voluminibus ſimiles viderentur. Haud male ergo huius generis libri complicati cum mulierum flabellis complicatis, aut cum laternis, quas non nulli ex vno chartae folio faciunt complicando, poſſunt comparari. Sed de antiquo *Librorum plicatilium* vſu ornatuque alio tempore plura erunt differenda.

EXPLICIT. DISPVT. IIII DE ORNAM. LIBROR. VET.

DISPVTATIO V

SEV

SCHEDIASMA PHILOLOGICVM

DE

LIBRIS PLICATIBILIBVS VETERVM.

SVMMARIVM.

I. *Prooemium.*

II. *Forma librorum plicatilium generatim describitur.*

III. *De Graeca appellatione horum librorum: vnde locus Homeri, et Herodiani, illustratur.*

IIII. *De appellatione Latina. Illustrantur quaedam loca scriptorum Latinorum.*

V. *Libri plicatiles saepe κατ' ἐξοχὴν Libelli sunt dicti: vbi illustrandus proponitur locus Suetonii.*

VI. *Digressio de varia forma et vsu epistolarum veterum.*

VII. *Vberior illustratio loci Suetoniani.*

VIII. *Ex qua materia construi consueuerint libri plicatiles?*

VIIII. *De Enchiridio, siue theca, librorum plicatilium.*

X. *Libri plicatiles extra Graeciam Romamque etiam aliis Populis fuerunt in vsu.*

XI. *Epilogus.*

I. Etsi

Q. D. B. V.

I.

Etsi haud pauca iam alibi a nobis ſunt expoſita, quae faciant ad explicanda librorum ornamenta antiquitus vſitata; haud tamen piget, in illo argumento adhuc illuſtrando verſari. Neque enim, opinor, hanc antiquitatatis partem ſine omni iucunditate recognoſcimus, vt ſcriptores vetuſtos hac de re forte loquentes eo rectius intelligamus. Neque dedecet homines, humanitatis amantes, haud ignorare velle, quem ad modum illa eruditionis inſtrumenta, libri videlicet, ad commodiorem legentium vſum, maioremque commendationem, identidem conſueuerint adornari. Habuerunt veteres VOLVMINA, quae conuoluebantur, vti aliquando conuoluuntur mappae noſtrae Geographicae: habuerunt CODICES, hoc eſt, libros quadratos; quibus noſtratium librorum forma vulgaris adhuc reſpondet: habuerunt et LIBROS PLICATILES, qui neque voluminibus, neque omnino codicibus, annumerari poſſunt; de quorum adeo peculiari forma in praeſens non nihil diſſeremus.

II. LIBRI PLICATILES igitur nobis dicuntur eius formae libri, vbi longior quaedam charta, vel membrana, in plures paginas, veluti tabulas, aequali menſura fuit diuiſa; neque tamen diſſecta, ſed ita in ſinus angulosque alternatim plicata, vt, quoties ſinus aliquis aperiretur, duae ſemper paginae in aduerſa, h. e. *antica*, chartae facie, ſcribentibus legentibusue ſeſe offerrent; neque *poſticae*, h. e. auerſae, faciei paginae occurrerent, niſi totus liber verteretur. Videas adhuc hodie aliquando ad eum modum concinnari pugillares membranaceos; quando nimirum membranula quaedam longior, exempli gratia, in ſex ſinus plicatur; qui ſex ſinus duodecim conſtituunt paginas, (binas nempe in ſingulis aperturis:) quae omnes ſi fuerint perſcriptae, progediendum eſt ad auerſam membranulae faciem; vbi totidem paginae, ſed eae adhuc purae, occurrunt, adeo, vt, ſi huius generis pugillares paullulum explicentur, ii formam referant parietis plicatilis, qui nobis dicitur *eine Spaniſche Wand.* Neque igitur male huiusmodi libros nonnulli conferunt cum flabellis mulierculárum; aut cum laternis, quae ex vno papyri folio a quibusdam complicando conficiuntur.

III. Quam-

III. Quamuis vero horum librorum formam rarius ab aliis descriptam animaduertamus; credo tamen, eorum vsum fuisse peruetustum. Huc adeo iam refero illud, quod apud HOMERVM *Iliad. ζ, versu 169*, legitur de litteris, quas Proetus Rex dederat Bellerophonti; et vnde adhuc *Litterae Bellerophonteae* per prouerbium dicuntur:

-- -- -- Ὄγε σήματα λυγρὰ
Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά.
h. e. *Hic litteras perniciosas Scribens in tabella plicata exitialia multa.*

Prorsus enim proprie *libros plicatiles* Graecis posse appellari πίνακας πτυκτοὺς puto. Non enim sunt tabellae dissectae et consutae, vti in codicibus et codicillis; sed talis libellus, ἀπὸ τοῦ πτύσσειν, a *plicando*, πτυκτὸς, h. e. *plicatilis*, vocatur: vbi longior quaedam charta, aut membrana, non dissecatur in plagulas et tabellas; sed integra cohaeret, et tantummodo plicando in varias partes distinguitur, et vel duplicatur, vel triplicatur, vel pro diuerso vsu in plures partes, veluti tabula multiplex, multiplicatur; haud secus, ac πτυκτὸν ῥάκος apud AEGINETAM, *L. VI*, dicitur *linteamentum aliquoties complicatum*, etiamsi alioqui ex omni parte cohaereat. Et *sella plicatilis*, qualem apud veteres aliquando serui in comitatu gestabant, cum viri diuites et potentes in forum aut conciones irarent, Graecis non tantum ἀπὸ τοῦ ὀκλάζειν, a *flectendo*, dicebatur ὀκλαδίας; sed etiam ἀπὸ τοῦ πτύσσειν appellabatur πτυκτὸς δίφρος, quia facili opera complicari poterat. Sic enim HESYCHIVS scribit: Πτυκτὸς δίφρος ταπεινὸς, ὃν οἱ ἀκόλουθοι φέρονται τοῖς εἰς τὰς ἀγορὰς ἐξιοῦσι πλουσίοις, *plicatilis sella humilis, quam famuli gestant, exeuntibus in fora Dominis.* Hinc et proprie talis liber dici potest πτυκτίον, quod in HESYCHII *Lexico* explicatur πτυκτὸν βιβλίον, h. e. *libellus plicatilis.* Huius formae libellum HERODIANVS, *L. I Histor. c. 17*, praeclare descripsit, in historia Commodi, Imperatoris, inter alia his vsus verbis: Λαβὼν γραμματεῖον τούτων δὴ τῶν ἐκ φιλύρας εἰς λεπτότητα ἠσκημένων, ἐπαλλήλῳ τε ἀνακλάσει ἀμφοτέρωθεν ἐπτυγμένων, γράφει. h. e. ex interpretatione ANGELI POLITIANI: *Sumpto in manus libello, quales de philyra tenuissimi atque in vtramque partem replicabiles fiunt, conscribit*, et cetera. Nihil magis apprime formam libellorum plicatilium exprimere possit, quam ista HERODIANI verba, si paullo curatius considerentur. Nonne enim hi libri etiam *plicabantur vtrinque*, vti videmus

mus in pariete plicatili fieri? Certe apparebant plicae in aduersa chartae parte; apparebant etiam in auersa. Nonne et in his erat ἀνάκλασις ἐπάλληλος; h. e. *reflexio plicaturarum*, siue sinuum et angulorum, *alterna*, et talis quidem, cuius alia pars alteri continuo adhaereret? Taceo nunc, huiusmodi libros plicatiles Graece etiam aliquando βιβλία et βιβλίδια, itemque aliis nominibus, quae et ceteris librorum formis sunt communia, nominatos inueniri.

IIII. Latina appellatio *librorum plicatilium* vbi extet, nobis quidem nunc minus succurrit; interea vero satis persuasi sumus, haud intempestiue huic librorum formae nomen hoc a nobis datum esse, vt eo facilius a ceteris librorum generibus distingueretur. Nauis, quae ex corio facta facile potest plicari, a PLINIO, *L. V Hist. nat. c. 9* vocatur *nauis plicatilis*; cur nec *librum plicatilem* appellemus, cuius tota forma in *plicatura* consistit? Verbo tamen *plicandi* scriptores saepius vtuntur, vbi horum librorum iniiciunt mentionem. Ita omnium optime ad hoc librorum genus referas, quod apud SENECAM, *Epist. XCV*, legimus: *Recitator historiam ingentem attulit, minutissime scriptam, arctissime plicatam.* Si enim SENECA loqueretur de historia in *volumine* perscripta, proprie eam dixisset *arctissime conuolutam*; aut, si codicem intellexisset quadratum, planius scripsisset, eum *arctissime compactum conglutinatumque* fuisse. De *plicatili libro* etiam illa proprie luculenterque exponi possunt, quae MARTIALIS, *Libr. IV, Epigr. 83*, scripsit:

Si nimis est, legisse duos; tibi charta plicetur
Altera: diuisum sic breue fiet opus.

h. e. Si nimis molestum tibi est, duos legere libros Epigrammatum in vna charta scriptorum; tibi alterius libri charta *plicetur*; h. e. ne explicetur, vt legi possit; sed inexplicita maneat, et omittatur. Nimirum ab illo plicandorum librorum more variae loquendi formulae primum et proprie exortae sunt, quae postea τροπικῶς ad cuiuscunque formae libros accommodari coeperunt. Hinc *explicare librum*, proprie aliquando notat, *librum aperire et perlegere*; quia liber plicatilis perlegi haud potuit, nisi explicaretur, h. e. extenderetur per singulas plicas, vt legentibus pateret; vti contra *volumina* proprie dicebantur *euolui*, quae ad perlegendum extende-

tendebantur. Hinc liber *explicitus* MARTIALI dicitur *liber perlectus*, *L. XI*, *Epigr. 108*:

Explicitum nobis vsque ad sua cornua librum,
Et quasi perlectum, Septiciane, refers.
Omnia legisti: credo, scio, gaudeo, verum est.
Perlegi libros sic ego quinque tuos.

Vim et sensum huius epigrammatis non satis percepit VINCENTIVS COLLESIVS, qui in suo commentario pro voce: *perlectum*, scribere maluit, *perfectum:* quamuis alioqui, ratione auctoris, aut librarii scribentis, *liber explicitus* etiam diceretur, qui iam esset *absolutus perfectusque.* Sic enim VLPIANVS, *L. I* ff. *ad Senatus cons. Trebel. Explicito, inquit, tractatu, qui ad fideicommissa singularum rerum pertinet; transeamus nunc ad interpretationem Senatus consulti Trebelliani.* Hinc etiam primum illa loquendi ratio nata videtur, vt librarii, librum finitum absolutumque significaturi, haec adderent verba: EXPLICITVS EST LIBER. Quae verba alii, compendii caussa, ita scripserunt: EXPLICIT. LIBER. Vnde posterioribus saeculis vox EXPLICIT pro integro verbo haberi, et noua ratione inflecti, coepit, adeo, vt exempli caussa, aliquando scriberetur: EXPLICIVNT HOMILIAE S. CAESARII. Id quod iam alibi comprobauimus.

V. Sed *libri plicatiles* saepius κατ' ἐξοχὴν a Latinis LIBELLI dici consueuerunt. Erant enim libri plicatiles vtplurimum parui, vt commodius circumferri possent, haud secus ac pugillares et cerati codicilli; a quibus tamen ceteroquin hi libelli differebant. Vnde et TRANQVILLVS, *in Vita Neronis, c. LII: Venere*, inquit, *in manus meas pugillares, libellique.* Pugillares erant codicilli parui, quorum tabellae, vt adhuc hodie fieri solent, fuerunt a fronte dissectae, a tergo consutae compactaeque, at plerumque in vtraque planitie ceratae: at in libellis plicatilibus charta, aut membrana, longior in tabellas quidem fuit plicata, sed nusquam dissecta. Atque eos non adeo fuisse magnos, et haud aegre plures vna manu teneri potuisse, tum aliunde, cum ex TRANQVILLO, facile constat, qui in *Iulii Caesaris vita, c. LXXXI*, scribit: *Libellum, insidiarum indicem, ab obuio quodam porrectum, libellis ceteris, quos sinistra manu tenebat, quasi mox lecturus, commiscuit.* Gestarat scilicet Caesar manu varios *libellos memoriales supplicesque.* Libellus enim frequentissime notat scripturam, quae preces Principi ob-

latas continebat. De horum libellorum vſu ita ſcribit PANCIROLLVS, *in Comment. ad cap. XCVII Notitiae dignitatis Imperii Orientis: Cum non omnes poſſent Principem alloqui, aut tempus ſingula explicandi non haberent, expediens viſum fuit, ſcripto, ſeu libello, deſideria cuiusque exponere: ita enim ſupplicum preces vocabant.* Libellorum Principi datorum crebra fit in Pandectis mentio. De Auguſto, *in eius vita, c. LIII,* TRANQVILLVS: *Promiſcuis,* inquit, *ſalutationibus admittebat et plebem; tanta comitate adeuntium* DESIDERIA *excipiens, vt quendam ioco corripuerit, quod ſic ſibi* LIBELLVM *porrigere dubitaret, quaſi Elephanti ſtipem.* Huc etiam reſpicit MARTIALIS, *L. VIII, Epigr. 76,* ad Domitianum:

Dante tibi turba querulos, Auguſte, libellos,
Nos etiam Domino carmina parua damus.

Diu ipſi Principes et acceperunt hos libellos, et iis ſubſcripſerunt; vsque dum, ſe hoc onere ſubleuaturi, Magiſtros libellorum et epiſtolarum conſtituerunt, qui has res expedirent. Exemplum dati ſubſcriptique libelli annotauit BARN. BRISSONIVS, de *Formulis, L. III, p. 292, et* GVID. PANCIROLLVS, *l. c.* quos, cui viſum eſt, adire licet. *Libellus* vero, vt idem PANCIROLLVS animaduertit, dictus eſt, quod, cum aliae chartae olim conuoluerentur, hic in pagellas et parui libri formam plicabatur. Hoc eſt, illae litterae memoriales et ſupplices dicebantur praecipue *libelli*, quia ordinarie erant *plicatiles.* Cuius rei indicium nobis facit TRANQVILLVS, in *vita Iul. Caeſaris, c. LVI. Epiſtolae,* inquit, *Iul. Caeſaris extant ad Senatum, quas primus videtur ad paginas et formam memorialis libelli conuertiſſe, cum antea Conſules et Duces non niſi transuerſa charta ſcriptas mitterent.* Hic *forma memorialis libelli* opponitur ſcripturae in charta *transuerſa,* quae non erat in paginas plicata, ſed velut patens et extenſa; in cuius longitudinis initio coeperunt ſcribere, vti in voluminibus, ita vt, per latitudinem chartae, verſus quiuis ab altera ora coeptus, in altera deſineret. Nihil afferunt ad hunc locum commentatores, quod eum recte illuſtret. Magis eundem etiam obſcurat peruertitque ſua interpretatione IACOBVS GVTHERIVS, *L. III de officiis Domus Auguſtae, c. 3. Forma,* inquit, *memorialis libelli haec fuit, vt, extenta charta, pars prior paginae ad extremam tranſcurreret, nullo modo complicata.* Neqne, niſi magis rem intricat MARCELLVS

LVS DONATVS. *Ad paginas*, inquit, *et formam memorialis libelli: id est, recta pagina per longitudinem illius, quemadmodum hodie scribimus nos supplices libellos. Duces autem et consules olim transuersa charta scribere solitos, ait Suetonius: id est, vt ego interpretor, eo modo, quo et nos hodie scribimus communi vsu; nisi dixerimus, per transuersam chartam interpretandum, ab vno angulo in oppositum angulum oblique progredi in scribendo.* Vt igitur hunc SVETONII locum eo luculentius interpretari, et hoc totum argumentum magis illustrare possimus, non nihil de varia forma epistolarum veterum hoc loco differemus.

VI. Primum quidem constat, tabellarum vsum etiam in scribendis epistolis fuisse vetustissimum. Hac de re ita differit Diuus Stridonensium Praesul, *L. I, Epist. 1 ad Nitiam: Rudes illi Italiae homines, quos Cascos Ennius appellat, qui sibi, vt in Rhetoricis Cicero ait, ritu ferino victum quaerebant, ante chartae et membranarum vsum, aut in dedolatis e ligno codicillis, aut in corticibus arborum, mutua epistolarum alloquia missitabant. Vnde et portitores eorum tabellarios, et scriptores a libris arborum, librarios, vocauere.* Hactenus HIERONYMVS. Harum tabularum aliae super alias aliquando eadem forma construebantur, qua nostri libelli quadrati; quae progressu temporum, commodioris vsus caussa, cera obduci consueuerunt; et, vbi quidem duae tresue tabellae, in seriem sitae, compingebantur, a numero nomen inuenere, ac *duplices*, aut *triplices*, aut *quincuplices;* Graece δίπτυχα, τρίπτυχα, πεντάπτυχα, dicebantur: quae erant minores, appellabantur *pugillares;* in quibus *pungendo*, stilo impresso, scriberetur, aut quod plerumque vix maiores esse solerent, quam quae concluderentur *pugno.* Saepius vero, inducta cera, e fago, abiete, buxo, acere, citro, auro, conficiebantur. Qua de re multa praeter alios congesserunt, MELCH. GVILANDINVS, *de Papyro p. 124*, seq. HERM. HVGO, *de prima scribendi origine, p. 93.* itemque ALEXANDER WILTHEMIVS, de *Diptycho Leodiensi et in Appendice illius commentarii.* De vsu pugillarium ait laudatus WILTHEMIVS, statim ab initio: *Non solebant magni momenti scripta iis mandari; sed res, quae haberent vsum familiarem, et pene quotidianum; cuiusmodi erant epistolia, magistratuum annunciationes, et id genus alia.* Neque tabellis istis ceratis etiam post receptum chartae vsum vti desierunt Romani in exarandis litteris. Non, opinor, taedio erit, hoc

loco referre, quod vir ſummus, CLAVD. SALMASIVS, in *Tract. de ſubſcribendis et ſignandis Teſtamentis, p. 271*, generatim de vſu ceratarum tabellarum, chartarum et membranarum, apud Romanos obſeruarit, *Tria*, inquit, *haec tempora diſtinguenda fuere, ſiue quatuor potius: vnum, quo non niſi ceratis tabellis vtebantur; alterum, quo et harum vſus fuit, et praeterea chartae Aegyptiacae et membranarum. Chartarum vſus Romanis innotuit ſub Ptolemaeo, qui ex conſilio Ariſtarchi, Grammatici, Romanis primus eas dono miſit. Pergamena, ſiue membranae, ab Attalo Pergameno; qui etiam, Cratete Grammatico faciente, Romam eas miſit. Tertium tempus illud fuit, quo ceratarum tabularum ratio plane exoleuit, cum ſolis chartis Aegyptiis membranisque ad libros et contractus ſcribendos vtebantur; quod poſt Conſtantini aeuum omnino obtinuit. Quartum et vltimum, quo quadringentis, aut quingentis circiter abhinc annis, nouae chartae genere in Europa reperto, ea, quae ex papyro Nilotica conficiebatur antiquitus, prorſus ab vſu receſſit.* Ergo Romani ſaepiſſime ceratis tabellis vſi ſunt, vbi epiſtolae fuerunt ſcribendae. Hinc Chryſalus apud PLAVTVM, *in Bacchid. Act. IV, ſc. IV, v. 64*, ad ſcribendas litteras ſibi afferri iubet: STILVM, (inſtrumentum ferreum oſſeumue, quo calami loco vtebantur; cuius altera pars ad ſcribendum erat acuta, altera obtuſa ad delendum) CERAM, (qua ſcriptas tabellas obſignabant) et TABELLAS, ligneas plerumque, et cera molliori inductas, quibus inſcribebant; et LINVM, (quo obligabant tabellas ſcriptas, et quod ſigillo ſignabant.) Pulchre iſtam litterarum in ceratis tabellis ſcribendarum ſignandarumque rationem repraeſentauit OVIDIVS, *L. VIII Metamorph. Fab. XI de Byblide:*

> LITTERA *celatos arcana fatebitur ignes.*
> *Haec placet, haec dubiam vicit ſententia mentem.*
> *In latus erigitur cubitoque innixa ſiniſtro.*
> *Viderit: inſanos, inquit, fateamur amores.*
> *Hei mihi! quo labor? quem mens mea concipit ignem?*
> *Et meditata manu componit verba trementi.*
> DEXTRA *tenet* FERRVM; VACVAM *tenet altera* CERAM.
> *Incipit, et dubitat; ſcribit, damnatque* TABELLAS;
> *Et* NOTAT, *et* DELET; MVTAT, *culpatque, probatque;*
> *Inque vicem ſumtas ponit, poſitasque reſumit.*
> *Scripta* SOROR *fuerat; viſum eſt* DELERE *ſororem,*
> *Verbaque* CORRECTIS INCIDERE *talia* CERIS.

Et

Et paullo post:

Talia nequicquam perarantem PLENA *reliquit*
CERA *manum; summusque in* MARGINE *versus adhaesit.*
Protinus IMPRESSA SIGNAT *sua crimina* GEMMA,
QVAM TINXIT *lacrymis; linguam defecerat humor.*

Nihil attinet multa eius rei exempla afferre, quae in vulgus nota est. Imo, nec est obscurum, CHARTAS quoque ad scribendas epistolas fuisse adhibitas. De vetusto epistolarum chartacearum vsu testatur PLINIVS, *L. XIII Nat. Hist. c. 13: Mutitanus, ter Consul*, inquit, *prodidit nuper, se legisse, cum praesideret Lyciae, Sarpedonis a Troia scriptam in quodam templo* EPISTOLAE CHARTAM. CICERO, *L. II ad Atticum, ep. 20*, chartam nominat. *De republica*, inquit, *breuiter ad te scribam: iam enim*, CHARTA *ipsa ne nos prodat, pertimesco.* Et *Lib. V ad Att. Epist. 4: Si pene praeterii*, CHARTAM *tibi deesse, mea cautio est: siquidem eius inopia minus multa ad me scribis.* OVIDIVS, *Epistola XI Heroid.* de Canace, epistolam exaratura, cecinit:

Dextra tenet CALAMVM; *strictum tenet altera ferrum,*
Et iacet in gremio CHARTA SOLVTA *meo.*

Hinc et MARTIALIS, *L. XIIII, Epigr. 8*, titulum fecit Epigrammati: *Chartae epistolares;* de quibus ita lusit:

Seu leuiter noto, seu charo missa sodali:
Omnes ista solet CHARTA *vocare suos.*

Etiam diuus HIERONYMVS, in *Epistola XXXVII, L. I, ad Chromatium, Iouinianum et Eusebium*, eius rei testimonium nobis affert. *Queror*, inquit, *cur tot interiacentibus spatiis maris atque terrarum tam paruam epistolam miseritis, nisi quod ita merui, qui vobis ante non scripsi.* CHARTAM *defuisse, non puto, Aegypto ministrante commercia: et, si alicubi Ptolemaeus maria conclusisset; tamen Rex Attalus membranas a Pergamo miserat, vt penuria chartae pellibus pensaretur.* Sed et aliquando epistolas, neque in ligneis tabellis, neque in charta, sed in MEMBRANA, extra ordinem scripserunt. Huc facit, quod apud diuum AVGVSTINVM, *Epist. CXIII, ad Romanium data*, legimus: *Non haec epistola*, inquit, *sic inopiam chartae indicat, vt* MEMBRANAS *saltem abundare testetur. Tabellas eburneas, quas habeo, auunculo tuo cum litteris misi.* Tum vero, cum modo charta, modo tabellis ceratis, vsi sunt in epistolis scribendis; hoc tamen discrimen plerumque tenuerunt, vt eas maxime *epistolas* in *charta* perscriberent, quae ad loca longinqua erant

erant dimittendae; contra vero ceratas tabellas, ſeu codicillos, vſurparent, vbi ad eos erat ſcribendum, qui iisdem, aut certe non longinquis in locis, morarentur; aut vbi aliquid feſtinanter ac breuiter fuit exarandum; vt apud amicum in coena, foris in itinere, vel naui; ſi inprimis charta et atramentum non praeſto eſſet, aut non tam commode vſui inſeruiret, ac cera. Id quod iam etiam obſeruauit PAVLLVS MANVTIVS, in *comment. ad L. II Epiſtol. Cicer. ad Q. Fratrem, Epiſt. 10, et ad L. III, Epiſt. 1.* Et paſſim eius rei teſtimonia extant. Pluribus locis librorum OVIDII de *Ponto* et *Triſtibus*, *epiſtolae* illae vocantur *chartae*; quia ex longinqua terra erant miſſae: quas in Vrbe dederat litteras ad amicas, *cera* dicuntur et *tabellae*. CICERONI hac in re *codicillorum* nomen frequens eſt. Sic, cum *L. VI Epiſt. ad famil. Ep. 8*, ſine mora e Balbo, qui itidem tunc erat Romae, et quem, vt ex proxime ſequenti epiſtola patet, ipſe conuenire non poterat, aliquid cognoſcere cuperet, in codicillis ad eundem ſcripſit. *Simul accepi*, inquit, *a Seleuco tuo litteras, ſtatim quaeſiui e Balbo per* CODICILLOS, *quid eſſet in lege? Reſcripſit:* et cetera. Et SVLPICIVS, ad Ciceronem, *Epiſt. 12, L. IIII: Cum non longe a Piraeeo abeſſem*, inquit, *puer Acidini obuiam mihi venit cum* CODICILLIS; *in quibus erat ſcriptum, paullo ante lucem Marcellum diem ſuum obiiſſe.* Huc refert LIPSIVS, in *Inſtit. Epiſtol. c. II*, etiam hunc SENECAE locum, ex *Epiſt. LVI: Video, te, mi Lucili, cum maxime; audio; adeo tecum ſum, vt dubitem, an incipiam non* EPISTOLAS [tanquam ad abſentem] *ſed* CODICILLOS, [tanquam ad praeſentem] *tibi ſcribere.* Ergo Seneca diſtinguit *epiſtolas* a *codicillis*, cum tamen vtrisque eaedem litterae contineri poſſent; vt adeo eae demum litterae, quae in *charta* ſcriptae eſſent, et ad peregre abſentem amicum mitterentur, κατ' ἐξοχὴν dictae videantur EPISTOLAE; ceterae, TABELLAE, aut CODICILLI. Saltem vix aliter commode intelligi explicarique poteſt etiam *locus Plinianus, L. XIII Hiſt. Nat. c. 14. Miror*, inquit, *cur, ſi iam* [Troianis temporibus in Lycia chartae Aegyptiacae] *erat vſus, in ipſa illa Lycia Bellerophonti* CODICILLOS *datos, non* EPISTOLAS, *Homerus prodidit?* Loquitur vero PLINIVS de litteris Bellerophonteis, quas ſupra in hoc ipſo capite memorauimus. Putant quidam, vt DALECHAMPIVS annotauit, PLINIVM hic incurioſe codicillos ab epiſtolis diſtinguere; cum *codicilli* nihil aliud ſint, quam *epiſtolae* Latinis. At res bene ſe habet: *Codicilli* PLINIO hoc loco non dicuntur,

cuntur, nisi litterae in pugillaribus, siue tabellis ceratis, exaratae; quae maxime ad familiares, eosque in eadem vrbe praesentes, mittuntur; *epistolae* autem κατ' ἐξοχὴν ipsi appellantur litterae in charta ad absentes perscriptae. PLINIVS enim, ne quid dissimulemus, persuasus fuit, apud HOMERVM, *Iliad.* ζ, *versu CLXVIIII*, litteras Bellerophonteas, non fuisse in *charta*, *libelloue plicatili*, vti nos supra interpretati sumus; sed in *ceratis tabellis* scriptas: hinc eas *L. XIII*, *c. 11*, vocat *pugillares*; et *L. XXXIII*, *c. 1*, *codicillos epistolarum gratia missitatos*. Cum vero, *L. XIII*, *c. 14*, commemorasset, in templo quodam Lyciae repertam fuisse chartam epistolae Sarpedonis, iam a Troia scriptam; miratur, si iam tum Troianis temporibus chartae vsus fuerit in epistolis scribendis; cur nec apud HOMERVM litterae, quas Praetus dederat Bellerophonti, legantur in charta descriptae, quo modo *epistolae* mitti ad exteros solebant; sed in *pugillarium ligno* consignatae? At enimuero, non necesse habuit PLINIVS, in interpretanda ista antiquitate fingere tantam tabellarum ceratarum vetustatem, quae aegre aliunde, quam ex ista praesumta huius loci Homeriani interpretatione, poterit probari; maxime, cum verba HOMERI ad *chartas plicatiles* recte possent accommodari, et cum exemplo cognitum haberet PLINIVS, iam Troianis temporibus chartam in scribendis epistolis vsurpatam fuisse. Neque plane absonum est, πίνακα πτυκτὸν dici *chartam plicatilem*; cum et apud Latinos dicatur aliquando *tabula*, quae est ex *charta*. Argumento sunt ea, quae legimus *L. I. π.* de *Bonorum possessionibus secundum tabulas*: TABVLAS *testamenti accipere debemus omnem materiae figuram*. [SALMASIVS, *L. de modo vsurarum*, *p. 416*, mauult hic legere: *omnem materiam ea figura*.] *Siue igitur tabulae sint ligneae*, *siue cuiuscunque alterius materiae*, *siue* CHARTAE, *siue membranae sint*, *siue corium alicuius animalis*; TABVLAE *recte dicentur*. Sed tempus est, vt iam manum de tabula tollamus; nisi hoc vnum adhuc addere placeat: veteres in iis ipsis tabellis, in quibus epistolas scriptas acceperant, suum quoque responsum consignasse, easdemque amico remisisse. Ita OVIDIVS, cum *tabellas* ex acere et cera rubra confectas misisset ad puellam, precatus, vt sibi obsecundaret; *L. I Am. Eleg. XII*, grauiter queritur, suas sibi rediisse tabellas, negantis puellae litteris notatas:

Flete meos casus: tristes rediere tabellae.
Infelix hodie littera posse negat.

In illis autem ipſis tabellis, quas miſerat Poeta, reſponſum eidem datum fuiſſe, patet ex ſequentibus verſibus, quibus inuehitur in pugillares, eisque imprecatur:

Ite hinc, difficiles, funebria ligna, tabellae;
Tuque negaturis cera referta notis:
His EGO *commiſi noſtros inſanus amores,*
Molliaque ad Dominam verba ferenda dedi.
Aptius hae capiunt vadimonia garrula cerae;
Quas aliquis duro cognitor ore legat.
Inter ephemeridas melius tabulasque iacerent,
In quibus abſumtas fleret auarus opes.

Ceterum, qui *epiſtolas* ad alios, longius remotos, ſcripturi erant, eas primum aliquando in codicillis conſignabant; deinde referebant in chartam, aut amanuenſibus deſcribendas tradebant. Innuit hoc CICERO, *L. VIIII ad Famil. epiſt. 26. Accubueram,* inquit, *hora nona, cum ad te harum exemplum in codicillis exaraui.* Ad quem locum adeundus eſt MANVTIVS. Iam, quod attinet ad ipſas *epiſtolas in charta ſcriptas*, neque illarum ſemper vna eademque fuit forma. Aliquando epiſtolae in *charta volubili* ſcribebantur, et, tanquam volumina, conuoluebantur, ſi inprimis eſſent longiores. Neque vero ipſe CICERO Appii litteras ad ſe datas, propter ſolam illorum longitudinem videtur dixiſſe *volumen*, *L. III ad Fam. Epiſtol. 7. Legati Appiani*, inquit, *mihi* VOLVMEN *a te, plenum querelae iniquiſſimae, reddiderunt, quod eorum aedificationem impediſſem.* EADEM *autem* EPISTOLA *petebas, vt eos quamprimum liberarem.* Hinc etiam, ſi plures colligabantur, FASCICVLVS LITTERARVM dicebantur; quia, vt ex coniunctis conſtrictisque virgis fit *faſcis;* ita litterae illae, quaſi exigua volumina virgas referentia, vbi in vnum coniiciebantur, colligabanturque, quodammodo *faſcis* formam prae ſe tulerunt. Huiusmodi *faſciculi* meminit CICERO, *L. II ad Q. Fratrem. epiſt. 11. Caeſar ſcripſit ad Balbum*, inquit, FASCICVLVM *iſtum* EPISTOLARVM, *in quo fuerat et mea, et Balbi, totum ſibi aqua madidum redditum eſſe; vt ne illud quidem ſciat, meam fuiſſe aliquam* EPISTOLAM. Satis hinc apparet, eas epiſtolas in *charta* fuiſſe ſcriptas; quia in ceratis tabellis ſcriptura non adeo facile ab aqua corrumpi potuiſſet, vt prorſus nequiiſſet legi. Adhaec veriſimile eſt, fuiſſe chartas conuolutas; quia ex pluribus colligatis faſciculus fiebat: quanquam et alius formae plures epiſtolae potuerunt colligari. Adhaec

priuato

priuato vſu *epiſtolae chartaceae* etiam alio atque alio modo interdum ſunt *complicatae*. Si EVSTATHIVM ſequamur, olim etiam ad formam Graecae litterae Δ, h. e. ad trianguli figuram, complicari ſolitae ſunt, ita, vt δέλτοι hinc nomen accepiſſe credantur. Ita enim ille, in *Scholiis ad Dionyſii deſcriptionem ſitus orbis*, *edit. Steph. p. 36.* Τὸ Δέλτα γράμμα τριγωνοειδῶς σχηματίζεται παρὰ τοῖς παλαιοῖς. Ὅθεν καὶ δέλτοι κυρίως μὲν οἱ τόμοι, ὅσοι τριγωνοειδῶς ἐσχηματίζονται ἐν τῷ πτύσσεσθαι, καθὰ καὶ νῦν ποιοῦσί τινες. Ὕστερον δὲ ἁπλῶς αἱ βίβλοι λέγονται ἀπὸ τῆς παλαιᾶς χρήσεως. Haud vero dubitamus, quin epiſtolae priuatae ad formam *libelli plicatilis* ſaepiſſime fuerint complicatae; quia haec ipſa forma ad familiarem vſum videtur fuiſſe accommodatiſſima. Atque tunc maxime epiſtolas LIBELLOS dictas arbitramur. Ita, apud OVIDIVM, *Epiſt. XI Heroid.* Canace ſuam epiſtolam vocat *libellum:*

Si qua tamen caecis errabunt ſcripta lituris,
Oblitus a Dominae caede LIBELLVS *erit.*

Et ne Poetae licentiam putes, accipe et optimi ſcriptoris liberum et familiarem ſermonem. CICERO, *ad Atticum*, *L. XI*, *Epiſt. 1: Accepi*, inquit, *a te* SIGNATVM LIBELLVM, *quem Anteros attulerat; ex quo ſcire nihil potui de noſtris domeſticis rebus.* IDEM, *L. XI ad Famil. ep. 11*, *ſcribit*: *Antonius ne de Planco quidem ſpem adhuc abiecit, vt ex* LIBELLIS *eius animaduerti*, *qui in me inciderunt*: *in quibus*, *quos ad Lepidum*, *quos ad Plancum*, *mitteret*, *ſcribebat*. Atque de his litteris in formam libelli plicatilis compoſitis omnium commodiſſime intelligi poteſt, quae fuerint in epiſtolis *paginae*, et cur eae tam breues? Epiſtolarum enim chartae in paginas iam ante, quam conſcriberentur, contractae plicataeque, ex vulgato vſu *breuiori forma* fuerunt. Teſtis eſt ISIDORVS HISPALENSIS, *L. VI Originum*, *c. 12.* *Breuiore forma*, inquit, *conficiebantur carmina et epiſtolae*: *at vero hiſtoriae maiore modulo ſcribebantur.* PAGINARVM in ſcribendis epiſtolis ſaepius meminerunt veteres ſcriptores. Pro eo enim, ac copioſum ſcribendi argumentum ſuppetebat; plurium etiam paginarum charta opus erat. CICERO, *Lib. VI ad Atticum*, *Epiſt. 2*: *Quoniam reſpondi*, inquit, *tuae* PAGINAE POSTREMAE, PRIMA *mea; nunc ad primam reuertar tuam.* PLINIVS, *L. III*, *epiſt. 11*: *Ego*, inquit, *non* PAGINAS *tantum*, *ſed etiam verſus ſyllabasque*, *numerabo.* Et certe CICERO cum ſatis breuiter ſcripſiſſet, non ſolum in *epiſt. 34 ad Atticum*, *L. XIII*, dixit: *complere paginas volui;* ſed

etiam, *L. XI ad Famil. epist. 25*, vbi non ita multos exarauerat versus, haec addit: *Non imitor* Λακωνισμὸν *tuum;* ALTERA *iam* PAGELLA *procedit.* Quod si ergo priuata et familiari consuetudine epistolis breuioris formae, et saepius ad exemplum memorialium libellorum, (qui et ipsi epistolarum loco erant,) vsi sunt veteres; cur non credamus, publicas contra solemnesque epistolas, et eas honoris caussa scriptas, imitatas esse *modulum maiorem*, quo fere historiae scribebantur? Atque hoc est, quod innuit SVETONIVS, vbi memorat, ante Iulii Caesaris aetatem, consules et duces ad Senatum non nisi *epistolas transuersa charta scriptas* misisse. Quo de loco mox paullo plura. Sed et illae publicae maioresque litterae potuerunt vel conuolui, vel complicari, signarique, quanquam non ad minorem formam libellorum memorialium. Atque adeo forte litterae illae publicae, quas ab Ario Lacedaemoniorum Rege, ad Oniam, Iudaeorum Pontificem, societatis ineundae caussa scriptas fuisse, memorat IOSEPHVS, *Antiquit. Iudaic. L. XII, c. 5*, forma ampliori eaque quadrata conscriptae fuerunt; in quarum quippe fine haec leguntur: Δημοτέλης ὁ φέρων τὰ γράμματα, διαπέμπει τὰς ἐπιςολάς· τὰ γεγραμμένα ἐςὶ τετράγωνα. ἡ σφραγίς ἐςιν ἀετὸς δράκοντος ἐπειλημμένος. h. e. ex interpretatione GELENII: *Demoteles est, qui has vobis reddit litteras, in* PAGINA QVADRANGVLA *scriptas, et obsignatas aquilae sigillo, draconem tenentis vnguibus.* Nolo nunc exponere, quid de ista Arii epistola a IOSEPHO exscripta moneant quidam viri eruditi, nominatim DANIEL HVETIVS, *Prop. IV Demonstr. Euang. c. 8.* Si vero apud Lacedaemones, quod MEVRSIVS, *L. III Miscell. Lacon. c. 4*, opinatur, praeter ceteros, ipsi Reges quadrata epistolarum forma vsi sunt; contra oblonga et peculiari forma litterarum, quae dicebatur σκυτάλη, vsi sunt Ephori eorum, vbi mandata mittenda erant ad belli duces, aut ad vrbes sibi subiectas. De qua *Scytale* nihil opus est, nunc PLVTARCHI, SVIDAE, TZETZAE, A. GELII, aliorumque, loca excitare, cum hoc argumentum iam ex instituto viri quidam docti pertractarint. Quoniam vero ad epistolas veterum quodammodo describendas delapsi sumus; haud pauca adhuc de earum *obsignatione* adiicere possemus. Sed, credo, et hac in re nobis otia fecit eruditus labor virorum praestantissimorum: CL. SALMASII, *in Tractatu de subscribendis et signandis Testamentis;* GEORGII LONGI, *in Tract. de Annulis signatoriis antiquorum; siue, de vario obsignandi ritu;* et IO. KIRCHMANNI *in Libro singu-*

lari

lari de Annulis. Ad obſignandas litteras, ſiue in volubili charta, ſiue in tabellis, ſiue in libellis plicatilibus, perſcriptae eſſent, haec tria adhibita fuiſſe: LINVM, CERAM, et SIGNVM, vel ex loco Plautino, ſupra citato, intelligitur. Imo et ipſos *libros* identidem *ſignari* coepiſſe, multis tum diuiniorum litterarum, tum aliorum ſcriptorum, teſtimoniis, poteſt comprobari. LINVM fuit filum ex lino, quo litteras iam conuolutas complicatasque aliquoties circumligarunt. Deinde ipſi LINO et potiſſimum eius extremis partibus, impoſuerunt CERAM, ſiue cerae fruſtum: quae cera ſigillaris vtique diſtincta fuit ab ea cera, qua pugillares tabulaeque ad ſcribendi vſum obducebantur; quae non ſolum ſplendoris cauſſa vario colore fuit imbuta, ſed etiam ſine dubio ſingulari arte parata, ne ad recipiendum ſtili ductum vel mollis nimis, vel nimis dura, exiſteret. Hinc et ea ipſa cera, teſte POLLVCE, Graece κηρὸς et proprie μάλθη, dicebatur. (Vid. doctiſſimi HEMSTERHVSII *notae ad Pollucis Onomaſticon.*) Contra CERA SIGILLARIS proprie ῥύπος Atticis audiit. HESYCHIO enim auctore, Ῥύπον Ἀττικοὶ τὸν εἰς τὰς σφραγῖδας κηρὸν λέγουσιν, h. e. *Attici ῥύπον vocant ceram, cuius ad ſigilla vſus eſt.* Antiqui, loco cerae, adhibuerunt etiam CRETAM quandam pinguem, lentam et glutinoſam; cuius et CICERO meminit, in *oratione pro Flacco: Haec*, inquit, *quae eſt a nobis prolata laudatio, obſignata erat* CRETA *illa* ASIATICA, *quae fere eſt omnibus nota nobis; qua vtuntur omnes, non modo in publicis, ſed etiam in priuatis, litteris; quas quotidie mitti videmus a publicanis ſaepe vnicuique noſtrum.* Sed tamen et illo ipſo Ciceronis tempore in ſignandis litteris etiam CERAE locum fuiſſe, ex eadem oratione cognoſcitur. *Noſtra laudatio*, inquit, *conſignata* CRETA eſt; *in illo autem teſtimonio, quod accuſatori dicitur datum,* CERAM *eſſe, videmus.* Demum illi cerae, ſiue cretae imprimebant SIGILLVM, linguae humore prius madefactum, ne cera ei adhaereret. De cuiusmodi *ſignorum* varia figura et vſu multa iam auctores collegerunt. Quae vero epiſtolarum aperiendarum fuerit ratio, facile intelligitur, et indicat CICERO, *Orat. III Catilin. c. 5*, vbi de epiſtolis quorundam hominum ſeditioſorum interceptis et ad Senatum relatis loquitur. TABELLAS, inquit, *proferri iuſſimus, quae a quoque dicebantur datae. Primum oſtendimus Cethego* SIGNVM; COGNOVIT. *Nos* LINVM INCIDIMVS; LEGIMVS. Et paullo poſt: *Tum oſtendi* TABELLAS *Lentulo, et quaeſiui, cognoſceretne* SIGNVM? *Annuit. Eſt vero, inquam,* SIGNVM *quidem*

notum; IMAGO AVI *tui*, *clarissimi viri.* Eos, qui nimio nouitatis studio, morae impatientes, mox *dentes vinculis epistolarum iniecerint, eaque ruperint morsu*, (τοῖς ὀδοῦσι τοὺς δεσμοὺς διαβιβρώσκοντας,) festiue notauit PLVTARCHVS, περὶ πολυπραγμοσύνης, fere circa finem. Quibus modis et artibus fraudulenti oraculorum interpretes sigilla recludere, codicillosque, ad quos a Deo commentitio sibi responderi volebant homines, clam aperire, et rursus obsignare, valuerint, ex LVCIANI *Alexandro Pseudomante* pluribus exposuit ANTONIVS VAN DALE, *L. de Oraculis*, *c. 6.* Vnum adhuc huic argumento addere liceat. Video, dubium esse posse, vtrum veteres ea verba, quae adhuc hodie in capite epistolarum, (v. g. CICERO TREBATIO S. D.) etiam extrinsecus in tergo illarum scripserint? Sunt, qui negant. Et his fauere videtur locus CICERONIS, *L. XI ad Atticum*, *Ep. 9.* *Delatus est*, inquit, *ad me fasciculus. Solus solui, si quid esset ad me litterarum: nihil erat. Epistola Vatinio, et Ligurio altera. Iussi ad eos deferri. Illi ad me statim ardentes dolore venerunt, scelus hominis clamantes. Epistolas mihi legerunt, plenas omnium in me probrorum.* Contra LIPSIVS, *cap. 4 Instit. Epist.* attulit locum ex PLVTARCHO, in *Vita Dionis*, *p. 972*, vbi haec leguntur: Κήρυκες δὲ παρὰ τοῦ Διονυσίου κατέβαινον, ἐπιστολὰς πρὸς Δίωνα παρὰ τῶν οἰκείων γυναικῶν κομίζοντες. μία δ᾽ ἦ ΕΞΩΘΕΝ ἐπιγεγραμμένη· τῷ πατρὶ, παρ᾽ Ἱππαρίνου. h. e. *Caduceatores a Dionysio aderant cum epistolis, quas ad Dionem scripserant foeminae propinquae. Vna* INSCRIPTIONEM FORIS HABEBAT: *Patri ab Hipparino.* Ego, si quid possum assequi coniectura, censuerim, in *fasciculis* quidem plurium epistolarum, externo inuolucro nomina non fuisse inscripta: vnde CICERO antequam soluerat epistolarum fasciculum, non poterat scire, an quid ad se esset litterarum? Vbi vero soluerat fasciculum, sine dubio ex inscriptione externa singularum epistolarum videbat, alteram Vatinio, Ligurio alteram, missam esse; quarum ipsarum epistolarum vincula et sigilla CICERO non soluit, neque argumenta earum prius recognouit, quam a Vatinio et Ligurio sibi praelegerentur. Quamuis vero hinc intelligamus, extrinsecus tergo singularum epistolarum, inprimis quae e longinquis locis mittebantur, additum fuisse nomen eius, ad quem missae fuerunt; non tamen semper et illius nomen, a quo venerant, externae chartae adiectum, sed intus tantum scriptum fuisse, putem. Suspicor hoc ex *versibus Ouidianis*, *L. IIII Trist. Eleg. 7.*

Cur,

Cur, quoties alicui CHARTAE SVA VINCVLA DEMSI,
Illam SPERAVI *nomen habere tuum?*

Sed, inquis: de *fasciculo* plurium epistolarum quid factum, si forte nesciit tabellarius, quibus eae fuerint reddendae? Fateor, haud raro in reddendis epistolis tunc erratum esse; interim litterae peregre allatae plerumque solebant *portitoribus* committi, qui rerum hominumque gnari, eas porro cuiuis reddendas curauere. Hinc legimus apud TERENTIVM, *Phorm. Act. I, Sc. II, vers. 99 et 100*: *Epistolam ab eo allatam esse audiui modo, et ad portitores esse delatam; hanc petam.* Poterant epistolae etiam apud portitores resignari, inspicique. Apud PLAVTVM, *Trinum. Act. III, Sc. III, vers. 65 et 66*, vbi is fecit duos veteratores de supponenda epistola falsa deliberantes, dubitantesque, vtrum ea obsignanda sit, necne: vt ne ex falso signo fraus cognosceretur; haec leguntur: *Si obsignatas epistolas non feret, dici hoc potest: apud portitorem eas resignatas sibi inspectasque esse.* Ceterum *Portitores*, docente Nonio, *dicebantur telonarii, qui portum obsidentes omnia sciscitarentur, vt ex eo vectigal acciperent.* Sed et *tabellarii* ipsi sic sunt vocati.

VII. Resumamus nunc tandem locum SVETONII. *Epistolas ad Senatum*, inquit, *primum videtur Iul. Caesar ad paginas et formam memorialis libelli conuertisse, quum antea consules et duces non nisi transuersa charta scriptas mitterent.* Paginae et forma memorialis libelli omnino satis fuerunt paruae, siue ex chartis complicatis, siue, quando mauis, ex tabellis ceratis, constiterint. Ergo Caesar chartam illam transuersam et extensam, in qua antehac consules ducesque scripserant ad Senatum, complicauit ad formam memorialis libelli, vt esset reuera *libellus plicatilis*, cuius minores sunt paginae. Quod vero alias maiori forma publicae litterae fuerint scriptae, censet et LIPSIVS, *cap. I Instit. Epist. Publicas*, inquit, *litteras ad S. P. Q. R. grandiore forma, et transuersa charta scribebant, scilicet quasi historias.* Dixeris: cur vero illa maior et patens forma chartae dicatur *charta transuersa?* Non certe generatim, et absolute, aut vbique, sic appellatur; sed hoc loco, cum ea forma referretur ad figuram libelli plicatilis. Fac enim, sumas alteram partem plagulae chartaceae nostratis (*einen halben Bogen Papyr*) nec primum eam complices, sed in superiore parte patentis paginae incipias vnum alterumue scribere versum, vti adhuc solemus: iam habebis aliquam formam chartae transuersae, quam innuit

innuit SVETONIVS. Etenim, ſi illam ipſam chartam deinceps, tanquam libellum plicatilem, forte in quatuor paginas complicaueris, easdemque paginas more ſolito perſcripſeris, adeo, vt, primo ſinu recluſo, prius in ſiniſtra, deinde in dextra paginula, ſcribas, ac deinde papyro rurſum in angulum plicata, ad tertiam et quartam progrediaris; tunc vbi perueneris ad illos verſiculos, quos in forma extenſae chartae inceperas ſcribere, eos ipſos verſiculos inuenies iam *transuerſos;* adeoque hac ratione in *transuerſa charta* ſcripti fuiſſe recte dicentur. Epiſtolarum in plicatili libello ſcribendarum mos habebatur commodior et familiarior; at in transuerſa, h. e. extenſa et maiori charta paullo ſplendidior, et ſcribentibus ad honoratiores viros vſitatior; quanquam non aeque commodus. Ergo poſteriorem ſcribendi modum conſules ducesque alias maxime ſecuti ſunt, cum publicas dederunt litteras ad Senatum Romanum; a quo modo receſſerat Caeſar. Eadem ratione diuus AVGVSTINVS ſcripſerat familiari modo, h. e. in plicatili libello, ad Maximum, Epiſcopum venerabilem; ad quem honoris et conſuetudinis cauſſa in maioris chartae forma ſcribere debuiſſet; ſed excuſat factum, quia eo conſilio ita ſcripſerit, vt et citius in breuioribus paginis ſcribere potuiſſet, et lecturi etiam commodius poſſent tenere chartam. Hoc ſenſu enim rectius intelligemus, quae AVGVSTINVS ea de re, *Epiſt. 220*, ad Peregrinum Epiſcopum ſcripſit: *Ad honorabilem*, inquit, *fratrem noſtrum, Maximum, litteras dedimus, credentes, eum gratanter eas ſuſcepturum. Verum, an aliquid profecerimus, proxima occaſione, quam reperire potueris, dignare reſcribere. Sciat ſane, prolixas epiſtolas ad familiariſſimos noſtros non ſolum Laicos, verum etiam Epiſcopos, ſic, quomodo iſta ſcripta eſt, ad eos ſcribere nos ſolere; vt et cito ſcribantur, et charta teneatur commodius, cum leguntur: ne forte, iſtum morem noſtrum neſciens, factam ſibi arbitretur iniuriam.*

VIII. De materia, ex qua conſtructi fuerint libelli plicatiles, haud opus eſt, vt multa dicamus. Neque enim alia adhiberi tunc potuit, niſi quae ad plicandum fuit accommodata. De membrana, inprimis tenuiore, vix eſt, cur dubitemus; cum in illa et epiſtolas quandoque ſcriptas fuiſſe nouerimus. Haud facile alius quis aeque luculenter, ac IO. GOROPIVS BECANVS, deſcripſit formam libellorum plicatilium. Hic vero, *L. X Hieroglyphicorum, p. 162*, ita ſcribit: *Vidi librum maximum e pergameno factum,*

ctum, qui ad hunc modum, (nempe ad formam libelli plicatilis) *erat complicatus, et prius parte anteriore totus percurrendus, ac deinde, hac clausa, altera parte aperiendus, qua paginae opisthographae occurrebant.* Ita nimirum, si charta a tergo susciperet scripturam, poterant etiam in libris ad planitiem complicatis paginae auersae, seu *opisthographae,* perscribi. De *chartae* vsu hucusque plus fere, quam satis est, disseruimus. At vero, cum multa chartarum fuerint genera, auctore PLINIO, *L. XIII Hist. Nat. c. 12;* ita dubium non est, quin aliud genus alio fuerit aptius. GOROPIVS, loco citato, eo nomine potissimum collaudat chartam *macrocollam,* in qua, stamine et subtemine coniunctis, etiam tertia taenia glutino inducta, *et cui pedalis ac cubitalis fuerit mensura; vbi tamen,* testante PLINIO, *ratio deprehendit vitium, vnius schedae reuulsione plures infestante paginas. Quid hic dicat Plinius,* inquit GOROPIVS, *non facile quispiam perspicit, nisi* plicatilium libellorum *modum cognoscat. In eo enim, si suprema chartae tabula recta in longitudinem porrigatur, multas paginas eaedem papyri fibrae percurrent: quo fiet, vt, si qua laeuis taeniola desquammetur, atque ea avellatur, multae paginae vitium hoc sint sensurae; et tot quidem, quot in vna papyri longitudine continentur. Ex quo clarum est, scribi solere in ceteris chartis ea parte, qua transuersae crates erant actae. Quod si Romani nostrum in plicando morem et scindendi folia in macrocollis secuti fuissent, nihil habuissent, ob quod ex vnius schedae, siue taeniolae, auulsione, de multis paginis timere debuissent.*

VIIII. Nullum genus librorum, quam plicatilium, videtur commodius aptiusque fuisse, quod quotidiani vsus caussa secum circumferrent homines. Sed, ne membrana, et maxime charta, nimium detereretur, opus erat aliquo inuolucro, siue integumento, aut theca, qua asseruaretur. Tale integumentum aliquando ex abiegnis tabellis confici solitum fuisse, innuit MARTIALIS, *L. XIIII, Epigr. 84;*

Ne toga barbatos faciat, vel paenula, libros;
Haec ABIES *chartis tempora longa dabit.*

Illas abiegnas tabulas, quibus Poeta dixit tegi solere libros, ne hi manibus aut sinu gestati attritique quasi inhorrescerent, in titulo Epigrammatis vocauerat MANVALE; quod nomen indicio est, huius generis libros vix manum impleuisse, aut saepius tritos fuisse manibus. Graeci commode appellauerint ἐγχειρίδιον. HESYCHIO

enim ἐγχειρίδια dicuntur σκέυη, καὶ ὄργανα σκευῶν, ἤγουν δόρατα, καὶ τὰ ἐν χειρί. Quanquam etiam ipſe talis libellus, qualis plicatilis, qui manu facile geſtari poteſt, et ſemper in promptu haberi debet, videtur dicendus ἐγχειρίδιον. Hinc forte et EPICTETI libellus ἐγχειρίδιε nomen habet. Poſſit illa theca et γλωττοκομεῖον dici, quod et alias notat inſtrumentum et arculam, recondendis ſcriptorum faſciculis accomodam.

X. Cum inter veterum librorum genera libri plicatiles ad vſum familiarem videantur fuiſſe accommodatiſſimi; mirum non eſt, pluribus populis huiusmodi librorum formam vſitatam fuiſſe. THOMAS BARTHOLINVS; *de Libris legendis Diſſert. IIII*, teſtatur, ſe huius generis membranaceum libellum poſſediſſe, vetuſtis Danorum Gothorumque notis inſignem. *Tabellae*, inquit, *membranaceae vel pugillarium ſpeciem aemulabantur ſectae*; [hinc erant codices] *vel* FOLIIS LAMINATIM COMPLICATIS *conſtabant: quali forma complicatas membranas Runicas in Muſeo exhibere poſſum.* Huius formae praeclarus Codex MSC. Mexicanus in Auguſtiſſima Bibliotheca Vindobonenſi aſſeruatur; qui, referente DANIELE NESSELIO, (in *Catal. Bibl. Vind. P. VI, p. 153*,) *continet antiquos annales Mexicanos pictos, et ſexaginta quinque vnius* OBLONGI VOLVMINIS COMPLICATI TABVLIS *comprehenſos.* OLAVS WORMIVS, in *Muſeo ſuo, p. 382*, commemorat deſcribitque varia exempla *epiſtolarum Chiniticarum et Iaponicarum*, quae itidem ad formam *libellorum plicatilium* ſunt complicatae; quarum vero deſcriptionem huc transferre nunc ſuperſedemus.

XI. Plura adhuc de hoc argumento afferre conſtitueramus; ſed quia nobis ipſis iam fere nimii in hac re fuiſſe videmur, coronidem huic ſchedio imponimus, Lectoremque beneuolum rogamus, vt interim hac leuiori opella litteraria acquieſcat.

EXPLICIT. DISPVT. V. DE ORNAM. LIBROR. VET.

DISPV-

DISPVTATIO VI

DE

VARIA SVPELLECTILE REI LIBRARIAE VETERVM.

SVMMARIVM.

I. *Prooemium.*

II. *VII.* EPIGRAMMATA GRAECA, *quae instrumenta scriptoria memorant.*

III. *De* PLVMBO ROTVNDO, *lineas praesignante; item de voce σετίς.*

IV. *De* REGVLA.

V. *De* SCALPRO LIBRARIO *et* SICILA.

VI. *De* PVMICE.

VII. *De* CALAMO.

VIII. *De* PENNA SCRIPTORIA.

VIIII. *De* STILO *siue* GRAPHIO.

X. *De* THECIS GRAPHIARIIS *et* CALAMARIIS.

XI. *De* ATRAMENTARIO.

XII. *De* SPONGIA.

XIII. *De aliis quibusdam instrumentis scriptoriis.*

XIIII. EPIGRAMMA *ex Anthologia inedita.*

XV. *De* TITVLIS *volumini affixis.*

XVI. *De* CISTIS, CAPSIS LIBRORVM *et* SCRINIIS.

XVII. *De* LIBRIS RESCRIPTIS.

Q. D. B. V.

I.

Cum antehac, editis quinque dissertationibus Academicis, explicauerimus ORNAMENTA LIBRORVM APVD VETERES VSITATA; nunc nobis in mentem venit, etiam VARIAM SVPELLECTILEM VETERVM, AD LIBROS SCRIBENDOS CONFICIENDOSVE PERTINENTEM, describere; quam, secundum POLLVCEM, *Libr. X, cap. 15*, licet appellare, *τὰ σκεύη τὰ τοῖς βιβλίοις χρήσιμα*, i. e. *instrumenta libris scribendis inseruientia*; et, secundum SVIDAM, *sub voce κανωνὶς*, *τὰ ἐργαλεῖα καλλιγραφικὰ*, *instrumenta scriptoria*. In vetusto autem *Epigrammate*, paullo post excitando, dicuntur *εὐγραφέος τέχνης ὄργανα*, h. e. *instrumenta artis bene scribendi*. Neque enim harum rerum curiosis iniucundum fore arbitramur, illa etiam nosse instrumenta, quibus tot bonarum mentium praestantiumque ingeniorum monimenta ita parata fuerunt, vt in lucem exire, atque ad seram posteritatem potuerint transmitti.

II. Eius generis instrumentorum plurima nomina cum inprimis tradant vetusta quaedam Graecorum Epigrammata, quae in Ἀνθολογίᾳ διαφόρων ἐπιγραμμάτων extant; visum nobis est, nunc ea ipsa hoc loco integra repetere, eademque simplici interpretatione Latina facere, vt singula deinceps eo commodius illustrare possimus. Ea vero sunt ἀναθηματικὰ ἐπιγράμματα παρὰ ΤΑΧΥΓΡΑΦΩΝ, i. e. *dedicatoria Epigrammata librariorum*, *siue eorum, qui velociter scribendi artem callent*, quae *Libr. VI, cap. 26 Antholog. in edit. Lascaris*, literis vncialibus exscripta, *A. 1494; item in edit. Aldina, A. 1521;* neque minus in *Brodaei edit. Basil. A. 1549, et in edit. Henr. Stephani, A. 1566*, licet legere; at in *Lubini editione, quae in Corpore Poetarum Graecorum, A. 1614, repetitur, Libr. III, p. 680*, exhibentur.

ΑΠΟ ΤΑΧΥΓΡΑΦΩΝ.

Ἐπίγραμμα α. Φιλίππȣ. a)

Κυκλοτερῆ μόλιβον, σελίδων σημάντορα πλευρῆς,
καὶ σμίλην, *) δονάκων ἀκροβελῶν γλυφίδα,
καὶ κανόνιδ' ὑπάτην, **) καὶ τὴν παρὰ θῖνα κίσηριν,
αὐχμηρὸν πόντȣ τρηματόεντα λίθον,
Καλλιμένης Μȣ́σαις, ἀποπαυσάμενος καμάτοιο,
θῆκεν· ἐπεὶ γήρᾳ κανθὸς ἐπεσκέ●το.

Epigramma I, PHILIPPI.

Plumbum rotundum, quo designantur lineae paginarum,
Et scalpellum, sculptorem calamorum acutam cuspidem habentium;
Et regulam rectricem, et pumicem, qui *iuxta litus* existit,
Aridum maris et foraminosum lapidem;
Callimenes, Musis, cessaturus a labore,
Dedicat; postquam ei *anguli oculorum propter senectutem obducuntur.*

Ἐπίγρ. β. Αδηλον.

Γραμμοτόκῳ b) πλήθοντα μελάσματι κυκλομόλιβδον,
καὶ κανόνα, γραφίδων ἰθυτάτων φύλακα,
καὶ γραφικοῖο δοχεῖα κελαινοτάτοιο ῥεέθρȣ, c)
ἄκρα τε μεσσοτόμȣς εὐγλυφέας καλάμȣς,
τρηχαλέην τε λίθον. δονάκων εὐθηγέα κόσμον, d)
ἔνθα περιτριβέων ὀξὺ χάραγμα πέλει,

 καὶ

a) Vir celeberr. IO. ALB. FABRICIVS, *Libr. III Biblioth. Gr. p. 723*, commemorat tres Philippos, quorum Epigrammata in *Anthologia* extent; nempe *Philippum Macedonem*, qui sub Caio Caesare scripserit; *Philippum Thessalonicensem*, qui sub Augusto Imp. et postea claruerit; et *Philippum iuniorem*, saeculo V, vel VI, post Christum natum, clarum.

*) Σμίλην scribitur in omnibus nostris exemplaribus Anthol. at SVIDAS, qui, sub voce σμίλη, hunc versum excitat, legit σμίλαν.

**) Haec verba affert SVIDAS, sub κανωνίς; at sub voce θῖνα sequentia huius Distichi verba habet.

b) HENR. STEPHANVS et LVBINVS habent γραμματόκῳ. BERN. MONTEFALC. in *Palaegr. Gr. p. 24*, legit: γράμματικῷ.

c) In BRODAEI edit. forte per errorem typographicum legitur ῥιέτρȣ.

d) Ita legit SVIDAS, sub voce κίσσηρις, item BRODAEVS; ceterae editiones habent κόσμȣ.

καὶ γλυφανοῦ καλάμου πλατέος γλωχῖνα σιδήρου,
 ὅπλα σοι ἐμπορίης ἄνθετο τῆς ἰδίης,
κεκμηκὼς Μενέδημος ὑπ᾽ ἀχλύος ὄμμα παλαιὸν,
 Ἑρμεία. σύ δ᾽ ἀεὶ φέρβε σὸν ἐργατίνην.

Epigramma II, auctoris incerti.

Plenum nigrore, quo lineae designantur, plumbum, idque rotundum;
 Et regulam, custodem calamorum in rectum tendentium:
Et receptacula scriptorii eiusque aterrimi liquoris,
 Itemque calamos summa in parte per medium scissos ac bene sculptos:
Adhaec asperum lapidem, qui calamos bene acuit politque,
 Vnde hi, si detriti fuerint, acuti existunt ad exarandas notas;
Atque aciem lati ferri, sculptoris calami,
 Instrumenta quaestus sui tibi posuit,
Menedemus, laborans caligine oculorum ob senectutem,
 O Mercuri! Tu vero semper nutrias tuum operarium.

Ἐπίγρ. γ.

Παύλου σιλεντιαρίου. e)

Γυρὸν κυανέης μέλιβον σημάντορα γραμμῆς, †)
 καὶ σκληρῶν ἀκόνην τρηχαλέην καλάμων,
καὶ πλατὺν ὀξυντῆρα μεσοσχιδέων δονακήων,
 καὶ κανόνα, γραμμῆς ἰθυπόρου ταμίην,
καὶ χρόνιον γλυπτοῖσι μέλαν πεφυλαγμένον ἄντροις,
 καὶ γλυφίδας καλάμων ἄκρα μελαινομένων,
Ἑρμείῃ Φιλόδημος. ἐπεὶ χρόνου ἐκκρεμὲς ἤδη
 ἦλθε κατ᾽ ὀφθαλμῶν ῥυσσὸν ἐπισκύνιον.

Epigr. III, PAVLLI SILENTIARII.

Plumbum rotundum, designatorem subnigrae lineae,
 Et cotem asperam durorum calamorum;

Et

e) PAVLLVS SILENTIARIVS, sub Iustiniano, Imperatore, inclaruit.
†) Hunc versum profert SVIDAS, sub voce γυρόν.

Et latum ſcalpellum calamorum per medium ſciſſorum,
Et regulam, lineae rectae adminiſtram;
Et atramentum longo durans tempore, inque vaſculis ſculptilibus aſ-ſeruatum,
Ac cuſpides calamorum, in ſummitate nigricantium;
Mercurio Philodemus (dedicat:) *poſtquam iam ſenii dependens*
Et rugoſa palpebra obuenit oculis.

Ἐπίγϱ. δ. Αδηλον,

Τὸν τϱοχόεντα μόλιβδον, ὃς ἀτϱαπὸν οἶδε χαϱάσσειν,
ὀϱθὰ παϱαξύων ἰθυτενῆ κανόνα·
καὶ χάλυβα σκληϱὸν καλαμηφάγον, ††) ἀλλὰ καὶ αὐτὸν
ἡγεμόνα γϱαμμῆς ἀπλανέος, κανόνα·
καὶ λίθον ὀκϱιόεντα, f) δόναξ ὅθι δισσὸν ὀδόντα
θήγεται, ἀμβλυνθεὶς ἐκ δολιχογϱαφίης,
καὶ βυθίην τϱίτωνος ἁλιπλάγκτοιο χαμεύνην,
σπόγγον, ἀκεστοϱίην πλαζομένης γϱαφίδος,
καὶ κίστην πολύωπα μελανδόκον, εἰν ἑνὶ πάντα
εὐγϱαφέος τέχνης ὄϱγανα ῥυομένην,
Εϱμῆ Καλλιμένης, τϱομεϱὴν ὑπὸ γήϱαος ὄκνῳ
χεῖϱα καθαϱμόζων ἐκ δολιχῶν καμάτων.

Epigramma IIII, incerti auctoris.

Orbiculare plumbum, quod ſemitam rectam, ſ. lineam, ſolet exarare,
Recta abradens, (ſ. ſequens) regulam in rectum extenſam;
Et chalybem durum, ſculptorem calamorum; ſed et ipſam
Regulam, ducem lineae non aberrantis;
Et lapidem aſperum, qua calami dens geminus
Acuitur, obtuſi ex diuturno vſu ſcribendi;

Et

††) Idem SVIDAS et huius Epigrammatis verba excitat, ſub χάλυβες.

f) Sic legit SVIDAS, ſub voce ὀκϱιόεις, excitato hoc verſu. Eodem modo in HENR. STEPHANI et LVBINI edit. ſcribitur hoc nomen ὀκϱιόεντα. In ceteris editionibus legitur ὀκϱυόεντα. De vtraque ratione huius vocabuli ſcribendi, eiusque *etymo*, adeundus STEPHANVS, in *Theſ. Graecae Ling.* Praeterea, hoc ipſum Epigramma SVIDAS etiam excitat ſub vocibus, χάλυβες, τϱίτωνος, et κίστη.

Et profundum Tritonis in mari vagabundi ſtratum,
Spongiam, remedium mendoſae ſcripturae;
Et ciſtellam atramentariam multisque loculis inſtructam, et ſimul omnia
Artis ſcriptoriae inſtrumenta aſſeruantem;
Mercurio Callimenes (dedicat) tremulam propter ſenii deſidiam
Manum componens, poſt diuturnos labores.

Ἐπίγρ. ε. Ἄδηλον.

Ἄβροχον ἀπλανέος μόλιβον γραπτῆρα κελεύθε,
ἧς ἔπι ῥιζοῦται γράμματος ἁρμονίη,
καὶ κανόνα, τροχαλοῖο κυβερνητῆρα μολίβδε;
καὶ λίθακα τρητὴν, σπόγγῳ ἐειδομένην,
καὶ μέλανος ϛαθεροῖο g) δοχήϊον, ἀλλὰ καὶ αὐτῶν
εὐγραφέων καλάμων ἀκροβαφεῖς ἀκίδας,
σπόγγον, ἁλὸς βλάϛημα, χυτῆς λειμῶνα θαλάσσης,
καὶ χαλκὸν, δονάκων τέκτονα λεπταλέων,
ἐνθάδε Καλλιμένης φιλομειδέσιν h) ἄνθετο Μέσαις,
γήραϊ κεκμηκὼς ὄμματα καὶ παλάμην.

Epigramma V, auctoris incerti.

Plumbum, quod non intingitur, at *rectam deſignat ſemitam,*
Super quam firmatur ordo ſcripturae;
Et regulam, gubernatricem plumbi orbicularis;
Et lapidem foraminoſum, ſpongiaeque ſimilem;
Et atramenti exquiſiti receptaculum; ſed et ipſorum
Bene ſcribentium calamorum in ſumma parte intinctas cuſpides;
Ac ſpongiam, maris germen, fluidi florem maris,
Et aes, ſubtilium calamorum fabricatorem;
Hic Callimenes manſuetioribus dedicauit Muſis:
Poſtquam ſenio oculi manusque eius langueſcant.

Ἐπίγρ.

g) In BRODAEI edit. legitur ϛατεροῖο.

h) Apud SVIDAM, vbi ſub voce κεκμηκὼς hoc excitatur Epigramma, ſcribitur φιλομήδεσιν, quaſi *curam et ſtudium amantibus;* at φιλομειδέσιν eſt proprie, *riſum amantibus.*

Ἐπίγρ. ϛ.

Ἰουλιανȣ͂ ἀπὸ ὑπάρχων αἰγυπτίου. i)

Ἀκλινέας γραφίδεσσιν ἀπιθύνοντα k) πορείας,
τόνδε μόλιβδον ἄγων, l) καὶ μολίβȣ κανόνα,
σύνδρομον ἡνιοχῆα, πολυτρήτȣ τ' ἀπὸ πέτρης
λᾶαν, ὃς ἀμβλεῖαν θῆγε m) γένυν καλάμȣ,
σὺν δ' αὐτοῖς καλάμοισι μέλαν, μυστήρια φωνῆς
ἀνδρομέης, σμίλης n) τ' ὀξυτόμον κοπίδα,
Ἑρμείῃ Φιλόδημος. ἐπεὶ χρόνος ὄμματος αὐγὴν
ἀμβλύνας, παλάμῃ δῶκεν ἐλευθερίην.

Epigramma VI,

IVLIANI, Praefecti Aegypti.

Non declinantes, calamis, vel scripturae, praefiniens semitas,
Hoc plumbum agens, et regulam plumbo
Congruentem moderatricem; itemque ex petra foraminibus plena
Lapidem, qui obtusum acuit mucronem calami;
Cumque ipsis calamis, atramentum, mysteria vocis
Humanae; et scalpelli acute secantem cuspidem;
Mercurio Philodemus (dedicat;) postquam senectus oculi lumen
Hebetans, manibus attulit vacationem.

Ἐπίγρ. ζ. Τȣ͂ αὐτȣ͂.

Αὔλακας ἰθυπόρων γραφίδων κύκλοισι χαράσσων,
ἄνθεμά σοι, τρωχθεὶς ȣ͂τος ἐμὸς μόλιβος,

καὶ

i) Forte IVLIANVS, Praefectus Aegypti, sub Theodosio Magno. Fuit et alius IVLIANVS, Praefectus Aegypti, sub Iustino, Imp. Vid. FABRICII *Bibl. Graec. Libr. III*, p. 719.

k) Fortasse rectius scriberetur ἐπιθύνοντα.

l) Parum abest, quin suspicer, hic latere mendum. Minimum, hoc loco vox ἄγων non satis tempestiue collocata videtur.

m) Sic legit SVIDAS, allato huius Epigrammatis versu, sub voce Λάας. Hunc sequuntur HENR. STEPHANVS, BRODAEVS, LVBINVS. Aliorum editiones habent θῆκε.

n) Ita vox σμίλης scribitur ab HENR. STEPHANO; in ceterorum editionibus omnibus, quae nobis ad manum sunt, legitur σμύλης.

καὶ μολίβῳ χρωστῆρι κανὼν τύπον ὀρθὸν ὀπάζων, o)
καὶ λίθος εὐσχιδέων θηγαλέος καλάμων,
σὺν καλάμοις, ἄγγος τε μελανδόκον, οἷσι φυλάσσει
αἰὼν ἐσσομένοις γῆρυν ἀποιχομένων· p)
δέχνυσο καὶ γλυπτῆρα σιδήρεον, ᾧ θρασὺς ἄρης
σὺν Μούσαις ἰδίην δῶκε διακτορίην.
Ἑρμείη· σὰ γὰρ ὅπλα. σὺ δ' ἀδρανέος Φιλοδήμου
ἴθυνε ζωὴν, λειπομένοιο βίου.

Epigramma VII, eiusdem auctoris.

Lineas recta procedentium calamorum circulo suo signans,
Donarium tibi dedicatum esto, hoc meum plumbum vsu attritum;
Et regula plumbo coloranti vestigium rectum praebens;
Et lapis apte scissos acuens calamos;
Et cum calamis atramentarium; quibus (instrumentis) seruat
Tempus posteris vocem mortuorum.
Accipe etiam scalpellum ferreum, cui audax Mars
Vna cum Musis propriam dedit functionem;
Mercuri! Tua enim haec sunt instrumenta. Tu vero infirmi Philodemi
Dirige vitam, quamdiu adhuc superstes erit.

III. Ad illustranda haec Epigrammata, iam sigillatim quaeuis instrumenta libraria, quorum in iis fit mentio, recensebimus. Primum adeo nobis occurrit κυκλοτερὴς μόλιβος, vel μόλιβδος, i. e. *plumbum teres, siue orbiculare, et quasi tornando rotundum factum.* Quod in altero Epigrammate, composito nomine, et eadem quidem notione, vocatur κυκλομόλιβδος. In tertio: γυρὸς μόλιβος *plumbum in orbem formatum.* Et in quarto: τροχόεις μόλιβδος, *plumbum rotae speciem praebens.* In CATVLLI *Epigrammate 19*, simpliciter appellatur PLVMBVM. Ait enim Poeta:


Membrana directa PLVMBO.

i. e. membrana, in qua singuli versus plumbo sunt praesignati, et secundum regulam directi. Non adeo hoc plumbum erat proprie et ordinarie *stilus plumbeus*, prout tradit ISAAC. VOSSIVS, ad *idem*

o) Hic versus citatur a SVIDA, sub voce χρωστήρ.
p) Hoc δίστιχον idem affert SVIDAS, sub voce γῆρυν.

idem Catulli Epigramma, *p. 54*; sed potius *orbis plumbeus*, seu tenuis e plumbo lamina, eaque in rotundum formata, qua vsi veteres librarii in membrana chartaue praesignarunt lineas rectas, ad quas scripturam suam dirigerent. SALMASIVS, in *Exercitationibus Plinian. edit. Paris. p. 917*, auctoritate veterum *Glossarum* nixus, docet, huiusmodi instrumentum, quo lineae ad scripturam dirigendam sunt praeductae, etiam a recentioribus Graecis dictum fuisse παράγραφον, et a Latinis, *praeductal*, vel *praeductale*, vel aliquando *praeductile*. Et sane sic legimus in PHILOXENI aliorumque *Glossariis*: παράγραφος, *praeductal*. παραγράφω, *praescribo*, *praeduco*. Quod nomen Latinum, *praeductal*, cum in FABRI *Thesauro eruditionis scholasticae*, a CELLARIO, aliisque viris eruditis, recognito, sub voce *paragraphus* afferatur; parum dextre eius ἔτυμον his verbis redditur: παράγραφος, *praeducta l. vbi L fortasse lineam significat.* Neque enim video, cur non *praeductal* aeque dici potuerit, ac *animal*, *mineruat*, *tribunal*, atque alia eius generis vocabula. Id ipsum autem instrumentum, de quo nunc agimus, in *Epigr. I*, sic describitur: κυκλοτερὴς μόλιβος, σελίδων σημάντωρ πλευρῆς. Quae verba ἐπιγραμματογράφε vtique paullo obscuriora sunt. Nomen enim σελίδων, quod ad rem librariam attinet, varias recipit notiones. SVIDAE Σελὶς dicitur τὸ μέσον τῶν δύο καταβατῶν ἄγραφον τυγχάνον. καὶ τὸ βιβλίον. h. e. *medium spatium idque scriptura vacuum, inter duas lineas deorsum versus ductas, vel inter duas columnas; item, et ipse liber.* Sic et HESYCHIO σελίδες sunt. ἐν τοῖς βιβλίοις τὰ μεταξὺ τῶν περιγραφῶν. Vbi SALMASIVS, ad *Firmum Vopisci*, *Cap. III*, pro περιγραφῶν mauult legere παραγράφων, sed, quantum iudicare possumus, praeter necessitatem. Περίγραφος enim hoc loco notat ambitum et determinationem scripturae certis finibus inclusae, quam vulgo dicimus, *columnam*, siue *aream*, itemque *paginam*. Quicquid igitur puri spatii intercedebat inter duas eiusmodi columnas, id dicebatur σελίς. Deinde σελὶς et σελίδιον, notare videtur id ipsum, quod hodie typographis in libris dicitur *columna*. Quo forte respexit SVIDAS; dum, *sub voce* κανόνιον, et σελίδιον, haec scripsit: σελίδιον, τὸ ἀπὸ τῶν ἄνωθεν ἀναγινωσκόμενον ἐπὶ τὰ κάτω· h. e. *id quod a superioribus paginae partibus ad inferiores legitur.* Nempe, dum veteres aliquando in transuersis voluminibus scriberent, (id quod potissimum in eo volumine obseruamus, quod Homerus tenere conspicitur, cuius imaginem ex Chiorum numo, et Bellorii Tabella,

FABRETTVS, in *App. Syntagm. de Columna Traiani*, *p. 348*, exhibet) facere non poterant, quin totam ſcripturam in varias areas, et quaſi *columnas*, diuiderent, easque ſingulas a ſuperiori ora transuerſi voluminis vsque ad inferiorem deducerent, hunc ſcilicet in modum:



Quoniam vero hac ratione ſcriptura a ſuperiori ora transuerſi voluminis ad eius partem inferiorem quaſi *deſcendere* videretur; hinc et eiusmodi *columna* HESYCHIO ſimpliciter dicebatur *καταβατόν*. Σελὶς, inquit, *πτυχίον, καταβατὸν βιβλίȣ.* h. e. Σελὶς, *tabella*, *columna deſcendens in libro.* Quanquam et ibi *πτυχίον καταβατὸν βιβλίȣ*, ſine interciſo, commode poſſent coniungi; propterea, quod quaeuis *columna* in voluminibus perſcripta veluti tabellam quandam referret. Adhaec, cum hae ipſae σελίδες in voluminibus referrent conficerentque *paginas*; hinc et in *Gloſſis antiquis*, a LABBAEO editis, σελὶς, *pagina*, et σελίδιον, *paginula*, redditur. Quemadmodum vero ſic facile admitti poteſt, ἐπιγραμματογράφον, in allato Epigrammate, per σελίδας deſignaſſe *areas*, vel *columnas* ſcripturae, atque adeo *paginas*, ſeu συνεκδοχικῶς, totum *librum*; ita nondum liquet, quid ibidem per πλευρὰν intellexerit. Πλευραὶ enim, vel πλευρὰ, proprie non notant, niſi *coſtas*, et *latera*. Deinde improprie *oras fluminis*; item πλευρὰ τῶν ςασίμων ὀργάνων dicebantur *furcae*, vel *crura lignea*, quibus impoſita tabulata, vel ſedilia, ſuſtinentur. Adhaec, σελὶς et πλευρὰ a POLLVCE, *Libr. I*, *cap. 9*, inter vocabula rei nauticae recenſentur. Hoc vero loco πλευρὰ σελίδων idem μεταφορικῶς notare videtur, quod alibi νῶτον σελίδος, nempe *paginam*, ſeu generatim *planitiem* libri, in qua ſcribitur. Sic enim loquitur PAVLLVS SILENTIARIVS, *Libr. VII*

Anthol.

Anthol. Epigr. VII: Ἀλλὰ θεὰς ἱκέτευε, φίλη, μὴ ταῦτα χαράξαι ὅρκια, ποινάης νῶτον ὑπὲρ σελίδος· i. e. *At Deos precare, o amica, ne haec iuraiuranda ſcribant in pagina libri poenalis.* Vtcunque eſt, videmur interea hunc verſum: Κυκλοτερῆ μόλιβον, σελίδων σημάντορα πλευρῆς, rei librariae veterum ſatis congruenter reddidiſſe: *Rotundum plumbum, quod deſignat lineam in quauis pagina, ſiue columna, aut in libro.* Cum ergo hoc plumbum ad praeducendas lineas adhiberetur; facile patet, cur idem dicatur, in *Epigrammate III*, σημάντωρ κυανέης γραμμῆς, *deſignator fuſcae lineae*; et in *Epigr. V:* ἄβροχος ἀπλανέος μόλιβος γραπτὴρ κελεύθε, ἧς ἔπι ῥιζοῦται γράμματος ἁρμονίη. h. e. *non madefactus*, ſiue *non intinctus ſcriptor*, *ſiue deſignator, certae ſemitae, ſuper quam firmatur iuſtus ordo ſcripturae.* Adhaec, in *Epigr. VI:* Ἀκλινέας γραφίδεσσιν ἀπιθύνων πορείας, *non declinantes ſtilis, vel calamis, dirigens ſemitas.* Credibile vero eſt, hoc plumbum vtique membranis chartisue fuſcum quendam, vel ſubnigrum, aut certe plumbarium, induxiſſe colorem, vt lineae, ſecundum quas exarabatur ſcriptura, facilius conſpici poſſent. Hinc enim, *Epigr. VII*, dicitur μόλιβος χρωστὴρ, quaſi *plumbum colorans*; et, in *Epigr. II:* γραμμοτόκῳ πλήθων μελάσματι κυκλομόλιβδος, *rotundum plumbum, plenum nigrore, vel liuore, lineas efficiente.* Qui vero color a plumbo inductus, quod IS. VOSSIVS, *l. c.* monet, peracta ſcriptura, maioris nitoris cauſſa, rurſus detergeri conſueuit, ne eius facile ſupereſſet veſtigium. Quemadmodum autem hoc ipſum plumbum ad praeſignandas lineas adhibitum ordinarie rotundum fuiſſe videtur; ita vix dubium eſt, quin et eius aliquando alia forma, pro cuiusuis arbitrio, aut commodiore vſu, eſſe potuerit. Atque adeo haud aegre inducimur, vt credamus, illud inſtrumentum, quod *Tab. I. fig. 1*, inter alia ὄργανα καλλιγραφικὰ, conſpicitur, et inferne ſemicirculo, ſuperne manubrio, inſtructum, quaſi arcum intenſum hunc in modum refert,



fuiſſe vel inſtrumentum circumcidendis membranis chartisue aptum, vel certe eius generis plumbum, quod praeſignandis lineis inſeruiiſſe, hactenus oſtendimus. Neque minus tamen et huius formae plumbum dici potuiſſe κυκλοτερῆ μόλιβον, exiſtimamus; propterea, quod etiam ab HOMERO, Ἰλιάδ. Δ. 124, arcus intenſus κυκλοτερὴς,

in orbem curuatus, dicitur; quia vehementer intenſus veluti orbem repraeſentat. Quin imo, haud in vniuerſum refragamur SALMASIO, VOSSIO, aliisque, tradentibus, aliquando etiam ſtilum quendam plumbeum ferreumue lineis praeducendis inſeruire potuiſſe. Cuiusmodi ſtilus, a ſtilo ſcriptorio quodammodo diſtinctus, fortaſſe ſigillatim παραγραφὶς dictus eſt. Certe nomen παραγραφίδος a nomine γραφεὺς, ſiue *ſtili ſcriptorii*, diſtinxit POLLVX, *Lib. X Onomaſt. c. 14*, vbi agit de *libris et inſtrumentis ad hos ſcribendos*. Τῷ δὲ παιδὶ δέοι ἂν προσεῖναι, γραφεῖον, παραγραφίδα, καλαμίδα, πυξίον. Quae verba autem ſic Latina reddidit interpres: *Puero adeſſe debent, ſtilus, notatorium, calamarius, tabella.* Quamquam nihil prohibet, quo minus exiſtimemus, παραγραφίδα aeque ac παράγραφον, etiam de rotundo plumbo, lineas praeſignante, dici potuiſſe.

IIII. Quo accuratius autem in charta, vel membrana, lineae praeducerentur plumbo, veteres librarii praeterea vſi ſunt certa REGVLA, quae *Epigr. I*, dicitur κανονὶς ὑπάτη, *regula ſumma, ſeu potius quaſi principalis, et rectrix.* Quem locum Epigrammatis etiam SVIDAS excitauit, ſub voce κανωνὶς, ſed non explicauit, niſi generalibus his verbis additis: ἐργαλεῖον καλλιγραφικὸν, i. e. *inſtrumentum eleganti ſcripturae inſeruiens*. In *Epigr. III*, idem inſtrumentum vocatur κανὼν, γραμμῆς ἰθυπόρε ταμίας, h. e. *lineae recte progredientis diſpenſator, vel director*. In *Epigr. IV:* ἡγεμὼν γραμμῆς ἀπλανέος, κανών, i. e. *canon, ſ. regula, dux lineae non errantis.* Denique in *Epigr. V. et VI*, vſus regulae huius luculentiſſime deſcribitur; dum ibi vocatur κανὼν, τροχαλοῖο κυβερνήτηρ μολίβδε, i. e. *regula, rotundi plumbi gubernatrix*; hic autem: κανὼν μολίβῳ χρωςῆρι τύπον ὀρθὸν ὀπάζων, i. e. *regula, plumbo coloranti ductum rectum praebens.* Sed et in alio Epigrammate antiquo, quod SVIDAS laudat, ſub voce σελὶς, dicitur: καὶ σελίδων κανόνισμα φιλόρθιον, i. e. *regula recte ordinans, vel dirigens, paginas.* Nobis Germanis a Latino nomine *lineae*, cui ducendae inſeruit, apellatur das Lineal. SALMASIVS, et VOSSIVS, locis ſupra citatis, tradunt, aliquando etiam ipſam *thecam calamariam* ita adaptatam fuiſſe, vt ſimul vicem eius regulae, quam hactenus deſcripſimus, praeſtare potuerit. Quam in rem, neſcio, annon liceat, ex *Epigrammate II*, haec afferre verba: κανὼν, γραφίδων ἰθυτάτων φύλαξ, i. e. *regula, cuſtos calamorum recte dirigendorum.* Quamquam repugnare nolim, ſi quis hic γραφίδα, *ſcripturam*, interpretari

terpretari velit. Itali autem, quod BRODAEVS, in *Obseruat. ad Anthologiam*, annotat, identidem funiculos tenues tabellae ligneae conglutinant, quibus chartae suppositis, manuque pressis, lineas forment, ita, vt neque orbe stiloue plumbeo, neque regula, ad praesignandas lineas vti, opus habeant.

V. Porro, inter supellectilia rei librariae habetur etiam SCALPER, siue SCALPRVM, vel SCALPELLVM: quo quamuis varii vtantur artifices; sigillatim tamen datur et SCALPRVM LIBRARIVM, prout vocatur a TRANQVILLO, in *Vita Vitellii, cap. II. In custodiam*, inquit, *fratri datus*, SCALPRO LIBRARIO *venas incidit*. Quod factum his verbis commemorat TACITVS, *Annal. V, cap 8: Mox crebris prolationibus spem ac metum iuxta grauatus Vitellius, petito, per speciem studiorum*, SCALPRO, *leuem ictum venis intulit*. Ergo, qui studia tractabant, scribebantque libros, vti soliti sunt *scalpro*. Hoc vero instrumentum librarium, in *Epigrammate Gr. I*, dicitur σμίλη, δονάκων ἀκροβελῶν γλυφίς, h. e. *scalpellum, salptor calamorum acutas cuspides habentium*. Atque auctor *Epigrammatis II*, hoc instrumentum describens, vocat: καὶ γλυφανῦ καλάμυ πλατέος γλωχῖνα σιδήρυ. In quo versu, IS. CASAVBONVS, in *Lection. Theocritic. cap. 2, p. 11*, pro γλυφανῦ iubet legi γλύφανον. At, ni fallimur, praeter necessitatem, et contra auctoritatem omnium codicum, hucusque editorum, huius loci emendatio tentatur; cum hic versus per ἐπεξήγησιν satis commode sic explicari posse videatur: *Et aciem lati ferri, sculptoris calami*. Si quid mutandum, malimus καλάμων ibi, quam καλάμυ, legere. Id autem haud aegre damus, rectius hic fortasse scribi γλυφάνυ, quam γλυφανῦ· γλύφανος enim apud veteres λεξικογράφυς vulgo sic scriptum legitur. Ceteroquin, teste AVCTORE *Etymologici magni*, γλυφὶς aeque, ac γλύφανον, *scalprum* significat. Ait enim: Λέγεται γλυφὶς καὶ τὸ γλύφον ἐργαλεῖον· ὃ γὰρ γλύφανον ὠνόμασε Θεόκριτος. i: e. *Δλυφὶς etiam appellatur instrumentum scalpens, siue scalprum; hoc enim et* γλύφανον *dixit Theocritus*, (*nempe Idyll. I, v. 28.*) Huc etiam pertinet nomen γλυφεῖον, quod SVIDAS habet. Sed et *Glossae* PHILOXENI et CYRILLI γλυφεῖον reddunt *celten*. Praeterea, in *Epigrammate IV*, nominatur χάλυψ σκληρὸς καλαμηφάγος. Quae verba LVBINVS mirifice sic Latina fecit: *Crena aspera, capiens calamos*; cum hunc in modum potius exprimi debeant: *Chalybs durus, quo sculpuntur et ad scribendum aptantur calami*. Καλαμηφάγον enim *scalpellum*

poetice

poetice appellatur, quasi *vorans* et *circumrodens calamos;* vbi proprie dici posset καλαμόγλυφον i. e. *sculpens calamos;* quam vocem refert auctor *Etymologici magni.* Eadem ratione in *Epigrammate* ἀνεκδότῳ, apud SALMASIVM, *Exercit. Plin. p. 1045*, dicitur [1]σμίλα δονακόγλυφος. In *Epigrammate III*, idem instrumentum dicitur πλατὺς ὀξυντὴρ μεσοσχιδέων δονακήων, h. e. *latum scalpellum calamorum per medium scissorum.* Porro, in *Epigr. V*, hoc ipsum scalpellum vocatur χαλκὸς, δονάκων τέκτων λεπταλέων, i. e. *aes, fabricator calamorum subtilium, siue acutorum.* Et in *Epigrammte VI:* κοπὶς ὀξυτόμος σμίλης, *acies acute secans scalpri.* Ex quibus locis adeo satis liquet, γλύφανον, *scalpellum*, fuisse instrumentum, a *graphio* et *stilo*, de quo postea dicemus, vtique distinctum; vtpote quo potissimum calami ad scribendum sint aptati. Id quod Latini dixerunt *temperare calamum*, i. e. ita calamum concinnare, vt bene expresseque scribat. Sic loquitur CICERO, *Libr. II, Epist. 14, ad Q. Fratrem: Calamo et atramento temperato, charta etiam dentata, res agetur.* Graeci reddidere γλύφειν, et, secundum *Epigr. II*, temperatos calamos vocarunt εὐγλυφέας καλάμους. Vnde et adhuc in PHILOXENI *Glossis* legimus: γλύφει κάλαμον, *temperat.* Auctor *Etymologici magni* vnica composita voce καλαμογλυφεῖν eandem rem exprimit. Denique IVLIANVS, *Epigrammate VII*, scalpellum vocat γλυπτῆρα σιδήρεον, i. e. *sculptorem ferreum.* Quando autem idem, in eodem versu, ait, *Martem et Musas scalpello proprium concessisse ministerium;* id significasse videtur, homines scalpello vti posse non solum ad scribendum, sed etiam ad vulnerandum; cuius rei exemplum paullo ante ex SVETONIO attulimus. Verum, animaduertimus, hunc ipsum cultellum, siue scalprum librarium, antiquitus etiam dici consueuisse SICILAM. Sic enim legimus, in *Glossario* PHILOXENI *Graeco-Latino*, a LABBAEO edito: Σμίλα, *scalprum*, SICILA, *sculpium.* Σμίλα χαρτοτόμος, *sicila.* Σμίλιον, *scalpellum.* Et in *Glossario Latino-Graeco:* SICILA, σμίλα χαρτοτόμος, ἀρβήλιον. *Sicilicis*, ἀρβήλιον. *Sicilum*, ξηρὸν σκυτέως; i. e. *scalprum sutoris.* Sic et ἄρβηλον siue ἀρβήλιον, annotante HENR. STEPHANO, apud *Scholiasten Nicandri*, est *culter sutorius.* IOS. SCALIGER, ad *Pomp. Festum*, de ista voce haec annotat: *Sicila*, σμίλα χαρτοτόμος, ἀρβήλον. *Est vox magnae Graeciae: eo nomine intelligebant, quicquid secandi vim habet. Inde Sicilia dicta, quia ab Italia abscessa. Inde, sicilire prata, secare. Sicila* vero sine dubio a *sica* descen-

[1] scalpellum aciem acuens.

deſcendit. Vnde et *ſiciliculae*, VARRONI, *L. IIII de Lingua Latina*, dicuntur *falces certae.* Atque ipſum verbum, *ſicilire*, i. e. ſecare, VARRONI et PLINIO *ſeniori* vſurpatum. Quas vetuſtas voces cum etiam in re libraria deſcribenda animaduertiſſet, minusque intellexiſſet, ISIDORVS HISPALENSIS; hinc *Libr. VI, Cap. 12*, effinxiſſe videtur, *circumcidi libros, in* SICILIA *primum increbuiſſe.* Quam ſuſpicionem noſtram iam in *Diſput. II de Ornamentis Librorum apud veteres vſitatis, Sect. XVIIII*, expoſuimus. At enimuero, quamuis *ſicila* vtique fuerit inter inſtrumenta libraria; crediderim tamen, eam duplici nomine a ſcalpro fuiſſe diſtinctam. Primum enim veriſimile eſt, *ſicilam* magis ad chartas membranasque voluminum circumcidendas, quam ad calamos aptandos temperandosque, adhibitam fuiſſe. Dicitur enim in *Gloſſis* antiquis *ſicila*, σμίλα χαρτοτόμος, i. e. *ſcalprum, quo chartae ſecantur.* Deinde vix dubium eſt, quin et forma vtriusque inſtrumenti fuerit quodammodo diuerſa. SCALPRO tribuitur in *Epigrammate II*, γλωχῖν πλατέος σιδήρου, i. e. *acies lati ferri;* SICILA autem videtur paruae falci ſimilis fuiſſe. Sic, teſte VARRONE, *L. IIII de L. L. cap. 31, Falces, in Campania*, SECVLAE, *a ſecando.* Sic IDEM, *Lib. I de Re Ruſt. cap. 48*, ſcribit: SICILIENDA *prata*, i. e. falcibus conſectanda, quae foeniſecae praeterierunt. Sic et in *veteri Gloſſa:* SICA, μάχαιρα Θρακικὸν ξίφος ἐπικαμπές; quia ſica Thracica incuruum gladii genus fuit. SALMASIVS, in *notis ad cap. XVII Capitolini de Maximo et Balbino*, non pauca de voce *ſicila* annotauit, docuitque, *ſicilam* fuiſſe quaſi breuem gladium, vel cultrum, in modum ſicae incuruum, qui et *ſicilus*, et *ſicilum*, et *ſicilis*, dici conſueuerit. Atque adeo huiusmodi *ſicilae* formam videre licet in imagine ſcribentis Dionyſii Halicarnaſſenſis, quam exhibuit MONTEFALCONIVS, *Palaeograph. Gr. p. 24;* et nos ex ipſo, *TAB. I, fig. 3.* Praeterea, eiusdem *Tabulae fig. 2*, vbi icon Marci ſcribentis ex NESSELII *Catalogo Bibliothecae Vindobonenſis* affertur, praeter vaſcula atri aliusque liquoris, diſtincta haec inſtrumenta ſcriptoria, ni fallimur, nempe *ſcalpellum* temperandis calamis; *ſicilam*, chartae membranaeque circumcidendae; et *punctorium*, de quo poſtea dicemus, conſpicere licet. Alioqui credimus facile, formam *ſcalpelli* veterum fortaſſe aliquando etiam a noſtris ſcalpellis ſcriptoriis non multum receſſiſſe.

VI. Venio ad PVMICEM, cuius in ſupellectile libraria veterum frequens fuit vſus. Eius crebra fit mentio in *Epigrammatibus*

dedicatoriis, supra ex *Anthologia* propositis. Pumex Graecis proprie dicitur κίσσηρις, et, fortasse metri caussa, κίσηρις; quem ex eo sic nominatum non nulli volunt, quod videatur, erosus exesusque esse ab eo vermium genere, quod κὶς dicitur, lignis frumentisque innascens, eaque exiguis foraminibus perterebrans. Quem pumicem PHILIPPVS, auctor *Epigrammatis I*, sic descripsit:

-- -- Καὶ τὴν παρὰ θῖνα κίσηριν,
Αὐχμηρὸν πόντε τρηματόεντα λίθον.

h. e. *Et pumicem juxta litus, lapidem maris aridum et multis foraminibus praeditum.* At auctor incertus *Epigrammatis V*, pumicem vocat λίθακα τρητὴν, σπόγγῳ εἰδομένην, i. e. *lapidem perforatum, spongiae similem.* *Pumex* autem est lapis cauernosus, quo corpora variaeque res possunt laeuigari. Iudice SCALIGERO, in *notis ad Aetnam*, *pumex* prius fuit *spumex*, propterea sic dictus, quod non est nisi *spuma* ac fex quaedam lapidum liquefactorum. Quo fortasse etiam respexit ISIDORVS, *Libr. XVI, cap. 3. Pumex*, inquit, *vocatur eo, quod spumae densitate concretus fiat.* GERARDO IO. VOSSIO, in *Etymologico*, nomen *pumicis* verius videtur venisse a πτύω, i. e. *spuo*, quasi *ptumex*, et εὐφωνίας caussa eiecto τ, *pumex.* PLINIVS, *Libr. XXXVI Hist. nat. cap. 21*, de vsu pumicis suo aeuo haec tradidit: *Appellantur*, inquit, *ita et erosa saxa. sed et ii* PVMICES, *qui inopum turbis sunt in vsu corporum laeuigandorum, et feminis, iam quidem et viris, atque, vt ait Catullus*, LIBRIS. *Laudatissimi sunt in Melo, Scyro, et Aeoliis insulis. Probatio in candore minimoque pondere, et vt quam maxime spongiosi aridique sint, ac teri faciles, nec arenosi in fricando.* Generatim adeo vsi sunt pumice ad radendas aequandasque membranas, librosque poliendos. Quod testatur CATVLLVS, *Epigr. I:*

Quoi dono lepidum nouum libellum,
Arida modo pumice expolitum?

Ita enim, obseruante VOSSIO, cum ex SERVIO et ATILIO FORTVNATIANO constet, sic scripsisse CATVLLVM, non male hanc lectionem reduxerunt viri docti; non, *arido;* quemadmodum habent libri quidam manu exarati, adhuc superstites. Quod de SERVIO memorat VOSSIVS, id legitur in eius notis ad VIRGIL. *L. XII Aen. v. 587: Pumicem*, inquit, *Virgilius masculino genere posuit, et hunc sequimur: nam et Plautus ita dixit; licet Catullus dixerit feminino.* FORTVNATIANI locus extat inter *Grammaticos*

cos APVTSCHIO editos, *p 2676.* At MARIVS VICTORINVS, *ibidem*, *p. 2596*, legit: *Libellum arido modo pumice expolitum.* Idem CATVLLVS, in *Epigr. XIX:*

Membrana directa plumbo, et PVMICE omnia aequata.

Ad quae verba recte haec commentatur IS. VOSSIVS: *pumice aequatur membrana, cum abraditur, quicquid aequale subest.* Hunc in modum etiam cecinit HORATIVS, *Libr. I, Epist. XX, v. 1 et 2:*

Vertumnum Ianumque, Liber, spectare videris;
Scilicet vt prostes Sosiorum PVMICE mundus.

Cum quo facit et TIBVLLVS, *Libr. III, Eleg. I, v. 10:*

Lutea sed niueum inuoluat membrana libellum;
PVMEX *et canas tondeat ante comas.*

Vbi ACHILLES STATIVS, pro *pumex et*, male substituere tentauit: *punicet.* Praeterimus nunc plura alia Poetarum loca, iam alibi a nobis excitata, in quibus librorum *pumice* cultorum politorumque fit mentio. Quem pumicis vsum adhuc suo aeuo designauit PETRVS BLESENSIS, in *Sermone de Natiuitate DEI. Audi*, inquit, *libri compositionem, vt et omnia in corde tuo comparare studeas. Prius traditur rasori, vt cum rasorio omnem superfluiditatem, pinguedinem, scrupulos, et maculas, tollat. Deinde superuenit* PVMEX, *vt, quod rasio auferre non potuit, pumice deleatur; scilicet pili, et alia minuta. Adhaec, antequam scribatur, opus est regula, ne tortuose ducatur linea.* Vides, hic simul mentionem fieri *regulae*, de qua iam paullo ante egimus. Alium vero vsum pumicis indicant antiqua Epigrammata, ex *Anthologia* allata; dum eum ad exacuendos calamos adhibitum fuisse commemorant. Auctor enim incertus *Epigrammatis II*, pumicem vocat:

Τρηχαλέην τε λίθον, δονάκων εὐθηγέα κόσμον,
Ἔνθα περιτριβέων ὀξὺ χάραγμα πέλει.

h. e. *Scabrum lapidem, bene acuentem polientemque calamos; vnde horum detritorum acutus character, siue scriptura, existat.* Malim enim in primo versu κόσμον retinere, quod SVIDAS habet, sub voce κίσσηρις, quam κόσμου quod plerique libri impressi *Anthologiae* referunt. Atque, in *Epigr. IIII*, PAVLLVS SILENTIARIVS hunc lapidem vocat;

-- -- Λίθον ὀκριόεντα, δόναξ ὅθι δισσὸν ὀδόντα
Θήγεται, ἀμβλυνθεὶς ἐκ δολιχογραφίης.

 i. e.

i. e. *lapidem asperum, quo crenae acuuntur calami, obtusi ex diuturno scribendi vsu.* Adhaec IVLIANVS, *Epigr. VI*, hoc instrumentum appellat:

-- -- -- πολυτρήτȣ τ' ἀπὸ πέτρης
Λᾶαν, ὃς ἀμβλεῖαν θῆγε γένυν καλάμȣ.

h. e. *Multum pertusae petrae lapidem, qui obtusam acuit aciem calami.* Eidem denique auctori, in *Epigr. VII*, dicitur:

-- λίθος ευσχιδέων θηγαλέος καλάμων.

i. e. *lapis, scissos acuens calamos.* Hic poterat alicui in mentem venire, annon in quibusdam locis horum Epigrammatum Graecorum, per λίθον, etiam intelligatur, COS adeo, vt dicamus, veteres ad poliendos acuendosque calamos, non solum pumice, sed aliquando etiam cote, alioue duri lapidis genere, vsos esse? Certe id PAVLVS SILENTIARIVS, in *Epigrammate III*, diserte innuere non nullis videatur, vbi librarius Mercurio dedicat σκληρῶν ἀκόνην τρηχαλέην καλάμων, h. e. *cotem asperam durorum calamorum.* Auctor *Etymologici magni* ita hanc vocem explicat: ἀκόνη, ὁ λίθος, δι' ȣ̔ ὀξύνεται ὁ σίδηρος, h. e. *Cos est lapis, quo acuitur ferrum.* De cotis ferrum acuentis vsu haec tradit PLINIVS, *Libr. XXXVI Histor. natur. cap. 22: Nunc ad operarios lapides transisse conuenit, primumque* COTES FERRO ACVENDO. *Multa earum genera; Creticae diu maximam laudem habuere: secundam Laconicae ex Taygeto monte, vtraeque oleo indigentes. Inter aquarias Naxiae laus maxima fuit; mox Armeniacae, de quibus diximus. Ex oleo et aqua Ciliciae pollent; ex aqua Arsioneticae. etc.* SALMASIVS, in *Exercit. Plinian. p. 1333*, docet, *aquarias cotes* acuendo ferro fuisse, quae aqua aspergi inter acuendum postulent; alias fuisse *olearias*, quae oleo tangi consueuerint: omnes attritu ferrum acuisse. Credas ergo, cote, sicut ferrum, ita et fortasse calamos, attritu acui potuisse. Quid vero? si opinemur, veteres etiam ex cote, vel silice, vel alio duro lapide, ipsa etiam scalpella, vel cultellos, parare aliquando solitos fuisse. Huc pertinere videtur, quod ait CATVLLVS, in *Aty, Epigrammate LXIIII: Deuoluit ille acuto sibi pondera* (pudenda) *silice.* Et PLINIVS, *Libr. XXXV, c. 12: Samia testa*, inquit, (i. e. lapide Samio) *matris Deum Sacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputant.* Imo et *IOSVAE cap. V, v. 2*, Interpretes LXX sic scribunt: ποίησον σεαυτῷ μαχαίρας πετρίνας ἐκ πέτρας ἀκροτόμȣ. i. e. *fac tibi cultros lapideos ex petra dura.* Conf. *EXOD. cap. V, v. 25.* Commemorant viri eruditi,

adhuc

adhuc quosdam orientis incolas, tum ad circumſionem, tum ad ſanguinis miſſionem in venis ſecandis, vti cultellis lapideis. Quod pluribus demonſtrat, et eiusmodi cultellorum figuras exhibet MATTHIAS ZIMMERMANNVS, in *Analectis miſcellis menſtruis*, *p.* 412. Vtcunque eſt, exiſtimamus, non neceſſe eſſe, vt, in dicto PAVLLI SILENTIARII *Epigrammate*, per ἀκόνην τρηχαλέην καλάμων proprie intelligamus *cotem*; neque enim haec ſatis apte diceretur τρηχαλέα, i. e. *aſpera:* ſed veriſimile nobis eſt, Poetam τροπικῶς locutum deſignare voluiſſe *pumicem*; quem vocarit ἀκόνην, quaſi generatim *lapidem acuendis calamis* aptum; haud ſecus, ac verbum ἀκονᾷν generatim *acuere* ſignificat. Equidem EILHARDVS LVBINVS, in *Paulli Silentiarii Epigrammate*, ἀκόνην τρηχαλέην καλάμων interpretatur, *cuſpidem aſperam calamorum*; ſed quo minus hanc interpretationem amplectamur, facit alius verſus eiusdem Epigrammatis, in quo commemorantur γλυφίδες καλάμων, *cuſpides calamorum.* Vix enim credibile eſt, in breui Epigrammate vnam eandemque rem bis exprimi, repetique.

VII. Sequitur, vt iam de ipſo etiam CALAMO agamus, quo vſi ſunt veteres ad literas in membrana chartaue ſcribendas, pingendasque. De variis calamorum generibus, varioque eorum vſu, agit PLINIVS, *Libr. XVI Hiſtor. nat. cap.* 36, quem nunc exſcribere nolumus. Erat vero hoc inſtrumenti ſcriptorii genus ARVNDO, quam adeo in eodem carmine, PERSIVS, *Satyr. III*, etiam *calamum*, eſt *fiſtulam*, vocat.

Iam liber, et bicolor poſitis membrana capillis,
Inque manus chartae, NODOSAQVE *venit* ARVNDO.
Tunc queritur, craſſus CALAMO *quod pendeat humor,*
Nigra quod infuſa vaneſcat ſepia lympha;
Dilutas, queritur, geminet quod FISTVLA *guttas.*

Vnde ſimul intelligimus, calamo non minus membranam, quam chartam Aegyptiacam, fuiſſe perſcriptam. Vocatur hoc ſcribendi inſtrumentum a CELSO, *Libr. V*, *cap.* 28, *calamus ſcriptorius;* et ab APVLEIO, *Libr. II Florid. calamus chartarius.* Vocem *calami* Latium retulit acceptum Graeciae; ibi enim idem proprie audit κάλαμος. Sic THOMAS MAGISTER, in Ἐκλογαῖς ὀνομάτων Ἀττικῶν: ΚΑΛΑΜΟΣ, ἐπὶ γραφίδος, ου δόναξ. τοῦτο γὰρ ἐπὶ τῶν ὀροφὰς, καὶ αὐλοὺς συντελούντων καλάμων. i. e. Κάλαμος *dicitur de inſtrumento ſcriptorio; non vero* δόναξ. *Hoc enim nomen potius eos calamos notat, quibus faſtigia et tecta aedium teguntur, aut ex quibus tibiae*

conficiuntur. Nihilominus tamen etiam nomen δόναξ, et δονακεὺς, minimum apud poetas, pro calamo scriptorio dici, vel auctoritate sex *Epigrammatum*, quae sub initium huius dissertationis proposuimus, satis constat. Sed et locum ex CLEMENTE ALEXANDRINO infra afferemus, vbi σχοῖνος de eodem instrumento dicitur. Medio aeuo calamos scriptorios etiam dictos esse κονδύλȢς, et κονδύλια, ex CANGII *Glossario Graeco* intelligimus. Adhaec et *cannam Glossae Philoxeni* interpretantur κάλαμον, δι' Ȣ γράφομεν i. e. *calamum, quo scribimus.* Luculenter describitur huiusmodi *calamus scriptorius Libr. I Anthol. cap. XVIII, Epigr. I:*

Ἤμην ἀχρεῖον κάλαμος φυτόν. ἐκ γὰρ ἐμεῖο
Οὐ σῦκ', Ȣ μῆλον φύεται, Ȣ σαφυλή.
Ἀλλά μ' ἀνὴρ ἐμύησ' Ἑλικωνίδα; λεπτὰ τορήσας
Χείλεα, καὶ σεινὸν ῥοῦν ὀχετευσάμενος.
Ἐκ δὲ τȢ εὖτε πίοιμι μέλαν ποτὸν, ἔνθεος εἶα,
Πᾶν ἔπος ἐφθεγκτῳ τῷδε λέγω σόματι.

H. e. *Ego calamus eram frutex inutilis*: (vbi LVBINVS ἀχρεῖον male reddidit *agrestis;* quasi scriptum fuisset ἄγριον) *Etenim ex me non ficus, neque pomum, nascitur, neque vua. Sed me vir initiauit in Helicone, tenues poliens crenas, et angustum fluxum deriuans. Ex quo, simul ac imbibi potionem atram,* i. e. atramentum; *tanquam numine afflatus, omne verbum muto hoc ore eloquor.* Cum vero variis in locis nascerentur calami, alii tamen aliis ad scribendum aptiores habebantur. Id quod PLINIVS, loco iam excitato, docet. *Chartis*, inquit, *seruiunt calami Aegyptii maxime, cognatione quadam papyri. Probatiores tamen Cnidii, et qui in Asia circa Anaiticum lacum nascuntur. Nostratibus fungosior subest natura, cartilagine bibula, quae cauo corpore, intus; superne, tenui inarescit ligno: fissilis, praeacuta semper acie, geniculata.* Prae aliis, Aegyptios calamos commendat, et reliquarum regionum arundines tectis operiendis aptiores censet, MARTIALIS, *Libr. XIII, Epigr. 38:*

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus;
Texantur reliqua tecta palude tibi.

Hinc et APVLEIVS, sub initium *L. I Metamorphos. Modo si papyrum*, inquit, *Aegyptiam tu, argutia Nilotici calami inscriptam, non spreueris inspicere.* Sed, teste PLINIO, etiam *Cnidii calami* probabantur. Erat vero Cnidus promontorium et opidum maritimae Cariae in Asia. Vnde AVSONIVS, *Epistol. IV, v. 75*, vocat *nodos Cnidios*, hauc secus, ac PERSIVS vocauerat *nodosam arundinem.*

nem. Imo, apud eundem AVSONIVM, *Epiſtol. VII, v. 48, et ſeqq.* haec etiam legimus:

Fac, campum replices, Muſa, papyrium;
Nec iam FISSIPEDIS *per* CALAMI *vias*
Graſſetur CNIDIAE *ſulcus* ARVNDINIS,
Pingens aridulae ſubdita paginae,
Cadmi filiolis atricoloribus.

Hi calami, vt ſupra monuimus, ſcalpro temperabantur, aptabanturque ad ſcribendum. Ita vero acuebantur, vt in cuſpidem acutam exirent; vnde in *Epigr. I,* vocantur *δόνακες ἀκροβελεῖς.* Quae ipſa pars calami intingebatur atramento: vnde dicitur, in *Epigr. V*, *ἀκὶς ἀκροβαφὴς*, i. e. *acumen in ſummitate intinctum.* Findebatur autem calamus in medio partis infimae, vt duos quaſi apices haberet, ad modum pennarum, quibus hodie vtimur ſcribentes. Hinc, in *Epigr. III*, dicuntur *κάλαμοι μεσοσχιδεῖς*, i. e. *calami per medium fiſſi;* et eadem notione, in *Epigr. II*, *μεσότομοι*; atque alibi, *διάγλυπτοι.* Haud ſecus ab AVSONIO, loco citato, *calami fiſſipedes* appellantur. Illi autem duo ſubtiles apices, in *Epigr. IIII*, *τροπικῶς* dicuntur *δισσοὶ ὀδόντες*, quaſi *gemini dentes.* In Epigrammate ex *Libr. I, cap. 18, Anthol.* quod paullo ante attulimus, audiunt *λεπτὰ χείλεα*, *tenuia labella:* atque in *Epigrammate ἀνεκδότῳ*, quod laudat SALMASIVS, in *Exerc. Plin. p. 1045*, *δισσὰ κέρατα*, *gemina cornua;* hoc verſu ſuccinente:

Καὶ καλάμους δισσοῖσι διαγλύπτους κεράεσσι.

Vulgo autem et magis proprie hae cuſpides calamorum, ſecundum *Epigramma V*, dicuntur *ἀκίδες*, et, ſecundum *Epigramma III*, *γλυφίδες καλάμων*, i. e. *acumina calamorum.* Neque enim poſſumus aſſentiri DIONYSIO PETAVIO, in *notis ad Themiſtii Orationem VIIII, p. 592*, tradenti, hic per *γλυφίδας καλάμων* intelligi *calamos ferreos*, i. e. graphia. *Γλυφίδες* autem ſic etiam in PHILOXENI *Gloſſis* redduntur *crenae.* Quemadmodum vero obtuſae calamorum cuſpides et pumice exacui conſueuerint, paullo ante docuimus.

VIII. Cum adeo certum ſit, veteres arundine adaptata ſcripſiſſe; hodie autem videamus, ex alis pauonum, olorum, aliarumque auium, frequentiſſime autem anſerum, PENNAS ad ſcribendum ita parari, vt vicem calamorum veterum ſuſtineant: non immerito viri eruditi identidem diſquiſiuerunt, quo potiſſimum tempore hic pennarum vſus inualuerit. Non pauci pennae ſcriptoriae inuen-

inuentum referunt ad IVVENALIS tempora, hoc eiusdem Poetae *versu 149*, *ex Satyra IIII*, abusi:

-- -- *Tanquam e diuersis partibus orbis*
Anxia PRAECIPITI *venisset epistola* PENNA.

Dici non potest, quantum in hoc IVVENALIS loco illustrando varient interpretes. HERMANNVS HVGO, *de prima scribendi origine, cap. VIIII*, putat hic designari *pennam scriptoriam*. A qua opinione nec alienus videtur GER. IO. VOSSIVS, *de Arte Grammat. L. I, cap. 36*. Idem quondam sensit MONTEFALCONIVS, in *Palaeographia Graeca, Libr. I, cap. III*, vbi haec commentatur: *Pennae quidem vsus aetate inferior habetur calamo; sed tamen ad prisca tempora reuocatur; ait enim Iuuenalis, Satyr. VI:*

Anxia praecipiti venisset epistola penna.

Hic vero, posthaec mutata sententia, *T. III Antiquit. illustr. Libr. V, cap. 6, p. 354*, ea de re haec scripsit: *Olim cum atramento scribebatur calamo, seu arundine, hoc erat vulgarius instrumentum; nescio, an penna paris sit antiquitatis? Vtuntur eruditi quidam Iuuenalis versu, vt probent, iam eius tempore pennam ad scriptionem fuisse adhibitam, ex Satyra VI. At iste versus longe melius sic explicetur: Epistola praecipiti penna, id est, mira celeritate, venisset; ita, vt hic nulla de penna ad scriptionem vsurpata sit mentio.* (Mirum est, cur vtroque loco, *Satyr. VI*, pro *IIII*, exscribatur?) Supersedemus nunc aliorum commentatorum recensere sententias; neque lubet iam ad ea sigillatim commemoranda digredi, quae non nulli ad hunc locum illustrandum de *pinnis, literisque pinnatis*, afferunt. Interea vero id extra dubium esse putamus, de pennae scriptoriae vsu ex citato Iuuenalis loco nihil posse exsculpi; et alteram MONTEFALCONII explicationem facile posse locum inuenire. Sic enim et HORATIVS, celeritatem inconstantis Fortunae expressurus, *Libr. III, Od. 29, v. 53*, cecinit:

-- -- *Si celeres quatit*
Pennas, resigno, quae dedit.

At supersunt quaedam monimenta atque imagines, quae argumento esse possunt, non demum proximis saeculis scribentes pennis vti coepisse. Sic IAC. GRONOVIVS, *T. II Thes. Antiquit. Graec. n. XXVIII*, ex ornamentis Palatii Farnesiani attulit veterem figuram *Deae Egeriae*, dextra *pennam scriptoriam*, sinistra *volumen*, tenentis; quam imaginem etiam exhibuit BEGERVS, in *Colloquio quorundam de primis Thesauri Antiquitatum Graecarum voluminibus*

(p. 14.)

(p. 14.) ſed, an ea *Deae Egeriae* imago eſſet, dubitauit. Verum id nos iam ſolicitos habet, annon forte ſcalptor, qui aeri incidit iſtud monimentum, vel imprudens fefellerit? Aut, ſi is non fefellerit, certe haud liquet, ad quod aeuum idem monimentum ſit referendum? MABILLONIVS, in *Supplem. ad Libr. de re diplomatica, cap. XI. ſſ. 8*, vbi hoc argumentum tractat, ita tandem ſummam ſubducit. *Vt dicam hac de re*, inquit, *quod ſentio, pennis vſos eſſe veteres ad ſcribendos etiam elegantiores libros, perſuaſum habeo. Extat in Altiuillarenſi agri Remenſis Monaſterio veterrimus Euangeliorum codex, quem Petrus Abbas ab annis fere nongentis, ſcilicet Principatu Ludouici Pii, Pontificatu Ebonis Archiepiſcopi, a Placido Monacho literis aureis eleganter exarari curauit; quo in codice depicti exhibentur quatuor Euangeliſtae ſcribentium in morem, cum* PENNA *in manu, in quibusdam ex illis quatuor ſic expreſſa, vt de pennae vſu in ſcribendo, illis temporibus recepto, non liceat dubitare.* Prouocat deinde ad alia huius generis, quamuis paullo ſequioris aeui, documenta. Tandem vtitur BEDAE *venerabilis* teſtimonio, qui anno recuperatae ſalutis IↃCCXXXV mortuus eſt. Hic vero, *in Epiſtola ad Giſſebertum*, quem ad deſcribendos libros hortatur: *Pro aratro*, inquit, *conuertatur manus ad* PENNAM; *pro exarandis agris, diuinis literis paginae exarentur.* MONTEFALCONIVS *Libr. I Palaeograph. Graecae, cap. 3*, vbi primum ad IVVENALIS tempora referendum putarat vſum pennae ſcriptoriae, tandem iſta verba ſubiicit: *In Schematibus tamen ſcribentium, qui bene multi, variis in Codicibus Graecis, viſuntur,* CALAMO *vtentes ſcriptores paſſim animaduertas. Vnicam obſeruaui Ariſtotelis effigiem, apud Lambecium, Libr. VII, f. 76, ex Caeſareo Codice Graeco expreſſam, vbi ille penna, et quidem, vt videtur, anſerina, ſcribens repraeſentatur: verum exemplar iſtud anno 1457 Romae exaratum eſt, vt ex anni nota ibidem poſita liquet. Vtrum vero talem imaginem ex vetuſtiori Graeco exemplari expreſſerit is, qui depinxit; an ad libitum ſuum effinxerit, incertum? In ceteris autem vetuſtioribus libris calamus vulgo depingitur; etſi namque penna antiquitus adhibita fuerit, frequentior tamen calami vſus erat.* In iis *Tabulis aeneis*, quas nos iam exhibemus, *Fig. 1, 2* et *3*, ſcribentes videntur vti calamo: *fig. 4*, a RABANO MAVRO *pennam ſcriptoriam* manu dextra oſtentari apparet. Quanquam adeo non multum refert, quo primum tempore homines, loco calami, ad ſcribendum vti coeperint penna; de eius tamen vſu, neque antiquius, neque euidentius te-

 ſtimo-

stimonium, quam ISIDORI HISPALENSIS, vel ab aliis obseruatum deprehendimus, vel nobis ipsis occurrit. Hic vero ISIDORVS, qui A. IↃCXXXVI ex vita discessisse fertur, *Libr. VI Orig. cap. XIIII, p. 961, edit. Putsch. Instrumenta scribae*, inquit, CALAMVS et PENNA. *Ex his enim verba paginis infiguntur. Sed* CALAMVS *arboris* (fruticis) *est;* PENNA, *auis: cuius acumen diuiditur in duo, in toto corpore vnitate seruata. etc.* An vero *calamus* ille *argenteus*, quem RADERVS, ad *Martial. Libr. XIIII, Epigr. 38*, sua aetate apud Dacos inuentum ait, reuera fuerit OVIDII NASONIS, vtique prorsus incertum est.

VIIII. Omnino vetustior vsus fuit STILI, siue GRAPHII; sed non nisi in tabellis ceratis perscribendis. De *calami* et *stili* discrimine neruose loquitur diuus HIERONYMVS, *Epist. CXXXX.* STILVS, inquit, *scribit in cera;* CALAMVS, *vel in charta, vel in membranis, aut in quacunque materia, quae apta est ad scribendum. Stilus* etiam Graece γραφεῖον, et hinc Latine *graphium*, appellatur. An vero etiam γλυφεὺς nomine designari consueuerit, quod tradunt IS. CASAVBONVS, ad *Theocritum, p. 21*, et MONTEFALCONIVS, in *Palaeogr. Gr. p. 20;* eius rei nullum adhuc idoneum testimonium nobis occurrit. Nisi putemus, id nomen per τρόπον vtrique instrumento commune fieri potuisse, haud secus, ac de voce σμίλη animaduertimus. Hac enim vulgo et magis proprie *scalpellum* denotari, supra ostendimus: non minus tamen etiam pro *stilo scriptorio* ab ARISTOPHANE, Θεσμοφοριαζ. *v. 786*, dici deprehendimus:


Ἄγε δὴ πινάκων ξεστῶν δέλτοι,
Δέξασθε σμίλης ὁλκοὺς,
Κήρυκας ἐμῶν μόχθων.

i. e. *Agite igitur, tabellarum politarum pugillares, recipite stili sulcos, nuntios malorum meorum.* Vbi ad σμίλης ὁλκοὺς haec in *Scholiis* annotata legimus: τουτέστι γραφεὺς τὰ σημεῖα τῶν γραμμάτων κατὰ μεταφοράν. Σμίλη γὰρ κυρίως ἐστὶν ἐργαλεῖον σκυτευτικόν. h. e. *Hoc est, graphii notas, siue literas; per metaphoram.* Σμίλη *enim proprie est instrumentum sutorium.* Apud HESYCHIVM, sub voce ἀλειπτήριον, etiam legimus, graphium a Cypriis dictum esse ἀλειπτήριον. Obseruauit HEMSTERHVSIVS, *ad Pollucem, Libr. X, §. 57*, hanc vocem tractam esse ἀπὸ τοῦ ἀλείφειν vel ἀλείπειν, sicut antiquiores Graeci extulerint: vnde stilus, ἀλειπτήριον, quod in pellibus cera obductis literas effinxerit: Cyprios enim sigillatim videri pelles

pelles obleuisse cera, in eaque literas exarasse: hinc verisimile esse, Cypriis ἀλείπειν, vel ἀλείφειν, signasse, *scribere*; et exinde διφθεράλοιφος, qui scriberet in pellibus, et ἀλειπτήριον prorsus idem, quod γραφεῖον. Quae vtique satis probabiliter traduntur; nisi quis existimare malit, ludimagistrum apud Cypros non nisi per contemtum appellatum esse διφθεράλοιφον, quasi *commaculatorem membranarum chartarumue.* De stilo tam multi scripsere, vt pigeat me nunc plura veterum testimonia congerere, quam quae iam prae ceteris annotauit HERMANNVS HVGO, de *prima Origine scribendi, cap. VIIII:* cuius verba nunc, dilucidandi argumenti caussa, repetere liceat. *Instrumentum*, inquit, *quo primum scriptae fuere literae, fuit* STILVS FERREVS. -- -- STILI *forma huiusmodi fuit, vt altera eius pars ad scribendum esset acuta; altera ad delendum obtusa. Expressit eam egregie Prudentius, Hymno VIIII de S. Cassiano Martyre, stilis scriptoriis discipulorum confosso:*

Inde alii stimulos, et acumina ferrea, vibrant,
Qua parte aratis cera sulcis scribitur,
Et qua secti apices abolentur, et aequoris hirti
Rursus nitescens innouatur area.

Ego vero, vt clarius eam exprimam, hic eius imaginem subiicio, quam incidi curaui ad exemplum stili veteris, quem mihi Bruxellis ostendit Cl. D. Hopperus:



Stilus aereus est, instar ligunculi, incurua pala, vt nempe, imposito indice, firmius cerae sulci complanentur, cuspide inter reliquos digitos inclusa. Quare qui hunc stilum verterit ad inducendas literas, non eo vtetur plane erecto, sed obliquato; omnino sicut paruo ligunculo, non sicut typo epistolari, quo signantur epistolae. Cuspis quadrilatera est, latior tamen, quam densior. Latera autem, seu potius anguli laterum, sunt lima rasi. Id factum, opinor, vt stilus certius teneatur, neque fallat manum. Confirmat ferri vsum de postera aetate Isidorus, Libr. VI, cap. VIIII. Graeci, inquit, *et Tusci, primum ferris in ceris scripserunt. Successit ferro stilus osseus. Tit. Quinctil. Atta, in Satyra:* Vertamus vomerem in ceram, mucroneque aremus osseo. *Iusserunt enim Romani, ne graphium ferreum*

esset.

esset. Vnde et apud scribas dicebatur: Ceram ferro ne caedito; *ait ibidem Isidorus. Sed non fuit perlata ea lex, aut certe abrogata est: nam de ferreis cultellis suo adhuc aeuo Martialis scribit, Libr. XV, Epigr. XXI.* etc. Hactenus HVGO. Graphii formam etiam bene descripsit SYMPOSIVS, (vel rectius forte LACTANTIVS) *Aenigm. I:*

De summo planus, sed non ego planus ab imo.
Versor vtrinque manu, diuerso et munere fungor:
Altera pars reuocat, quicquid pars altera fecit.

Hoc nempe voluit indicare SYMPOSIVS, si stili pars ima, quae acuta est, in imo digitis comprehendatur, tunc eius latiorem atque planiorem partem esse in summo; atque adeo duas veluti partes esse stili scriptorii, alteram acutam, ad exarandas literas; alteram latiorem, ad literas delendas, ceramque complanandam. Vnde intelligimus, quid veteribus significarint hae loquendi formulae: *stilum vertere, stilo depasci*, et aliae eius generis. Exempli caussa, quando HORATIVS *Libr. I, Satyr. X, v. 72,* ait:

Saepe STILVM VERTAS, *iterum quae digna legi sint,*
Scripturus.

Id nimirum praecipere voluit Poeta, vt ii, qui digna lectu scripta edere cupiunt, ea saepe mutent, liment, corrigant, atque emendent. Qui enim scriptum mutabant, vtebantur *stilo inuerso*; h. e. superiore stili parte, quae latior et obtusior erat, qua aberrantem priorem scripturam obducerent, delerentque, atque ita ceram rursus complanarent. Quam scribendi consuetudinem respiciens D. HIERONYMVS, ad *Domnionem; Stultus ego*, inquit, *qui me putarim haec absque Philosophis scire non posse, qui meliorem stili partem eam* [latiorem] *legerim, quae deleret; quam* [acutiorem] *quae scriberet.* Fuisse *graphia* etiam ad caedem patrandam apta, praeter Cassiani Martyris exemplum, non pauca alia testantur; quae, cum ab aliis iam passim sint annotata, vix operae pretium facturi videmur, si nunc copiose repetamus. Ceterum et LAVRENTIVS PIGNORIVS, de *Seruis*, vbi sigillatim agit de *librariis*, *p. 224*, duorum graphiorum veterum figuras exhibet; quarum alteram et nos, *fig. VI Tabulae Disputationis II de Ornamentis librorum veterum*, aere exscribendam curauimus. Adhaec, IO. SMETIVS, in *Antiquitatibus Neomagensibus*, *p. 149*, testatur, se inter alia supellectilia antiquaria asseruasse *stilos integros, cum eorum fragmentis, quadringentos circiter.* Vir eruditissimus, BERNARDVS

MON-

MONTEFALCONIVS, *T. III Antiquit. illuſtr. P. II, Lib. V, cap. VII,* nouem figuras ſtilorum veterum attulit, ſimulque commode monuit, ne forte, multorum more, fibulas veteres pro ſtilis habeamus. Sed parum abeſt, quin vereamur, ne ipſe MONTEFALCONIVS ibidem inter illas nouem figuras exhibuerit quasdam, quae potius ad fibulas, aut alia inſtrumenta, quam ad graphia deſignanda, facere poſſint.

X. Aſſeruandis ſtilis pariter atque calamis ſcriptoriis adhibebantur certae thecae; quae inde appellabantur THECAE GRAPHIARIAE et CALAMARIAE. Vtrumque nomen indicat TRANQVILLVS. In *Vita* enim *Claudii, Cap. XXXV: Sero,* inquit, *ac vix remiſit, ne cuius comiti, aut librario,* CALAMARIAE *aut* GRAPHIARIAE THECAE *adimerentur.* De *theca calamaria* MARTIALIS, *Libr. XIIII, Epigr. 19,* ait:

Sortitus thecam, calamis armare memento:
Cetera nos dedimus; tu leuiora para.

De *Graphiario* autem, ſiue *theca graphiaria,* idem Poeta, eodem *Libro XIIII, Epigr. 21,* ſic ſcribit:

Haec tibi erunt armata ſuo GRAPHIARIA *ferro;*
Si puero dones, non leue munus erit.

Vbi *graphiaria* ſunt thecae graphiorum, ſiue ſtilorum ferreorum; non ipſi ſtili ferrei, quod tradiderant BEROALDVS, et DOMITIVS; quos eo nomine recte reprehendit RADERVS. Theca calamorum Graece etiam vna voce vocabatur καλαμίς. Quamquam vero, vbi THEMISTIVS, *Orat. IX,* eum, qui *ſcribae ac notarii ſorte pepetuo vixiſſet,* vocauit ἄνθρωπον ἐκ τοῦ μέλανος καὶ τῆς καλαμίδος, Latinus interpres reddidit: *hominem ex atramento et calamo prodeuntem;* vtique tamen καλαμὶς diſtincta erat a καλάμῳ, vel γραφείῳ. Sic haec nomina ſeparauit POLLVX, *Lib. X, cap. 14:* Τῷ δὲ παιδὶ δέοι ἂν προσεῖναι γραφεῖον, παραγραφίδα, καλαμίδα, πυξίον, h. e. *Puero vero adeſſe debent* STILVS, *regula,* THECA CALAMARIA, *tabella.* Certe HESYCHIVS, καλαμίδα, praeter allatas alias notiones, etiam exponit θήκην γραφείων, i. e. *thecam graphiorum.* Vnde coniicias, καλαμίδα thecam fuiſſe, calamis aeque ac graphiis condendis aptam. Poſteriores Graeci thecas calamarias, καλαμαροθήκας, et ſimpliciter καλαμάρια, vocarunt, docente CANGIO, in *Gloſſario mediae Graecitatis.* Sed et καλαμοθήκη, in PHILOXENI *Gloſſis,* explicatur per *pennarium,* quaſi ſic dicatur etiam *theca pennarum ſcriptoriarum.* Quod vero in iisdem

Gloſſis καλαμάριον et καλαμάρη, etiam Latine redditur *atramentarium*, (haud ſecus, ac Iudaeorum Magiſtri vaſa recipiendo atramento deſtinata קלמרין dixere) ex eo fortaſſe contigit, quod *atramentaria* aliquando ſimul et *atramentum* et *calamos* receperint; ſeu, quod GERH. IO. VOSSIO, in *Etymologico*, viſum eſt, quia in eis tingeretur calamus.

XI. Qui calamo pennaue ſcribebant in membranis, aut chartis, iis vulgo opus erat atramento, aut, extra ordinem, alio liquore, quo pingerent literas. Vas ergo, quod continet atramentum, poſterioris aeui ſcriptoribus *atramentarium* plerumque dicitur. Quod nomen aureae Latinitatis ſcriptoribus vſurpatum nondum obſeruauimus. Id vero habet vulgaris interpres, EZECH. *VIIII, v. 2: Vir quoque vnus in medio eorum veſtitus erat lineis, et* ATRAMENTARIVM SCRIPTORIS *ad renes eius.* PHILOXENVS etiam, in *Gloſſis ſuis*, καλαμάριον, item μελανοδεχεῖον, et μελανοδοχεῖον, exponit *atramentarium*, *atramentale.* Quid? quod non nulli etiam ea vaſa, quibus purpureus, aut alius quicunque, liquor ad ſcribendum aſſeruabatur, *atramentaria* dicere auſi ſunt. Quem in modum locutus eſt Anaſtaſius Bibliothecarius, loco infra citando. POLLVCI, *Libr. X, cap. 14, atramentarium* apte dicitur μελανοδόχον; aut alias vſitatius, μελανοδοχεῖον. In *Epigr. II Anthol.* ſupra propoſito, *atramentaria*, poetico dicendi genere, appellantur γραφικοῦ δοχεῖα κελαινοτάτοιο ῥεέθρου, i. e. *receptacula, ſiue vaſa, nigri eiusque ſcriptorii liquoris.* In *Epigr. V*; Μέλανος σαθεροῖο δοχήϊον, i. e. *atramenti ſtabilis receptaculum.* In *Epigr. VII:* ἄγγος μελανδόκον, i. e. *vas atramentum capiens.* Non repeto nunc, quae de voce καλαμαρίου paullo ante attuli. Credibile autem eſt, variam *atramentariorum* et materiam et formam fuiſſe; prout et adhuc hodie fieri animaduertimus. Imo et veteres aliquando *atramentaria*, variis figuris ſculptilibus adornata, habuiſſe, coniicias ex *Epigr. III*, vbi, *v. 5*, eiusmodi vaſcula dicuntur ἄντρα γλυπτά. Ita vero aliam *atramentarii* formam videas licet, ad imaginem ſcribentis Lucae, quam, *fig. VII Tab. I, Diſput. II de Ornamentis librorum veterum*, ex LAMBECIO attulimus; aliam, ad imaginem ſcribentis Dioſcoridis, *Fig. VII Tab. II, Diſput. de Ornamentis codicum veterum:* rurſus aliam, ad imagines Diuorum *Euangeliſtarum*, Matthaei et Marci, quas NESSELIVS ex peruetuſto Codice Bibliothecae Vindobonenſis, eoque *quatuor Euangelia Graeca* complexo, edidit, *p. 232*; et nos ex eodem nunc *Tab. I, fig.*

I, *fig. 1 et 2*, repetendas duximus. Aliam denique animaduertas, propter imaginem Dionyſii Halicarnaſſenſis, quam, ex *Codice Chigiano Saeculi X*, exhibuit V. C. MONTEFALCONIVS, in *Palaeograph. Gr. p. 24:* vnde nos eandem, cum ad hoc argumentum illuſtrandum apprime faciat, *Tab. I*, *fig. 3*, nunc proferimus. Prorſus autem peculiaris forma eius *calamarii* et *atramentarii* eſt, quod in Theſauro Monaſterii S. Dionyſii in Gallia aſſeruatur, atque olim vſui S. Dionyſiii, primi Epiſcopi Pariſienſis, inſeruiiſſe perhibetur; cuius autem delineationem atque deſcriptionem, cum non ſit, quod ad eam illuſtrandam amplius afferamus, hoc loco repetere ſuperſedemus. Interea autem nunc maluimus, *Tab. I*, *fig. 4*, exhibere ſchema Rabani Mauri, *Abbatis* quondam *Fuldenſis*, et deinceps *Archi-Epiſcopi Moguntini*, qui anno circiter IↃCCCLVI vita defunctus perhibetur. Extat illud ſchema in peruetuſto eoque membranaceo Codice manu exarato, quem, pro ſumma humanitate ſua, nobiſcum communicauit vir illuſtris, HIERONYMVS GVILIELMVS EBNER ab ESCHENBACH, Senator Norimbergenſis, et Curator Academiae huius grauiſſimus, ὃν χάριτές τε καὶ Μȣσαι φιλεῦνται. Codex hic ſatis ſplendide ſcriptus pictusque continet RABANI *Elogia S. Crucis*, variis ſchematibus et metris, miro labore, ad exemplum OPTATIANI PORPHYRII, compoſitis, illuſtrata. Conſpicitur ibi, poſt dedicationem et *elenchum* operis, in prima tabella, imago, vt opinamur, ipſius RABANI, ſine dubio ad ἀυτογράφȣ imitationem depicta. Neque enim huius forma non conuenit cum forma eiusdem RABANI, qui, *Tabula XXVIII* eiusdem Codicis, ſub cruce proſtratus ac ſupplex deſignatur. In *Tab. I* autem, quam et nos, *fig. 4*, exhibemus, RABANVS effingitur ad ſcribendum paratus, et dextra quidem manu *pennam ſcriptoriam*; ſiniſtra, ni fallimur, *ſcalpellum*, tenens. Verſus dextram conſpicitur CORNV, columnae alligatum, quod loco *atramentarii* fuit. Hinc vero luculenter liquet, quare *atramentaria* ſcriptoribus medii aeui identidem CORNVA dici conſueuerint. Sic enim GVIL. BRITO in *Vocabulario: Atramentarium*, inquit, *dicitur vas*, *in quo reponitur atramentum;* CORNV *etiam* SCRIPTORIS. Et HVGVTIO; *Calamarium*, inquit, *eſt* CORNV, *quo tenetur encauſtum*, i. e. *liquor purpureus*, quo cumprimis Imperatores Conſtantinopolitani ad literas ſubſignandas ſunt vſi. Praeter quae teſtimonia, CANGIVS, in *Gloſſario Latino*, etiam ex *Charta Heruei D. de Stafford*, *T. I Monaſtici Anglic.* hunc affert locum; *Teſtibus his*, -- --

et

et Ilberto Vice-Comite, et ipso Domino Radulfo teſtante, qui tenuit CORNV, *dum ſcriptor notauit ſupradicta.* Idem vas, quo atramentum, et inprimis *ſacrum encauſtum*, aſſeruabatur, etiam CANICVLVM, et Graeca ſcribendi ratione, *κανίκλειον* dictum, reperimus. Id legimus apud ANASTASIVM *Bibliothecarium, ad VIII Synodum. Praepoſitus caniculi*, inquit, *eſt, qui curam et cuſtodiam gerit* CANICVLI, *id eſt*, ATRAMENTARII, *ex quo Imperator Phoeniceas literas ſcribit in chartis.* Ex quibus notio *Caniculi* euidenter cognoſcitur. Quod nomen, pro *atramentario*, ſeu generatim pro *vaſe liquoris ſcriptorii*, poſitum, exiſtimamus, non tam ab eo dictum eſſe, quod, opinante ALEMANNO ad *Procopium, caniculi*, (ſiue *catelli*) formam effigiemque retulerit, aut a *caniculis* fictitiis fuerit ſuſtentatum; quam potius, quod SALMASIVS, in *Exercit. Plin. p. 129*, probat, eumque ſecutus GERARDVS VOSSIVS, in *Etymologico*, a voce *Graeca κάνεον*, in *plurali*, *κάνεα*, et, per *contractionem*, *κανᾶ*. Vnde, *caniſtrum*, *caniſtellum*, *caniculum*, *κανίσκιον*, et alia eius generis vocabula, deſcendunt. Huc faciunt, quae FESTVS, de *Verborum ſignificatione* tradit. CANA, inquit, *dicunt Graeci; nos caniſtra, et, per diminutionem, caniſtella.* Paria habet VARRO, *Libr. IIII de Lingua Latina, Tryblia*, inquit, *et* CANISTRA, *quae putant eſſe Latina, ſunt Graeca.* Τρυβλίον καὶ κάνεον (κάνουν) *Graeca ſunt.* Erant adeo κάνεα, κανᾶ, vel κανεῖα, *cana*, et, per *diminutionem*, CANICVLA, generatim quaſi caniſtella, ſeu paruae ciſtae aut vaſcula. Hinc SVIDAS ait: Κάνεον, τὸ κανίσκιον, καὶ κάνειον, ὁμοίως. i. e. *κάνεον* eſt *caniſtellum; ſimiliter et κάνειον.* IDEM, paullo ante: *κανασρᾶα, κοῖλά τινα ἀγγεῖα.* i. e. *vaſa quaedam concaua.* Conſentit HESYCHIVS, qui iſta coniungit: Κανέοισι, κανοῖς, μαγίσι, κανισκίοις. Inde et *κανηφόροι*, ſiue *canephorae*, dictae, explicante HARPOCRATIONE, *αἱ ἐν ἀξιώματι παρθένοι, φέρουσαι τὰ κανᾶ τῇ Θεῷ, ἐφ' οἷς ἐπέκειτο τὰ πρὸς τὴν θυσίαν, τοῖς τε Παναθηναίοις, καὶ ταῖς ἄλλαις πομπαῖς*, h. e. *virgines nobiles, quae in Panathaeneis, aliisque pompis, caniſtra, quibus res ad ſacrificium pertinentes continebantur, ad Deam ferebant.* Conf. ARISTOPH. Εἰρην. *v. 948.* Sic et FESTVS: *Canephora*, inquit, *mulier appellatur, quae fert* CANVM, *id eſt, quaſillum; quod eſt* CISTAE *genus.* Fortaſſe adeo CANICVLA potuerunt ad *ciſtas* referri, quia aliquando non atramentum ſolum, aliumue liquorem ſcriptorium, ſed et calamos, et alia inſtrumenta, ad ſcribendum neceſſaria, ſimul capere potuerunt. Cui rei argumento eſſe queunt

unt illa vaſcula ſcriptoria, quae *fig. VII. Tab. Diſput. II de Ornam. Libror. veter.* ad imaginem Lucae ſcribentis; et *fig. 1, Tab. I huius Exercitationis*, ad imaginem Matthaei, conſpiciuntur. Inprimis vero id indicat CLEMENS ALEXANDRINVS, *Stromat. Libr. VI, p. 633*, vbi ſacras quasdam Aegyptiorum caeremonias commemorat. Ἑξῆς δὲ ὁ ἱερογραμματεὺς προέρχεται, ἔχων πτερὰ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, βιβλίον τε ἐν χερσὶ, καὶ ΚΑΝΟΝΑ, ἐν ᾧ τό τε γραφικὸν μέλαν, καὶ σχοῖνος, ᾗ γράφουσιν. h. e. *Deinceps procedit Scriba ſacrorum, pennas habens in capite, et librum in manibus, atque* CANONEM, (*ſ. caniculum, ſeu caniſtellum,*) *in quo eſt et atramentum ſcriptorium, et iuncus, ſiue calamus, quo ſcribere ſolent.* MONTEFALCONIVS, *Libr. I Palaeograph. Gr. cap. 3*, ſecutus CANGIVM, *in App. I, Gloſſarii Graeci*, putat, *in hoc Clementis loco, pro* κανόνα *legendum eſſe* κάνεον, vel κανίον, (vel forte ſola litera α dimiſſa, κανὸν, quod apud Heſychium pro κανοῦν legitur) *vnde deſcendat* κανίκλειον, *vel caniculum*, de quo hactenus egimus. Quae coniectura rei ipſi apprime eſt congruens. Quamuis vero et ea vaſa, quibus cinnabaris, aliusque coloris liquores, ad ſcribendum parati, continebantur, per abuſionem quandam nominis, quod ſupra monuimus, aliquando etiam dicerentur *atramentaria*; eorum tamen forma plerumque a forma *atramentariorum*, proprie dictorum, diuerſa fuiſſe videtur. Ita, in Schemate Dionyſii Halicarnaſſenſis, quod *Tab.* I, *fig. 3*, exhibemus, vaſculum oblongum, idque vitreum, ab atramentario eſt diuerſum; eiusque liquorem, in Codice MSCto rubrum depictum fuiſſe, refert MONTEFALCONIVS, vt ſignificaretur, ibi aſſeruatum eſſe liquorem forte ex cinnabari paratum, quo inprimis titulos, et maiusculas librorum literas, ſcripſere. Sic et in ceteris imaginibus, *Tab. I*, vaſcula eiusmodi, ab atramentariis diſtincta, deprehendes. Illa autem vaſcula, quibus ſacrum aſſeruabatur *encauſtum* Imperatorum, fuiſſe identidem aurea, et margaritis, pretioſisque gemmis, ornata; CANGIVS, ſub voce *Caniclinus*, teſtimoniis NICETAE, PETRI DIACONI, et ANNAE COMNENAE, comprobauit.

XII. Porro, inter inſtrumenta rei librariae veterum commemoratur ΣΠΟΓΓΟΣ, vel SPONGIA; cuius mentio inprimis fit in *Epigr. IIII et V*, atque, in hoc V, dicitur ἁλὸς βλάστημα, χυτοῦ λειμὼν θαλάσσης, i. e. *maris germen, et fluentis flos Oceani.* Equidem, vti olim vulgo ſpongiis, ad menſas aliasque res detergendas, vſi ſunt; ita iisdem et in ludis literariis ſubſellia detergere

ſunt

ſunt ſoliti. Quod intelligimus ex iis, quae DEMOSTHENES, in *Orat. de corona*, *p. 515*, Aeſchini illudens obiicit: Σὺ δ' ὁ σεμνὸς ἀνὴρ, -- παῖς μὲν ὤν, μετὰ πολλῆς ἐνδείας ἐτράφης, ἅμα τῷ πατρὶ, πρὸς τῷ διδασκαλείῳ προσεδρεύων, τὸ μέλαν τρίβων, καὶ τὰ βάθρα σπογγίζων, καὶ τὸ παιδαγωγεῖον κορῶν, οἰκέτου τάξιν, οὐκ ἐλευθέρου παιδὸς, ἔχων. i. e. *Tu vero, egregie vir, -- puer in magna egeſtate es educatus, vna cum patre ad ludum literarium ſeſſitans, et materiam atramenti terens, ſubſellia ſpongiis detergens, et paedagogium verrens, famuli, non ingenui pueri, vicem obiiſti.* At enimuero, ſcribentibus pariter atque pingentibus, alio conſilio *ſpongia* fuit in promptu; vt ſcilicet, ſiquando in ſcribendo pingendoue aberraſſent, errata mox delerent, corrigerentque. Hinc Ἐπιγραμματογράφος, *Epigr. IIII*, σπόγγον vocauit ἀκεστορίην πλαζομένη γραφίδος, i. e. *remedium aberrantis calami*; vel *ſcripturae*. Quibus verbis reſpicitur vetus prouerbium, σπόγγῳ ἰᾶσθαι, *ſpongia ſanare*, i. e. *emendare*. Ipſa autem ſpongia hinc TERENTIO VARRONI dicta eſt *ſpongia deletilis*. Vnde et Auguſtus, teſte TRANQVILLO, in *Vita Auguſti, cap. LXXXV*, quaerentibus amicis, quidnam Aiax ageret, (quo nomine tragoediam magno impetu exorſus erat; ſed, non ſuccedente ſtilo, aboleuerat) reſpondit, *Aiacem ſuum in ſpongiam incubuiſſe.* h. e. *illam Tragoediam de Aiace totam a ſe ſpongia eſſe deletam.* Quanquam huius loci etiam aliae dantur interpretationes, quas refert LEO ALLATIVS, in *Animaduerſ. ad Inghiramum, p. 107*. Sic vero etiam MARTIALIS de Libro ſuo recens ſcripto luſit, *Libr. IIII, Epigr. 10:*

> -- -- *Comitetur punica librum*
> *Spongia; muneribus conuenit illa meis.*
> *Non poſſunt noſtros multae, Fauſtine, liturae,*
> *Emendare iocos; vna litura poteſt.*

Pertinet huc etiam, quod apud TRANQVILLVM, in *Vita Caligulae, cap. XX*, legimus: *Ferunt, eos, qui maxime diſplicuiſſent, ſcripta ſua ſpongia linguaue delere iuſſos, niſi ferulis obiurgari, aut flumine proximo mergi, maluiſſent.* Sic vero vſus ſpongiae potiſſimum locum habuit in *palimpſeſtis*, ſiue membranis chartisue deletitiis, de quibus cumprimis LEO ALLATIVS, *loco citato*, non pauca congeſſit. Erat vero et alius vſus *ſpongiae* in arte ſcriptoria; quando nimirum eadem calamos inquinatos abſtergerent, emundarentque. Teſtis eſt, apud SVIDAM, ſub voce σπόγγος,

et

et ψαίϛορα, fragmentum veteris Epigrammatis, de quo mox paullo plura dicemus:

Σπόγγον ἔχειν καλάμων ψαίϛορ' ἀπὸ Κνιδίων.

i. e. *habere spongiam, qua calami Cnidii absterguntur.* Bene obseruauit AEMIL. PORTVS, in ψαίϛορα ἀπὸ, *metri caussa, praepositionem esse postpositam*, pro ἀποψαίϛορα, ab ἀποψαίϛωρ, quod ab ἀποψάω, *abstergo*, deductum videatur.

XIII. Praeter ista instrumenta rei librariae veterum, quae hactenus, potissimum secundum Epigrammata antiqua, exposuimus, fuerunt et alia non nulla; exempli caussa, διαβήτης, siue *circinus*, metiendis linearum spatiis; et ψαλίς, siue ψαλίδιον, *forpex*, chartae scindendae; quorum forma et vsus per se patet, ac quodammodo ex imaginibus *fig. 1, Tab.* I *huius Exercit.* item ex *fig. 7 Disp. II de Ornam. Libr. vet.* intelligitur. Non pauca huiusmodi instrumentorum nomina, medio aeuo vsitata, complectitur locus *Statutorum veterum Ordinis Cartusianorum, P. II, c. 16, §. 8,* quem sub voce *cornu* annotauit CANGIVS. *Pennae, creta, pumices duo, cornua duo, scalpellum vnum; ad radenda pergamena nouaculae, siue rasoria duo, et punctorium vnum, subula vna, plumbum, regula, postis ad regulandum, tabula, graphium.* De *penna, pumice, cornu, scalpello, plumbo, regula, et graphio*, iam egimus. Vsus RASORII, siue NOVACVLAE, ipsis *Statutorum* verbis exprimitur; magis autem adhuc illustrari potest ex loco PETRI BLESENSIS, iam supra excitato. PVNCTORIVM erat instrumentum, quo spatia et interualla singularum linearum, recte ducendarum, in quarumuis initio et fine, punctis notabantur. De quo *punctorio* iam egimus, *Sect. IIII, Disp. I de Ornamentis librorum veterum.* SVBVLA, quasi *suibula*, a *suendo*, alias vulgo vocatur instrumentum, quo corium calcei perforatur. Sed et in re libraria itidem inseruiebat *punctis notandis*, quae in singularum linearum initio et fine descripta conspiciuntur. Certe id indicat ENGELHARDVS, *Abbas*, in *Vita S. Mechtildis, cap. XXIII*: *Cum soror vna*, inquit, *cui vsus erat scribendi membranam, dum ad lineas* [recte ducendas] *punctaret*, SVBVLAM *incaute trahens, oculum transfigit.* Vid. CANGIVS, sub voce *punctare.* Quomodo igitur *punctorium* a *subula* distinctum fuerit, non satis liquet, nisi forte dixeris, *subulae* in membranaceis, at *punctorio*, in *chartaceis codicibus*, fuisse locum. Imaginem huiusmodi *subulae*, vel *punctorii*, inter scalpellum et sicilam, ni fallimur, animaduertere licet, *fig. 2 Tab. I*, POSTIS autem

AD REGVLANDVM videtur fuiſſe inſtrumentum longum, ex ligno ferroue paratum, ad iuſta ſpatia et interualla linearum dimetienda, ita, vt, quotiescunque ſcripturi ſecundum regulam praeducerent ſibi lineas, *poſtem* hunc inter iam ductam et adhuc ducendam lineam interponerent. Cuius *poſtis* loco, alii, ad dimetienda linearum interualla, commodius vſi ſunt *circino.* Sed et *plutei* (des Schreibe-Pults) mentio hic facienda, in quo ſcribentes legentesque membranas, aut chartas, repoſuiſſe videntur; cuius variae formae eſſe potuerunt; quod vel ex *Tabulae I figuris* intelligimus. Huc referunt non nulli verſum 106, *Satyr. I* PERSII:

Nec pluteum caedit, nec demorſos ſapit vngues;

Vbi autem Scholiaſtes Perſii *pluteum* de interiore parte lecti, in quo recumbentes aliquando ſcripſere, interpretatus eſt. Alibi tamen etiam notat *receptaculum librorum tabularumque.* Sic IVVENALIS, *Sat. II, v. 6 et 7:*

Si quis Ariſtotelem ſimilem, vel Pittacon, emit;
Et iubet archetypos pluteum ſeruare Cleanthas.

Ibi Scholiaſtes *pluteum* ait eſſe *armarium.* Sic et *Gloſſae* ISIDORI: *Pluteum, arma, ſedile grammatici, vel armarium.* Huc reſpexit et SIDONIVS APOLLINARIS, *Epiſt. VIIII: Videre te crederes,* inquit, *aut grammaticales pluteos, aut Athenaei cuneos, aut armaria extructa bibliopolarum.* Verum, de his rebus, alio tempore, diſtinctius copioſiusque, erit agendum.

XIIII. Haec dum ſcripſimus, forte incidimus in antiquum, idque eximium, Epigramma, quod illuſtrandis inſtrumentis ſcriptoriis veterum non parum inſeruit. Sicuti autem iam ſupra quaedam eius fragmenta ex SVIDA et SALMASIO attulimus; ita id nunc integrum ſubiiciemus, quod primum in praeſtantiſſima editione Suidae, ad vocem λεάντειραν, ex *Anthologia MSCta*, eaque nondum edita, publici iuris fecit LVDOLPHVS KVSTERVS, vir de Graecis literis optime meritus; ipſe autem faſſus eſt, id Epigramma in non nullis locis vtique obſcurum eſſe; reperiri in eo quaedam, quae ignoret, et de quibus nihil quicquam vſpiam ſe legiſſe meminerit; nec ob temporis penuriam a ſe potuiſſe illuſtrari. Deeſt nobis etiam iam tempus, quo pulchrum hoc antiquitatis monimentum plenius illuſtremus; interea id ſimplici ratione interpretari tentabimus; aliis meliora docentibus lubentiſſime locum relicturi.

Φανίȣ. α)

Σμῖλαν Ἀκεςῶνδας δονακογλύφον, ὅν τ᾽ ἐπὶ μίσθῳ
    Σπόγγον ἔχεν, καλάμων ψάςορ᾽ ἀπὸ β) Κνιδίων,
Καὶ σελίδων κανόνισμα φιλόρθιον, ἔργμα τελείας γ)
    Σαμοθέτῳ, δ) καὶ τὰν ἐν μελάνῳ βροχίδα,
Καρκίνα τε σπειρȣ͂χα, ε) λεάντειράν τε κίσηριν,
    Καὶ τὰν ἀδυφαῆ πλινθίδα καλλαΐναν, ζ)

Μάζας

a) Praeter alios poetas, ex quibus *Coronam Epigrammatum* concinnauit MELEAGER GADARENVS, hic profitetur, se etiam vsum esse Phania. Ipse autem MELEAGER, sub Seleuco VI, Syriae Rege, annis ante Christum natum fere centum, floruisse fertur. Vid. FABRICII *Biblioth. Gr. Libr. III, p. 720, et 723.*

β) Pro ἀποψαίςορα, de qua voce iam *Sect. XII* egimus.

γ) Hic subaudienda vox γραμμὴ, prout iam vulgo a Grammaticis obseruatum est, reperiri εὐθεῖαν, pro εὐθεῖαν γραμμήν· item, πρὸς ὀρθὴν, *ad rectam lineam.*

δ) Hic Iota subscriptum videtur omittendum, vt σαμοθέτω sit *Genitiuus Doricus*, et referri possit ad voces τελέας γραμμῆς. Vox autem σαμόθετος composita est ex θετὸς *positus*, a τίθημι, et nomine Dorico σάμα, i. e. *litera.* Id his verbis docet HESYCHIVS: Σάμα, μνῆμα, Δωριεῖς δὲ ςοιχεῖον. Quemadmodum igitur κανὼν ἀςρόθετος dicitur, *canon, qui ad situm astrorum pertinet;* ita et hoc loco *regula* potest dici *instrumentum lineae rectae, ad situm literarum facientis.*

ε) Καρκίνα σπειρȣ͂χα, reddidimus, *forpicem, quae spiram habet;* qua fortasse ad conscindendas chartas vsi sunt. Καρκίνος proprie *cancer* est. In *Glossariis* LABBAEI, exponitur etiam *forceps:* forte, quia cancrinorum pedum speciem refert. Καρκίνα autem σπειρȣ͂χα, i. e. *spiram habentia*, vocat Poeta; quia duae partes secantes forpicis, quasi per spiram quandam, tunc coniungebantur, velut hunc in modum:



Καρκίνα vero hoc loco dici genere neutro, qui alias vulgo vocantur καρκίνοι, mirum non est, si quis cogitet, plura dari eius generis nomina *abundantia.* Quam qualemcunque coniecturam nostram tantisper sequimur, dum certiora edoceamur. Alia autem forma, vel forcipis, vel circini, conspicitur, *fig. 1, Tab. I huius Exercit.*

ζ) Hoc versu putamus describi conspicillum, h. e. vitrum viride, quod oculis adhibetur, vt litterae legentibus scribentibusque clarius appareant. Πλινθὶς forte non dicitur, nisi a forma quadrata. Καλλάινον autem, et καλλάινον χρῶμα, notat colorem, quem vulgo dicimus *viridem marinum;* ac veteres

Μάζας ἀνίκ' ἔκυρσε τελωνιάδος Φιλολύχνȣ, η)
Πιερίσιν πενίας ἄρμεν' ϑ) ἐκρέμασεν.

PHANIAE.

Acestondas, scalpellum, calamorum sculptorem, *quamque pro quaestu*
habuit, spongiam, Cnidios detergentem calamos;
Et regulam, paginarum amantem rectum ordinem, instrumentum perfectae (lineae)
ad literarum situm facientis; et liquorem in atramentario;
Et forpicem, quae spiram habet, et laeuigantem pumicem,
et laterculum suauiter pellucidum atque viridem; (i. e. conspicillum)
Postquam tenues panes lucratus est quaestus lucubratorii;
Musis paupertatis suae instrumenta suspendit.


XV. Lubet hac occasione non nihil adhuc afferre, quod faciat ad illustrandum CICERONIS locum, vbi is, in *Epistola 4 ad Atticum, Libr. IIII*, ita scripsit: *Vellem mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio vtatur glutinatoribus, ad cetera administris; iisque imperes, vt sumant* MEMBRANVLAM, *ex qua* INDICES *fiant, quos vos Graeci, vt opinor,* συλλάβȣς *appellatis.* Quam varie hic locus a Criticis tentetur, expliceturque, iam in *Disput. II de Ornamentis librorum veterum, Sect. XXII*, copiose expositum, simulque commonstratum est, eiusmodi membranulam, INDICE, i. e. *titulo libri*, perscriptam, extimae, eique supremae et auersae, voluminis orae, praetexi consueuisse; prout ibidem

teres aliter *Venetum* dixere. Hinc *Glossae* CYRILLI: Καλλάϊνον, *Venetum.* Sic et auctor *Etymologici magni:* τὸ καλλάϊνον, χρῶμα ἀνθηρὸν, ἢ τὸ βένετον χρῶμα, ὅτως λεγόμενον. De qua voce, item et gemma, *calais* inde cognominata, quae sapphirum imitatur, plura tradunt, SALMASIVS, in *Exercit. Plin. p. 237, sequ.* et GER. IO. VOSSIVS, in *Etymologico*, sub hoc ipso nomine.

η) Ausi sumus hanc vocem, vnica literula mutata, recipere in textum; cum KVSTERVS ediderit Φιλολίχνȣ. Quaestus enim librarii apprime potest dici φιλόλυχνος, i. e. *amans lucernam*, siue *lucubratorius.* Alii ex nomine Φιλολίχνȣ, quod a λίχνον, i. e. *gulositas*, descendit, commodiorem exsculpant sententiam.

ϑ) Versus hic hiat; itaque vel expresse ἄρμενα, vel; quod potius nobis probatur, in sequenti verbo, ἐπεκρέμασεν, scribendum.

ibidem formam eiusmodi voluminis, *fig. III*, exhibuimus. Cuius expoſitionis neque adhuc nos poenitet. Poſthaec autem deprehendimus, etiam alium modum praetexendae iſtiusmodi membranulae, in qua *titulus libri* perſcriptus erat, aliquando locum habuiſſe, ita quidem, vt ea fronti voluminum, qua circumciſa erant, et qua extra bibliothecam eminerent, affixa appareret, et conſpectui intuentium obuia eſſet. Quae res vt eo facilius intelligatur, eiusmodi voluminis, ſuo titulo ornati, figuram hic ſubiicimus:



Deprompſimus hanc figuram ex pulcherrimo antiquitatis monimento Bibliothecae lapidi inciſae, quod adhuc aſſeruatur in ditione ILLVSTRISSIMI S. R. I. COMITIS DE WITTGENSTEIN, cuius ſchema, in BROWERI ac MASENII *Antiquitatibus et Annalibus Treuirenſibus*, proditum inuenimus, atque inde iam *Tab. II, fig. 4*, *Diſput. de Ornam. Codicum veterum*, attulimus.

XVI. Supra iam monuimus, veteres habuiſſe aliquando *atramentaria* et *calamaria*, quibus plura ſimul ſcriptionis inſtrumenta aſſeruarentur. Eiusmodi plenius receptaculum innuit Auctor *Epigrammatis IIII*, vbi ait:

Καὶ κίϛην πολύωπα μελανδόκον, εἰν ἐνὶ πάντα
Ξυγγραφέος τέχνης ὄργανα ῥυομένην. vid. pag. 200. lin. 4.

Iſta autem ciſta, multis forulis inſtructa, ſimul omnia artis ſcriptoriae inſtrumenta continebat. Sed et ciſtis certis ſeruabantur ipſi quoque libelli, inprimis volumina. Vnde IVVENALIS, *Satyr. III, v. 206*:

Iamquis vetus Graecos ſeruabat CISTA *libellos.*

Vocabantur etiam CAPSAE, apud eundem IVVENALEM, *Satyr. X, v. 117*:

Quisquis adhuc vno partam colit aſſe Mineruam,
Quem ſequitur cuſtos anguſtae vernula CAPSAE.

Loqui-

Loquitur Poeta de pueris, qui adhuc vili pretio prima doctrinae fundamenta discerent; quos ad scholam euntes, si inprimis nobiliorum parentum filii essent, sequebatur *paedagogus*, qui illorum ductor, et quasi praeceptor priuatus, erat; itemque *capsarius*, qui pueri ingenui portaret libros. Sic *capsarii* nomen interpretatur ipse VLPIANVS, D. *de manumissis vindicta*, *l. 13: Si collactaneus, si educator, si paedagogus ipsius, si nutrix, vel filius filiaue, cuius eorum, vel alumnus, vel* CAPSARIVS, *id est, qui portat libros, etc.* Vtrumque genus seruorum coniungit SVETONIVS, in *vita Neronis, cap. 36: Constat*, inquit, *quosdam liberos damnatorum, cum* PAEDAGOGIS *et* CAPSARIIS, *vno prandio necatos.* Conf. IDEM, in *vita Claudii, cap. XXXV.* Eiusmodi *cistulam*, siue *capsam*, occlusam, videmus, *TAB. II, fig. 8*, pone docentem praeceptorem; pone puerum autem discentem, conspicitur *fasciculus libellorum*, siue paruorum voluminum. Praeceptor puero tradit tale volumen, ex parte explicitum. Eiusmodi fasciculo libellorum plerumque colligabantur plura volumina vnius operis; aliquando etiam diuersorum argumentorum. Cum autem Romae caussidici plerumque, ostentationis caussa, magnos eiusmodi fasciculos libellorum secum deferrent in forum; hinc IVVENALIS, *Satyr. VII, v. 107*, eos vocat *magno comites in fasce libellos.* Id monimentum *Soterichus Paedagogus* fecerat *Marco Iunio*, *Marci filio*, *Palatina* (tribu) *Rufo.* Eius schema euulgauit IAC. SPONIVS, in *Miscell. erud. antiquit. p. 229.* Praeterea, *fig. 5 et 6*, conspicimus paullo maiores capsulas, itidem claue obseratas, et vinculo quodam adornatas, vt commodius manu circumferri possent. Vix dubium est, quin huiusmodi capsularum, aut scriniorum, claues respexerit HORATIVS, *Lib. I, Epist. 20*, librum suum, in lucem publicam prodire cupientem, his verbis allocutus:

Odisti CLAVES, *et grata sigilla pudico.*

Quo modo libelli volubiles intus in *capsa* fuerint dispositi, patet ex *fig. 7*, quam idem SPONIVS prodidit, *p. 216*, et ante hunc ARINGHVS, in *Roma subterranea*, *T. II, p. 165.* Adhaec, *fig. 5*, ex eodem Sponio mutuati sumus schema statuae viri cuiusdam togati, forte Patroni *alicuius corporis*, vel *collegii*, qui, in cistula adiacente, *Constitutiones Ordinis sui* asseruasse videtur. Cui rei indicio esse possunt verba *capsulae* inscripta: CONSTITVTIONES CORPORIS MVNIMENTA. Denique et in *fig. 6*, exhibemus SCRINIVM, cui haec inscriptio addita: SCRINIVM. V. QVINCTVS. FABIVS.

HILA-

HILARVS. HILARI. LIBERTVS. SCRINIARIVS. De *Scriniariorum* munere et dignitate nihil attinet hoc loco agere. Interim hinc cognoſcimus, quae forma fuerit *ſcriniorum;* quae inprimis Codicibus quadratis cuſtodiendis aptiora fuiſſe videntur. *Scrinium* in *Gloſſis* PHILOXENI, redditur *χαρτοφυλάκιον.* In *Gloſſis verborum iuris*, *σκρίνια* dicuntur *αἱ ἄρκλαι.* Sicuti vero in *ſcriniis*, cum libri, tum etiam aliae res pretioſae, recondi poterant; quod patet vel exemplo *ſcrinii* illius, auro, gemmis et margaritis pretioſi, quod unguentis aſſeruandis deſtinauerat Darius; at Alexander M. librorum Homeri cuſtodiae dabat, referente PLINIO, *Libr. VII, cap. 29:* ita haud refragamur, nomen *ſcrinii*, et quadratis arculis, et iſtis oblongis rotundisque capſulis, commune eſſe potuiſſe. Certe, ſic magis de rotundis, quam quadratis ſcriniis, loqui videtur OVIDIVS, *Libr. I Triſt. eleg. I*, vbi eadem vocat SCRINIA CVRVA.

XVII. Appendicis loco, non nihil adhuc de LIBRIS RESCRIPTIS afferam. Qui vero libri ſic dicantur, non poſſum luculentius exprimere, quam Vir noſtris laudibus maior, ZACHAR. CONRADVS ab VFFENBACH, Senator Francofurtanus grauiſſimus in Bibliothecae ſuae praeſtantiſſimae MSC. *T. II, p. 33.* deſcripſit. *Cum ſuperioribus ſaeculis*, inquit, *non tam vilis membranarum ac chartarum vſus eſſet, veteres Codices plus una vice adhibebant, ac priori ſcriptura* PVMICE *abraſa, et membranis, creta, vel aliis materiis, levigatis, alia, quae vtiliora videbantur, inſcribebant, atque, ſic deleto priori libro, nouum ex eodem volumine, vt ſcilicet ſumtibus parcerent, faciebant. Patet hoc quoque ex Gregorio Turonenſi, Libr. V, cap. XXXIIII, edit. Aſcenſianae, vbi ait: Chilpericum I. Regem, poſtquam nouas aliquas literas inueniſſet, praecepiſſe, vt pueri ſic (ſcribere) docerentur, ac libri antiquitus ſcripti, planati pumice,* RESCRIBERENTVR. Eadem narrat AIMOINVS FLORIAC. *Hiſtor. Francor. Libr. III, n. 41.* Similem *reſcribendorum veterum Codicum* rationem cognoſcimus ex *Vita B. Stephani, Abbatis Monaſterii Obazinenſis, in Lemouicibus, Libr. IIII* BALVZII *Miſcell. p. 120: Vbi per eorum magiſtrorum*, inquit auctor anonymus, *magiſterium, plura, quae etiam Monachi conſueuerant, mutari praeciperentur, illud certe moleſtiſſimum videbatur, quod* LIBROS, *quos ſecundum ordinem Monachorum nuper multo labore confecerant, deponere cogebantur, et ad formam Ciſtercinenſium reuocare. Itaque alios ex ipſis*

fundamentis incipiebant; ALIOS RADEBANT, et DENVO RESCRIBEBANT. Extat in illa ipsa exquisitissima Bibliotheca VFFENBACHIANA Codex membranaceus Liturgicus, quem e numero pumice complanatorum et rescriptorum esse, vbique produnt prioris scripturae vestigia, quae in singulis fere paginis ita apparent, vt non solum maiusculae ac initiales literae, sed integrae etiamnum lineae conspiciantur, ac legi etiam possint. Praeterea memorabile exemplum CODICIS RESCRIPTI affert BERN. LAMY, in *Append. ad Comment. in Harmon. Euang. p. 656*, quod viri doctissimi, IO. BOVINI, verbis ibidem describit.

EXPLICIT. DISPVT. VI. DE ORNAM. LIBROR. VET.

ORDO DISSERTATIONVM

I. *De ornamentis librorum apud veteres vsitatis, diss. prima.* 19

II. - - *diss. II.* - - - - - 41

III. - - *diss. III. de voluminibus Iudaeorum* - 97

IIII. - - *diss. IIII. de Codicibus s. libris quadratis,* 127

V. *De libris plicatilibus Veterum,* - - 175

VI. *De varia supellectile rei librariae veterum,* - 195

INDEX

INDEX I.

AVCTORVM ALLEGATORVM AVT EXPLICATORVM.

Achilles Statius
Agnellus
Alcuinus
Allatius
Alexander ab Alexandro
Almelouenius
Apuleius
Arcadius
Aringhus
Ariſtophanes
Aſconius Pedianus
Auguſtinus
Auſonius
Balbinus Bohusl.
Balduinus
Balutzius
Barbarus Hermol.
Barneſius Ioſ.
Barthius Caſp.
Bartholinus Th.
Baſilius
Becanus
Begerus
Beringius
Beſoldus
Bonanni
Brenckmannus
Brodaeus Ioh.
Budaeus Quil.
Buxtorfius
Calaber
Caneparius
Carafa Anton.
Carpzovius I. B.
Carus
Caſaubonus Iſ.
Caſſiodorus
Catullus
Cedrenus
Celſus
Chronicon Trudonenſe
Cicero
Claudianus
Clemens Alexandrinus
Columella
Conringius Herm.
Contarenus
Cornelius Nep.
Criſpinus
Croius
Cuiacius
Cyprianus
Cyrillus
Daleus Ant.
Demoſthenes
Dempſterus
Deodatus
Diodorus Siculus
Diogenes Laert.
Diomedes Grammat.
Dio Caſſius
Dionyſius Halicarnaſſ.
Dodwellus
Donatus
Durandus
Elias Leuita
Engelhardus
Epictetus
Eraſmus
Euripides
Euſebius
Euſtathius
Fabrettus
Fabricius G.
Fabricius I. Alb.
Fagius Pauli
Fichardus
Figrelius
Fontaninus Iuſt.
Fortunatianus
Florentinus
Freſne Carol.
Galenus
Gaſſendus

Gg 2 Gellius

Gellius
Geuſſius
Glaſſius
Graeuius I. G.
Gronouius
Grapaldus F. M.
Gruterus
Gudenus Val. Ferd.
Guigo
Guilandinus
Gutherius
Hemſterhuiſius Tib.
Heinſius Dan.
Herodianus
Herodotus
Heſychius
Hieronymus
Hippocrates
Homerus
Horatius
Hottingerus
Huetius
Hugo Herm.
Iablonskius
Ioſephus
Iſidorus Hiſpal.
Iulianus
Iuuenalis
Labbaeus Carol.
Lambecius Petr.
Lampridius
Laſcaris
Lazius Wolfg.
Leusdenius
Licetus
Lilienthal. Mich.
Lipſius.
Liuius
Longinus Dionyſ.
Lubinus
Lucanus
Lucaris Cyrill.
Lucianus
Lupus Ferrar.
Mabillonius
Maimonides
Maius Henr.
Maius I. H.
Manutius Ald.
Manutius Paull.
Marcelius Theod.
Mareſchallus
Martialis
Martianay Ioh.
Maſenius
Maſius H. G.
Maurus Rabbanus
Meibomius Marc.
Merula Barth.
Michaelis I. H.
Molinetus
Montefalconius
Muretus
Nazianzenus Gregor.
Neſſelius
Nicephorus
Nicols
Noriſius Henr.
Oecumenius
Olearius Godofr.
Optatianus Porphyrius
Oſorius
Ouidius
Palmerius
Pancirollus
Paſchius Georg.
Pauſanias
Perottus
Perſius
Petauius
Petitus Sam.
Petronius
Petrus Bleſenſis
Pezius Bernh.
Phauorinus
Philoxenus
Photius
Pignorius
Plato
Plautus
Plinius Maj.
Plinius Secundus
Plutarchus
Politianus
Pollux
Portus Aemil.
Puricellus
Puteanus Eryc.

Quincti-

Quinctilianus
R. Ben Ascher
R. de Bartenora
R. Salomo
Raderus
Rappoltus
Reinesius Thom.
Relandus
Rhodiginus
Rigaltius
Robbigius
Robortellus
Roccha Angel.
Rutgersius.
Saldenus
Salmasius
Salmuth Henr.
Saubertus Ioh.
Saxo Grammat.
Scaliger Ios.
Schardius
Schickardus
Schmidius Erasm.
Schmidius I. A.
Scioppius
Scoppa
Seneca
Sidonius Apollinar.
Simonius Rich.
Silentiarius Paull.
Sixtus Senensis
Smetius Ioh.
Solinus
Sponius Iac.
Statius
Stephanus Henr.
Stewechius
Stolbergius Balth.
Struuius B. G.
Suetonius
Suicerus I. Casp.
Suidas
Surenhusius
Symmachus
Tenzelius
Themistius
Theodoretus
Thulemarius
Tibullus
Turnebus
Turrius Phil.
Tzetzes
Valesius Henr.
Valla Laurent.
Varro
Vffenbach
Victorinus Mar.
Vignolius
Virgilius Maro.
Virgilius Polyd.
Vitringa
Vitruuius
Vlpianus
Voisinus
Vopiscus
Vossius G. I.
Vossius Isaac.
Vrsinus Fulu.
Wagenseilius
Waltonus
Wilthemius
Wormius Ol.
Xenophon
Zenobius
Zimmermannus
Zonaras.

INDEX II.

RERVM ET VERBORVM NECESSARIVS

A.

Ἀκονη p. 212. 213.
Ἀκρομφαλια p. 78.
Aduersaria p. 69 sq.
Ἀλειπτηριον p. 218. sq.
Aristophanes Alexandrinus accentus et distinguendi modum excogitasse dicitur p. 54.
ארון p. 121.
Atramentarium p. 222. 224. sq.

Atramentum p. 34. 106. ſqq.

B.

Balbinus notatur p. 151
Bibliothecarum magnificentia inter veteres p. 20. ſq. Hadriani p. 20
Βιβλιον quid propie? p. 43. 65. ſq. 130. ſq.
Βιβλος p. 22
βουστροφηδον γραφειν p. 52

C.

Calamarium, Καλαμαριον p. 221. ſq. 223
Calamus p. 213. ſq.
Calendarium Romanum p. 38
Καλλιγραφια p. 29
Κανεον, Κανειον p. 224. ſqq.
Canephora p. 224
Κανικλειον p. 224. ſq.
Κανονις, Κανων p. 33. 206. ſq.
Capſa p. 231. ſq.
Capſarii p. 232
Καταστιζειν p. 54
Cedrium oleum p. 39. ſq.
קלף p. 104
Cera prima, altera, vltima p. 155
Sigillaris p. 189
Κεραια p. 110. ſq.
Charta vnde? p. 22. hieratica p. 24. Chartarum ſpecies aliae ibid. ſq. 26. 51. 148. ſq. 152. papyracea p. 46. quomodo confici ſolita? ibid. ſq. dentata et indentata p. 83. Chartae veſtigia p. 86. Aegyptiaca charta p. 101. 147. Epiſtolis ſcribendis inſeruiens p. 183. ſq. transuerſa p. 192. ſq.
חופא p. 102. ſq.
Circinus p. 227
Κιββηρις p. 210
Coccum p. 34. ſq.
Codex Dioſcoridianus p. 31. Vaticanus ibid. Alexandrinus p. 32. Codices quinam dicti? p. 128. ſqq. eorum compactura p. 124. eorum diſtinctio et diuerſa nomina p. 129. ſq. Varietas p. 132. ſqq. 140. ſqq. 161. ſq.
Codicilli qui? p. 128. 184. ſq.
Commiſſura p. 49
Κοντακια p. 43. 101
Corium p. 23. 57. deſtinguitur a membrana p. 44. ſqq.
Cornua librorum p. 78. vnde ita dicta ibid. ſq. 88
Κορωνιος p. 76
Coronis quid antiquis fuerit? p. 76. ſqq.
Cortices p. 22. 143. ſqq.
Cos p. 212. eius vſus p. 212. ſq.
Κυλινδροι p. 42. ſq.

D.

Demarginare quid? p. 80
Διαβητης p. 227
Διαστιζειν p. 54
Dimenſio ſcripturae apud hebraeos p. 113. ſq. eius cura p. 115. ſq.
Διπτυχια p. 160.
Διφθερα p. 45. 71. 91. 102. ſq. vnde prouerbia orta explicantur p. 71. ſq.
דיפתרא p. 102. ſq.
Διφθεραλοιφος p. 139. ſq. 219
Δοναξ, Δονακεος p. 213 ſq.
דוכסוסטוס p. 104

E.

Εγχειριδιον p. 193. ſq.
Ειληματα, Ειλητα, Ειληταρια p. 43. 100
Encauſtum p. 35. 223. ſq. 225
Epigrammata graeca p. 197. ſqq. 229. ſq.
Epiſtolas ſuas cui materiae inſcripſerint p. 183. ſqq.
Εσχατοκολλιον, Εσχατοκολλον p. 49. ſq.
Euſtathius laudatur p. 78. et alibi.
Explicit liber quid ſibi velit, p. 93. 179.

F.

Forpex p. 227
Frontes voluminum p. 79. 171. ſq.

G.

גויל p. 103. ſq.
Genua et ſuper haec ſcribendi conſuetudo p. 70. ſq. 164. prouerbia hinc ſubnata p. 71. ſqq.
Γλυφανον p. 208
Γλυφις p. 207
Γλυφειον ibid.
Graeuius I. G. laudatus p. 85
Grammatici p. 53. ſq.

Gram-

Grammatiſtae p. 29
Γραφειον } Graphium } p. 218. ſq. 220. ſq.
Graphiarium p. 221

H.

Homeri Ilias in nuce incluſa p. 29

I.

Imagines in bibliothecis poſitae p. 37; libris additae p. 37. ſq.
Interpungendi inuentum p. 53. 54. ſq. ratio diuerſa p. 56. ſqq. ſigna ibid. ſqq.
Inſtrumenta ſcibendi p. 196. ſqq.

L.

Later p. 162
Laterculum maius et minus p. 162. ſq.
Libelli p. 180 ſq.
Liber p. 22. 44. ſq.
Librarii hebraeorum quomodo diſtincti? p. 124. ſq.
Libri Lintei p. 23. 26. elephantini p. 26. ſq. 137. eborei p. 27. pumicati p. 81. ſq. malleati p. 83. 165. plicatiles p. 176. ſq. reſcripti p. 233. librorum ornatus p. 23. ſq. 79. ſq. 87. ſq. forma diuerſa p. 42. ſq. 128. nomen duplex p. 43. eorum conglutinandorum ratio p. 47. ſq. ſectiones p. 63. ſq. cornua p. 78
Libros circumcidere p. 80. ſq. ſignare p. 170.
Lineal p. 206
Linum p. 189
Littera picta p. 85
Litterarum formae p. 27. ſp. 30. ſq. 39. inter hebraeos p. 109. ſq.
Lora eorumque vſus p. 88. ſq. 169. ſq.
Lunulae p. 87. ſq.

M.

Mabillonius paſſim laudatur.
Macrocolla p. 24
מצה p. 102
מגלות p. 43. 99. ſq. 112.
Μελανοδοχειον p. 222
Membranae p. 22. ſq. 130. ſq. earum elegantia p. 25. 45. materia p. 103. 104. ſq.
Menides p. 87. ſq.
Mento horrere quid? p. 94
Miniaturae p. 39
Minium p. 35
Μολυβδος κυκλοτερης, γυρος, τροχοεις cet. p. 202. ſq. 205. ſq.

N.

Nicanor grammaticus p. 60. ſq.
Nouaculae vſus p. 227

O.

Offendices p. 170
Ομφαλος p. 72. ſq.
Οπισθογραφα p. 68. ſq. 117. 140

P.

Paginae quae dictae? p. 187. ſq. 48. ſq.
Palimpſeſtus p. 25
Pandectarum Florent. codex p. 159
Papyrus p. 22. 23
Παραγραφις p. 206
Παραγραφος p. 203
Paraſchae p. 116
Penna ſcriptoria p. 215. ſqq.
Pentateuchus capitum olim diſtinctione caruit p. 116
Pergameni vſus p. 44. ſq. 172. ſq.
Περιγραφος p. 203
Φαιλονη p. 130
Φελλος p. 166
Φελονης p. 89. ſq. 169
Philyra p. 43. ſq. 143. ſq.
Πινακιδιον p. 124
Πιττακιον quid? p. 86
Plicatiles libri p. 176. ſq. quomodo alias dicti? p. 179. eorum materia p. 192. ſq. charta plicatilis p. 185. ſella p. 177. nauis p. 178
Πλινθιον } Πλινθος } p. 162
Pluteus p. 228
Portitores quinam dicti? p. 191
Praeductal p. 33. 203
Πρωτοκολλον p. 49. ſq.
Ψαλις p. 227
Πτυχες } Πτυχια } p. 49. 154
Πτυκτον βιβλιον p. 177
Pugillares qui? p. 128. 179. διπτυχοι, τριπτυχοι, πολυπτυχοι p. 154. 181
Pumicis in veterum libris poliendis vſus p. 81. ſqq. 209. ſqq.
Punctatores qui? p. 124. ſq.
Punctorium p. 33. 227

Q. Qua-

Q.

Quaterniones p. 155. ſqq.
Quinquenniones p. 156. ſq.

R.

Rabanus p. 223
Regula p. 206. ſq.
Rotuli } p. 43
Rutuli }
Rubrica p. 34
ῥυπος p. 189

S.

Salmaſius laudatur paſſim.
ספר p. 99. ſq.
Scalprum } p. 207, librarium p. 207. ſq.
Scalpellum }
Schedae p. 49
Scribae hebraeorum p. 124
Sribendi rationes ab antiquis initae p. 21. ſq. 26. ſq. 36. ſq. 52. ſq. 68. ſq. 70 ſq. 113. ſq. materia p. 34. ſq. 106. ſqq.
Scriptura beata, aſſyriaca, quadrata cet. p. 109. ſq.
Scrinium p. 232. ſq.
Scytale p. 188
Sectiones librorum p. 63. ſq. ſectio clauſa et aperta p. 116
Seculae p. 80. 209
Σελιδες p. 155. 203. ſqq.
Sicila quid fuerit explicatur p. 80. ſq. 208. ſq.
Sicilire p. 81. ſq. 209.
Signorum figura et vſus p. 189. ſq.
Sigillum p. 189
Σιλλυβοι } p. 84. ſq. 92
Σιλλυβα }
Simonius Rich. notatur p. 119. ſq.
Sinu ferre, excipere p. 95
Σιττυβα } p. 84. ſq. 89. ſq. 169
Σιττιβος }
Σμιλη p. 207. 208. ſq. 218
Σωματια quae? p. 131.
Spongia p. 225. ſanare cet. p. 225. ſq.
Spumex p. 210
Stephanus Grammaticus laudatur p. 60
Στιχοι p. 62. ſq. 114
Στιχομετρια p. 62. ſq.
Στιγμη p. 59. ſq. multiplex ea p. 60. ſqq.
Stilus p. 33. 182. 218. ſq. ſtilum vertere, ſtilo depaſci p. 220
Στιζειν p. 54
Subula p. 227
Sulci p. 33
Συλλαβος p. 84. 90

T.

Tabellae p. 49. 153. ſq. 181. 185. ſq.
Tabulae ceratae cet. earumque vſus p. 181. ſq.
Tabulae duodecim p. 134. ſq. earum quae materia in ſcribendo fuerit? p. 135 ſq.
Tacpocon p. 52
Terniones p. 157
Thecae graphiariae et calamariae p. 221. ſq.
Thya 138
Tilia p. 43. ſq. 143 ſq.
Titulus librorum. p. 230. ſq.
Τομαρια p. 43.
Τριπαγια p. 160

V.


Verſus p. 62. 114
Virgilii codex in membrana p. 134
Vmbilicus in fine ſcripturae additus p. 72. ſq. 75. ſq. eius materia p. 75. forma p. 73. 120
Vnci p. 87. 171
Volumina quae? p. 42. ſq. 64. ſq. eorum materia p. 43. ſq. inter hebraeos vſus p. 98. ſq. illorum recondendorum inter eosdem cura, p. 121. quae inter iudaeos profana habita certis indiciis recenſentur p. 122. quae ſacra p. 122. ſq.

Tab. I. ad disp. de ornam. codicum ueterum.



f1 ad §17.18.19

f2 ad §15.17.



f3 ad §17.18






Fig I. ad Disp. 3
Fig II. ad Disp. 3
Fig. III. ad Disp. 2
Fig IV. ad Disp. 5
Fig. V ad Disp. 4 § 17.
Fig VI. ad Disp 6.
Fig. VII ad Disp. 2 § 8 14 23.
Fig. VIII ad Disp. 5.
Fig IX ad Disp 2 § 19
A
B
C
D

TAB. I. ad Exerat. De supellectile rei librar. ueter.




Tab. II
f 4 ad disp. sequ.
f.5 et 6 ad § 17.18.
ΔΙΟϹΚΟΥ
ΡΙΔΗϹ
f.7. ad §
17. 18.

Pag. 25.

lin. 4. ὅτι μάλιστα etc. Quod maxime Principes deceat etc.

lin. 7. Verum repetit Dionysium, ut chartam palimpseston iam litteris plenam, ita ex non intermissa longo tempore tyrannide animo infixa vitia gerentem, ut difficillime abradi absterguive potuerint.

Lin. 30. Ubi autem pervenere senes cum muneribus, quæ ipsis Regi perferenda dederat Summus Pontifex Eleazarus, et cum membranis, in quibus leges aureis litteris perscripta erant: de libris rex sciscitatus est. Cum vero illi aperientes volumina ipsi ostenderent, admiratus est rex membranarum tenuitatem, commissuramque occultissimam; tanta enim subtilitate inter sese aptæ erant. atque ita diu perstitit.

Pagina. 46.

lin. 5. Aperiens hydriam reperit stannum tenuissime diductum. circumvolutum autem erat librorum in morem. ibique magnarum Dearum initia perscripta erant.

Pag. 49.

lin. 3. Quoniam cum oborta esset Athenis quæstio de conglutinandis libris ab iis qui glutinis modum scire quærebant: Philtius historici (Olimpiodori) socius, vix ad grammaticam natura factus, id docuit, laudemque consequutus statuam a civibus sortitus est.

lin. 20. postremam paginam et ita sæpe has voces: πρωτόκολλον, et ἐσχατοκόλλιον, primam paginam, postremamque intellige.

Pag. 50.

Lin. 23. Illud autem praesenti lege constituimus; ne tabelliones ad contractus scribendos aliam puram chartam adhibeant, praeter eam, cui praepositum insit quod appellatur protocol. afferens gloriosissimi thesaurorum nostrorum *praesidis (seu cu- rij) qui eo tempore fuerit subscriptionem: notam praeterea tem- poris, quo charta facta est, et quanta de huiusmodi rebus per- scripta sit: Neve istud protocollum excindatur, (ie, constituimus) sed adiectum relinquatur. et reliqua.

* κομητος. Cominis textu eti- am poterit

P. 52.

Lin. 27. scribere eo modo quo boves convertuntur.

Pag. 54.

Lin. 21. Commata, membra (scilicet periodi), periodi.

Lin. 34. pungere, interpungere. Significant ea verba.

P. 55.

Lin. 1. cet.

Cometas reperiens Homericos libros
Corruptosque, minimeque interpunctos,
Divisit eos artificiose interpungens.
Quae vitiata erant tollens, quaque inutilia:
Hinc scribentes non mendose
Addiscant, ut par est addiscere.

Pag. 60

Lin. 8. στιγμὴ cet. interpunctio finalis seu ultima, interpu- media; subdistinctio; interpunctio sine distinctione; interp- tio interiacens.... Alii autem quattuor genera faciunt di- tionum (sive interpunctionum) nimirum ultimam, ea est,

sub finem Periodorum ponitur; mediam, quæ sub finem incisorum ponitur; subdistinctionem, quæ adhibetur in compositis et relatis locutionibus. exempli causa:

Si vero ego solus cum Hectore, cumque troianis pugnem.
Vereor, ne me unum plurimi circumdent.
Interea medium sol ascendebat olympum.
Interea utrinque iacula feriebant. cecidit vero populus.

Interpunctio autem sine distinctione ea est quæ ponitur post eas (locutiones) quæ animi mores, motusve exprimunt, ut:
Tydide, ne me valde extollas; neque contendas.
Vir, iam inde ab initio iuvenis pereo.

Præter has autem ea est, quæ dicitur interiacens, seu pendens. ea est quæ in verbis incompletis fit. ut:
* Sic fatus. Hector vero valde gavisus est verba audiens.
Dividite. At nihil suaves curat cibos.

(apostrophen dicimus uno verbo)

Lin 29. Iuxta Dionysium autem, ut manifestum est tres sunt interpungendi notæ. ~~hoc enim ait~~; postquam enim inferius subiungens alteram earum abiiciendam declarat, hoc ait: Iuxta quemdam recentiorem magistrum eius artis (Nicanor huic nomen est) octo ait esse notas interpungendi. quarum nomina antea diximus: ~~pet~~ Ultima, penultima, prima superior, secunda superior, superior tertia, subdistinctio, interpunctio non distinguens, hypodiastole. et cet.

* Nota. non apparere in versione latina notam huius interpunctionis, ut in in quo: ως εφαθ᾽ Ανκ. quoniam in versione nullus apostropho locus.

Pag. 61.

Lin. 2. 3 cet. Eustathius in 1. lib. Iliad: Nicanor Stigmatias cognominatus, quoniam de interpunctionib. multa tradidit.

Suidas. Lin. 4. Nicanor Hermiæ filius Alexandrinus Grammaticus.
scripsit de interpunctione apud Homerum, deque earum in
ratione differentia. De interpunctione universa libros sex.
interpunctione apud Callimachum et cet.

Pag. 64

Lin. 1. tomos, sermones, sectiones, partes, capita.
Lin. 31. Herod. in terpsich. ut a me declaratum est sermon
primo.
Lin. 32. Plutarch. De Alexandri fortuna vel virtute oratio
prima.

Pag. 66.

Lin. 30. 31. Syllabus, descriptio ~~[illegible]~~, tabula, expositio
Elenchus, designatio, catalogus.

P. 71.

Lin. 3. Ille autem librum cum ~~multa~~ elegantiâ super ge
nua habebat, alios autem (libros) ex utraque parte ipsi ad
iacentes. Coacervata autem erant plura animantia penitus
dissecta. Ipse verò continenter scribebat iacens, cum autem
solus esset multipliciter agitabatur, secumque ipse mur
murabat.
Lin. 13. Veruntamen hæc Deorum in genibus iacent.
Lin. 15. Hæc autem immortalium in genibus sunt rep
sita.
Lin. 21. Vetustiora pelle loqueris.

Pag. 73.

Lin. 6. Lucianus adversus indoctum, pluresque libros emen
tem: Non vides, si quando in manibus librum habuis
perpulchrum, purpuream membranam habentem et umbilicum
aureum cet.

P. 74.

Lin. 17

Heracliti noli celeriter usque ad umbilicum evolvere librum
Gohesii. maxime est impervius et intricatus.

P. 76

Lin. 25. Gladio truncatus capite, multisque cruciatibus perpessis, hanc imposuit coronidem.

P. 77.

L. 15. Utimur autem Coronide in Dramatibus ~~triplicimo~~ triplici ratione: vel cum, personis loquentibus, aut aliquid dimittentibus, chorus praetermittitur; vel contra; vel cum mutatio fit de loco in locum scenae repraesentatione.
L. 19. Sub finem depositionum, paragraphus, (id est ponitur) sub finem vero omnium versuum, ponitur coronis cum personae discedunt.
L. 24 Coronis, subscriptio quaedam est, quae in fine librorum ponitur.

P. 78.

A ~~[illegible]~~ Cornice avi..... ~~[illegible]~~ tenuissimum collum habenter, translatitiè dicitur portarum* coronis. ut a corace coraxion. latinè Ab hujusmodi autem ~~[illegible]~~ portarum coronide propter instrumenti curvaturam: similiterque ab animante, naves dicuntur Coronides, non solùm illae quae nigram habent coronidem, verum etiam illae, quae, ut vertices prora et puppis, sic ~~inflexas~~ tenuissimas habent inflexiones. Similes autem apices, seu coronides coronidem illam circumducunt in quam cauda

[corvulus, sic fit malleolus portarum.]
* est autem portarum coronis marculus ferreus quo fores pulsantur, seu annulus, quo arcetantur....

iniiciuntur, quæ Verticem arcui similem habet. Hinc paræmia, auream coronidem appellat optimum actionum finem. Vt quis dixerit, auream coronidem impositam fuisse negotiis, vel sermoni, nempe conclusionem, seu finem, desumptâ metaphorâ ab hac coronide arcus; vel fortasse ab navium coronide, vel denique ab portarum coronide concludente.

Pag. eâdem.

22 ἀκρομφάλια Polluci sunt: umbilici medullia.

Pag. 80

Lin 18 Quâ spe fretus libros continuo volvis, conglutinas, circumdis, croco, cedroque illinis, pellibus obvolvis, illisque indis umbilicos ut si ex ipsis voluptatem fructumve perciperes?

Lin 30. scalpellum quo charta scinditur.

P. 81.

Lin A. Cur sectio chartarum sive papyri, si quis æqui a basi plana dimetiendo abscideret, recta evolvetur; sin autem inclinarit obliqua existet?

P. 84.

L. 15. epigraphe inscriptio.

L. 25. Stultorum resurrectio.

L. 31. Cacabus vel olla.

L. 32. Et cacabum dico; atque ollam pari iure dica Mihi nomine diversum esse videtur; sive qui appellare gaudeant cacabum, sive sytibum,

L. 37. parva situla. Hesychius nautica instrumenta ait esse ἱμαντάρια

P. 85.

L. 2. Syttibæ sunt pelliceæ vestes, parvæ situlæ.
L. 4. Et coriaceæ erant vestes. Syttiba quidem tunica est pellicea.
L. 6. Et vestes erant coriaceæ, tunicaque ex pelle.
L. 19. spina, pingue quoddam esculentum, et librorum pellis.

P. 86

Lin. 19. Imponens igitur fronti eius pittacium, inscripsit: Nicodromus faciebat.

P. 8.7

L. 38. fibula eburnea lunata.

P. 89.

L. 38. Phelones est: volumen parvum membranaceum, et theca, etiamque parva tunica.

P. 91.

Lin. 23. Similes sunt pulcherrimis illis libris quorum umbilici aurei sunt, extima vero pellis purpurea.

P. 94.

L. 13. Fortunate, nec invideo, libelle, ~~[illegible]~~ te legens
Aliquis puer ~~conteret~~ ponens prope gratum mentum.

P. 102.

L. 18. Jupiter diphteram inspexit.

Pag. 110.

Lin 36 Facilius est autem cælum et terram præterire, quàm de lege unum apicem cadere.

P. 130

L. 3. Penulam, ... et libros, maximè autem membranas.

P. 131

L. 13. Lib. 3. advers. Haeresy.

L. 15. Qui ex ~~schedis~~ schedulis in codices quadratos transcripsit.

P. 132.

L. 11. tabula, tabella, tabellula.

139.

Lin. ult. pellium inunctores.

P. 140.

Aliphterium ab graeco aliphin id est inungere

142.

Fiebant autem, ut aiunt, ex aegyptiacis Biblis papirorum iuxta aquam nascentium, e quibus tunc fabricati sunt cartas, ~~quibus~~ ~~quamvis~~ ~~unde~~ quibus qui scribebant usi sunt, quae quidem posterius dicta sunt corticei libri, quorum conficiendorum ars deperdita

P. 154.

L. 16. Sciendum, testamentum si quando in quadrata membranis inscriptum susceptum sit, tabulam appell. Volumina vero chartacea, ab eadem charta dici.

L. 32. thyridas Attici appellant librorum tabellas

P. 156.

Iterumque regressus paululum legit; evolvensque librum eius finem curiose scrutatur, numerat paginas, et quaterniones ad calculum vocat.

L. 16 Sumens maximum ~~quendam~~ aliquem quaternionem scribere in paginis trium columnarum 160

L. 21. Scripturam forma codicis superius ampla, videlicet, inferne vero angusta

L. 17. bipagine, tripagine.

P. 164.

L. 28. Grammatokyphon. quasi notarius. (Suidas hoc nomen γραμματοκύφων exponit ταπεινὸς γραμματεὺς vilis seu humilis scriba.

P. 173.

L. 1. Ptolemaeus Aristarcho grammatico consiliario usus, primus cum chartam repperisset, Romam misit. Invidens autem Aristarcho Craton Grammaticus qui apud Attalum pergamenum Regem erat, ex pellibus membranas ~~fecit~~ elaboravit, curavitque ut ab Attalo Romam mitterentur. Unde ~~et~~ in memoriam eius qui extenuavit pergamenam hodiadum appellant membranam.

P. 177.

24. sella plicatilis

P. 187.

Littera Delta ab antiquis triangulari figurâ depingitur. Unde et tomi propriè appellantur Delti, quoniam in trianguli figuram cum plicantur conformari solent; quemadmodum etiamnum a quibusdam fit.

Postea vero simpliciter dicuntur <u>Biblia</u> ex veteri usu.

p. 194.

L. 1. Apparatus, instrumenta, seu repositoria apparatuum, et lanceae seu hastae, quoque manu gestantur.

p. 196.

L. 20. Anthologia variorum epigrammatum.

P. 203.

L. 18. Plumbum rotundum, quo designantur lineae paginarum.

L. 25. In libris, quae sunt inter ea quae circumscripta sunt. vocant <u>selides</u>